









2. 76 7.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 309

LECTURE NOTES

BY

PROFESSOR JOHN H. COOPER

1962-63

CHICAGO, ILL.

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

1963

PHYSICS 309

LECTURE NOTES

# ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

---

XV.

PIA DICTAMINA.

## Reimgebete und Leselieder.


Erste Folge.

Herausgegeben

von

**Guido Maria Dreves,**

S. J.



---

Leipzig.

O. R. Reiland.

1893.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Erste Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.



Leipzig.

O. R. Re i s l a n d.

1893.



JUN - 8 1938

10795



## VORWORT.

---

Vorliegendes Heft der *Analecta* beginnt in einer ersten Folge die Veröffentlichung s. g. Reimgebete oder Leselieder, d. h. von Liedern, welche nicht für den liturgischen Gebrauch, sondern für Privatandacht und häusliche Erbauung gemeint waren. Ich sage Privatandacht, um diese Erzeugnisse nicht nur von der streng liturgischen Dichtung, sondern auch von den s. g. *Cantiones* und *Cantilenae* zu scheiden, die, oft außer-, immer praeterliturgisch, doch bestimmt waren, durch den Gesang zu Gehör gebracht zu werden und die öffentliche Andacht zu verschönern. Weisen die *Cantiones*, eng verwandt mit der Tropendichtung, auf Kleriker- und Schüler-Kreise, so die Reimgebete in erster Linie auf die beschauliche Ruhe klösterlicher Genossenschaften, nicht am wenigsten der Karthause, die als eine Hauptpflegerin dieser Dichtungsart zu gelten hat.

Die Reimgebete sind von den bezeichneten Dichtungsarten im allgemeinen nicht schwer zu unterscheiden. Ein äußeres Merkmal ist schon der verschiedene Fundort. Die Reimgebete finden sich in der Regel nicht in liturgischen Handschriften; nur ausnahmsweise trifft man sie in diesen und alsdann nicht im Körper der Liturgie, sondern irgendwo nachgetragen oder eingeschaltet, etwa auf Vorsatzblättern oder leergelassenen Seiten. Ihr eigentlicher Fundort ist das Gebetbuch, *Orationale* oder *Devotionale*, für welches der beliebte und daher vielfach aufgelegte *Hortulus animae* als Typus gelten kann. Seltener und vereinzelter finden sie sich in den s. g. *Horarien*, *Livres d'heures*, deren Inhalt in den meisten Fällen sich auf die marianischen Tagzeiten und das *Officium defunctorum* beschränkt. Doch schliessen sich diesen obligaten Teilen zuweilen Gebete, *Antiphonen* und vermischt mit diesen Reimgebete zu verschiedenen Heiligen an. Endlich sind unsere Lieder in den häufigen asketischen

Sammelbänden, sowie da und dort zerstreut in Handschriften fremdartigen Inhaltes zu treffen. Natürlich sind dieselben an solchen Stellen nur dann aufzufinden, wenn ein detailliertes Handschriftenverzeichnis dieselben namhaft macht. Sonst werden sie sich in den meisten Fällen dem Auge des Forschers entziehen.

Das andere Kennzeichen zur Unterscheidung des Reimgebetes von anderen Arten religiöser Lyrik ist ein inneres. Bestimmt für die persönliche Erbauung des einzelnen, prägen sie diesen Charakter des Privaten, des Subjektiven im Gegensatze zu der liturgischen, auf das Allgemeine berechneten Poesie meist deutlich und kenntlich genug aus. Ganz abgesehen von den mancherlei Vorwürfen, welche in der liturgischen Poesie ausgeschlossen wären, von dem nicht seltenen Vorwiegen des Lehrhaften, sowie dem vielfach größeren Umfange als der bei liturgischen Dichtungen hergebrachte, ist das prägnante Hervortreten des Ich's des Dichters beziehungsweise Beters meist ein sicherer Leitstern. Man könnte diese Poesie füglich die Ich-Dichtung im Gegensatze zur liturgischen Wir-Dichtung nennen.

Von den metrischen Eigentümlichkeiten bietet nur das Fehlen strophischer Gliederung, deren die liturgische Poesie nicht entraten kann, für einzelne Lieder ein verlässiges Unterscheidungszeichen. Im übrigen sind alle Dichtungsformen in den Reimgebeten zulässig und vertreten. Gleichwohl läßt sich behaupten, daß Einheit des Metrums in ihnen die Regel bilde; seltener ist Wechsel des Metrums innerhalb desselben Stückes, selten schlechthin streng eingehaltener Sequenzenbau.

Die Schwierigkeit, in vereinzeltten Fällen zu unterscheiden, ob ein Lied zu den Leseliedern zu rechnen oder nicht, kann hauptsächlich von zwei Seiten kommen. Einmal daher, daß in die Gebetbücher auch liturgische Gebete aufgenommen werden, auch solche, deren liturgischer Gebrauch vielleicht diplomatisch nicht mehr nachweisbar ist; dann aber auch deswegen, weil einzelne, ursprünglich für die Privatandacht geschriebene Lieder später gleichwohl in liturgischen Gebrauch genommen wurden. Ein Beispiel bietet in diesem Bande das Lied: *Dispensator scripturarum*; ein auffallendes Beispiel bieten die beiden herrlichen Sequenzen *Dies irae* und *Stabat mater*, von denen es kaum einem Zweifel unterliegen kann, daß sie ursprünglich als Leselieder für die Privatandacht niedergeschrieben worden.

Ähnlich geraten auch wohl einzelne Cantiones in Sammlungen von Reimgebeten und umgekehrt, oder es geschieht, daß Lieder eine Singweise bei sich haben, ein Zeichen, daß einige derselben ähnlich wie die Psalterien auch als christliche Hausmusik verwendet wurden.

Was nun den dichterischen Charakter dieser Poesie betrifft, so finden sich auf der einen Seite gerade hier endlos sich fortspinnende Lieder, die nicht müde werden, die bekannten symbolischen Beiwörter des Herrn und seiner Mutter litaneiarig zu wiederholen. Im allgemeinen aber veranlaßt der größere Spielraum, dessen sich der private Dichter vor dem liturgischen sowohl in Wahl als bei Behandlung seines Stoffes erfreut, daß in der uns beschäftigenden Poesie eine größere Abwechslung und Originalität herrscht, als wir in der Hymnen- oder Sequenzendichtung zu finden gewohnt sind. Der liturgische Dichter bewegt sich mehr in ausgetretenen Geleisen, einem Bittgange vergleichbar, der auf offener Heerstrasse feierlich ernst dahinzieht; der asketische Dichter darf es sich als einsamer Lustwandler schon eher erlauben, verlassene Wald- und Gebirgspfade einzuschlagen. Nicht an jenes juste milieu gebunden, das der für die Gesamtheit Denkende und Dichtende nicht aus dem Auge verlieren darf, kann er beliebig die ganze Leiter der Gefühle auf- und niedersteigen, ja in den Spott- und Zürn-Liedern gegen Welt und Laster sogar den satyrischen Launen seiner Muse sich hingeben, ein Gebiet betretend, dessen Grenzen sich nicht selten mit denen der s. g. Vagantenpoesie berühren.

Mit Rücksicht auf die vielfach (auch in hymnologischen Sammlungen) zu Tage tretende Vermischung liturgischer und nicht liturgischer Dichtung war es vielleicht nicht unangezeigt, diese wenigen Worte voranzuschicken.

Paris, Esto mihi 1893.

**Guido Maria Dreves.**



I.

**D E D E O.**

---



## 1. De Essentia Dei.

1. Esse, quod est ex se, Deus est, per quem datur esse,  
Quod non est ex se, deitatis non habet esse.  
Esse, quod est, Deus est, cui verum competit esse,  
Convenit huic soli, quod nulli convenit, esse.
5. Ante Deum nihil est, quod possit eo prius esse,  
Post illum nihil est, quod posterius queat esse.  
Supra quem nihil est, quod dicam celsius esse,  
Extra quem nihil est, quod dicam latius esse.  
Omne quod est, opus illius est, dedit omnibus esse,
10. Et sine quo nihil est, nihil aut fuit aut valet esse.  
Cujus majestas disponens cuncta penes se,  
Ut nunquam coepit, sic nunquam desinit esse.  
Omne, quod est, quod erat, quod erit, par huic nequit esse,  
Praeter quem solum Deus alter non valet esse.
15. Namque Deum verum verax ratio negat esse,  
Quem labor aut manus hominis perduxit ad esse.  
At Deus omnipotens, cui nullus homo dedit esse,  
Immo qui faciens hominem reparavit ad esse,  
Hic vere Deus est, et non Deus hic nequit esse,
20. Et Deus ipse deos super omnes creditur esse.  
Totum totus habens, toti vult jure praeesse,  
Cuncta creando sibi, vult cuncta creata subesse.  
Totus ubique suum non alternat Deus esse,  
Qui modo non alius quam pridem creditur esse.
25. Omnia transmutans nequit hic mutabilis esse;  
Aeternusque Deus habet aeternaliter esse.  
Qui cum sit magnus, minor aut major nequit esse.  
In quo semper erat, in eodem permanet esse.  
Quem decet esse, quod est, sed non decet esse necesse,
30. Immo nec esse, per hunc bonus omnis homo valet esse.  
Non aliena bonum bonitas illum facit esse,  
Ex propria bonitate sua scitur bonus esse.  
Ergo factorem factura Deum sciat esse,  
Cui mirabiliter mirabile competit esse.
35. Orthodoxa fides personas tres probat esse  
In deitate, deos sed tres negat in tribus esse.  
Ingenitus genito genitura dat Deus esse,  
Nec tamen hic genitor habuit genito prius esse.  
Spiritus almus ab his procedens par habet esse,

40. Una sed in tribus substantia creditur esse.  
 Utque coaeternum personis convenit esse,  
 Sic par majestas, par virtus fertur inesse.  
 Quod pater est, hoc filius est, hoc spiritus esse  
 Dicitur, unus enim Deus unum continet esse.
45. Qui tamen est genitor, non et genitus valet esse,  
 Qui vero genitus est, et spiritus nequit esse.  
 Sicut in uno tres personas dicimus esse,  
 Sic in personis tribus unum credimus esse.  
 Garriat ergo licet Sabellius, hunc nihil esse,
50. Sic orthodoxus tenet et sic adstruit esse.  
 Arrius infelix quod non sic credit esse,  
 Tartareis flammis meruit sine fine subesse.  
 Taliter alma fides de vero disputat esse,  
 Taliter ut credant, reor, omnibus esse necesse.
55. Hoc nisi credamus, nisi confiteamur, id esse,  
 Firmiter et sane, salvi non possumus esse.

Cm. Monacen. (ol. Raitenhaslacen.) 12513 anni 1240. A. — Cod. S. Floriani XI 436. saec. 15. B. — Cod. Palat. Vindobonen. 5352 anni 1402. C. — Cod. Vatican. Palat. 719 anni 1529. D. — Cod. Parisin. 16699. saec. 12/13. E. — Cod. Parisin. 8865. saec. 13. F. — 7. Super quem B; quod credam latius esse A. — 8 fehlt A; quod credam C. — 9 und 10 umgestellt A. — 10. Omne fehlt C. — 14. non habet esse BEF. — 15. ratio verax A; Deum ratio verax alium negat B. — 16 Quem lapis aut B; produxit B. — 17 und 18 fehlen B. — 20 fehlt B. — 27. major nequit aut minor E. — 28 steht vor 26 CF. — 33 und 34 stehen in BEF hinter 48. — 37. Ingenitus genitor genitum genuit Deus ex se EF. — 38. Non tamen BEF. — 44. creditur esse C. — 49. ergo fehlt C. — 50. Hoc orthodoxus B; orthodoxa A; fehlt C. — 54 fehlt B. — 55. Et nisi credamus nec B.

C giebt als Verfasser Henricus de Hassia (Heinrich von Langenstein) an: „Incipiunt versus leonini de essentia deitatis M. Henrici de Hassia felicitis memoriae“; B Bruno von Holstein (1245—1281): „Bruno episcopus Olomucensis fecit metrum“; E nennt in Pierre le Peintre („Versus Petri Johannis filii“) den wirklichen Autor.

## 2. De divinis Nominibus.

(Margarita Exorcistarum.)

- |  |  |
|--|--|
| 1. Deus pater piissime,<br>Christe Jesu dulcissime,<br>Spiritus clementissime,<br>Non est, Deus, rex praeter te.                     | Tu sedes super Cherubim,<br>Gloriosus in Seraphim,<br>Abba pater, Ben filius,<br>Ruha amborum spiritus,                                    |
| 5. Tu habitas, o Domine,<br>Incircumscripto lumine,<br>Aeternus sine tempore<br>In trinitatis nomine.<br>Sanctus ave, sanctus salve, | 15. Deus deorum dominus,<br>Exaudi nos propitius.<br>Et, fortis rex, summe Deus,<br>Tu es primus, novissimus,<br>Praeter te non est alius. |
| 10. Sanctus trinus unus vale.  | 20. Pax, ostium, vita, Jesus,  |



- Aeterni patris filius,  
Magni consilii angelus,  
Sanctus procedens spiritus  
Ab utroque paraclitus,  
25. Patris natique spiritus,  
Trinus unus altissimus,  
Emunda me a sordibus  
Et a cunctis criminibus  
Et ab iniquitatibus.  
30. Libera me propitius  
A tribulationibus  
Et a cunctis doloribus  
Et ab infirmitatibus  
Et de necessitatibus  
35. Erue me propitius.  
Clemens creator Elo i,  
Te tremunt omnes angeli,  
Adorant et archangeli.  
Verbum patris ingeni,  
40. Tu theu ho monogeni,  
Panis et vita saeculi.  
Tu digitus dextrae Dei,  
Donum Dei altissimi,  
Ruba patris et filii,  
45. Trinus unus, memor mei  
Sis et Deus auxilii  
Atque domus refugii,  
Inter procellas saeculi,  
Fluctus hujus exsilii,  
50. Mihi labanti subveni.  
O Elo e, theos fobos,  
Deus timoris ischyros,  
Anastasis, athanatos.  
Verbum patris, veritas, os,  
55. Tu destruxisti angelos  
De coelis apostaticos.  
Spiritus sanctus o theos,  
Spiramen, sacrum, lumen, fos,  
Super aquas Domini vox.  
60. Trinus unus piissimos  
Tuos super me oculos,  
Rex, aperi dulcissimos.  
Tu mitte sanctos angelos,  
Ministros tuos inclitos,  
65. Hodie mihi socios,  
Adjutores fortissimos  
Et custodes fidissimos
- Ductores atque praevios,  
Hostes repellant impios,  
70. Superbos, reos, noxios,  
Qui creasti, rex Sabaath,  
Cuncta simul ex nihilo,  
Tu es Deus alpha et o.  
Jesu, nostra redemptio,  
75. Vita et resurrectio,  
Salus, amor, defensio,  
Tu criminum remissio,  
A patre et a filio  
Es spiritalis unctio.  
80. Trinus unus, te obsecro,  
Sis mihi tu protectio  
Atque firma defensio,  
Sis pia consolatio,  
Sis criminum ablutio.  
85. Peccatorum remissio  
Meorum, Deus, obsecro.  
Deus excelsus Elion,  
Deus deorum pantheon,  
Rerum creator hypsiston;  
90. Emmanuel pantocraton  
Pastorque homousion,  
Salvator mundi tu theon;  
Patris, nati synhagion  
Amborum sacrum pneumaton  
95. Caritas, ignis, vivus fons;  
Trinus unus, tu de Sion  
Succurre mihi, pater on,  
Per nomen tuum arrheton  
Gloriosum strathymaton.  
100. Ascher eje, rex, tibi est  
Nomen, quod sempiternum est,  
Et nomen, quod aeternum est;  
Moysi nomen, quod est Est,  
Per angelum delatum est.  
105. Per nomen tuum, quod est Est,  
Quidquid mihi necesse est,  
Concede mihi, Deus Est,  
Aufer a me, quod malum est,  
Et peccatum, quod abs te est;  
110. Dona mihi, quod bonum est,  
Illud, pater, quod per te est.  
A don ai mirabilis,  
Magnus et admirabilis,  
Creator ineffabilis;

115. Fili Dei amabilis,  
Via infatigabilis,  
Vitis immarcessibilis;  
Spiritus invisibilis,  
Patri, nato visibilis,
120. Splendor inextinguibilis;  
Trinus inseparabilis,  
Unus indivisibilis,  
Deus inenarrabilis,  
Sis custos invincibilis,
125. Murus inviolabilis  
Mihi, Deus laudabilis;  
Ne sis mihi terribilis,  
Esto mihi placabilis;  
Super me deprecabilis,
130. Libera me ab aemulis,  
Ab impiorum laqueis  
Et a cunctis periculis,  
Ab omnibus insidiis.  
Verus Deus, verus Ia,
135. Exaudi me et adjuva,  
Ab omni malo libera,  
Audi mea precamina  
Et dimitte peccamina,  
Solve nexorum vincula
140. Et da quieta tempora  
Per haec sacrata nomina  
Tua Deus sanctissima.  
Per hoc nomen sanctissimum,  
Magnum atque fortissimum,
145. Gloriosum et inclitum,  
Per quod Adam in tartarum,  
Dum esset in supplicium  
In inferni miserrimum,  
Te reclamavit Dominum,
150. Suum factorem proprium,  
Et habuit propitium.  
Hoc nomen sacratissimum,  
Rex, explicare nequeunt  
Omnes linguae viventium
155. Nec mens nec sensus hominum.  
Nomenque anefoneton,  
Quod fronte tulit Aaron  
Sculptum per tetragrammaton  
Quatuor gemmis in petalon:
160. Joth, He, Vau, Heth Hebrai-  
cum.
- He iste sonat proprium,  
Vau vita, Joth principium,  
Heth passionis obitum.  
Latine sic expositum
165. Est Christus vita omnium.  
Iste vitae principium  
Per mortem, per patibulum,  
Per passionis obitum.  
Per hoc nomen piissimum,
170. Terribile, mitissimum,  
Diem concede prosperum,  
Aeternae vitae praemium,  
Praesentis vitae gaudium  
Et, quod est necessarium,
175. Da mihi, factor omnium.  
Deus communis omnium,  
Per hoc nomen sanctissimum  
Esto salus, refugium  
Mihi et adjutorium
180. Et ubique praesidium.  
Exsurge contra odium  
Inimicorum omnium  
Me quoque persequentium  
Et in me insurgentium.
185. Tu destrue consilium  
Illorum et eloquium  
Invidiam et odium  
Quo contra me insiliunt.  
Per hoc nomen sanctissimum
190. Quod per crucis mysterium  
Complevisti rex inclitum,  
Per procedentem spiritum  
Ab utroque paraclitum,  
Quae hic te deprecatus sum,
195. Da mihi, factor omnium.  
Rex Sadai omnipotens,  
Rex angelorum praepotens,  
Ad omnia sufficiens,  
Justitiae sol oriens,
200. Lumen, lux indeficiens,  
Sophia patris sapiens;  
Spiritus sanctus procedens  
Ab utroque, cuncta tenens,  
Sciens, videns, intelligens;
205. Trinus unus cunctipotens,  
Sis mihi pius et clemens,  
Misericors et patiens,

- Dator nunquam deficiens  
Qui es pius largifluens.
210. Tu patris sapientia  
Via, vita et veritas,  
Virtus patris et pietas,  
Regressus, unde veneras,  
In sinu patris habitas,
215. Ubi omnis divinitas  
Est et perfecta deitas,  
Immortalis aeternitas,  
Deo patri in gloria  
Coequalis per omnia.
220. Ibi te, Jesu, alloquor,  
Ibi te, Jesu, deprecor,  
Te Deum verum fateor  
Et hominem confiteor  
Et iudicem profiteor.
225. Jesu benigne, respice  
Sursum te quaero, Domine,  
In sinu patris, hague,  
Ubi sedes, rex gloriae,  
Ad dextram patris, Domine,
230. Tu in patre, pater in te.  
Ibi, Jesu, obsecro te,  
Interveni, quaeso, pro me  
Apud patrem, piissime.  
Non voce dico, Domine,
235. Sed communi essentia  
Et aequali potentia  
Et pietate unica.  
Tu, creator, creasti me,
- Et tuo sancto sanguine,  
240. Redemptor, redemisti me.  
Et ideo invoco te  
Et nomen tuum super me.  
Verbum patris, visita me  
In pace tua, Domine.
245. Qui omnium pro salute  
Ex illibata virgine  
Humanam carmen sumere  
Et sanguinem suscipere  
Es dignatus, o Domine,
250. Jesu Christe, rex gloriae.  
Rex regum, rex pacificus,  
Rex dominator dominus,  
Rex aeternus, rex immensus,  
Rex supernus, rex benignus,
255. Rex coelestis, gloriosus,  
Rex in regno tuo clarus,  
Moderator rerum unus,  
Qui gubernas cuncta solus,  
Exaudi me propitius,
260. Mihi clemens sis et pius.  
Cui servit ordo coelicus  
Et coelestis exercitus.  
Tibi patri ingenito  
Natoque unigenito,
265. Spiritui paraclito  
Laus, honor atque gloria,  
Sit virtus et potentia  
Per saeculorum saecula.

Cod. Vallicellan. B 63 saec. 11. A. — Clm. Monacen. (ol. S. Crucis ap. Offemont) 11325 saec. 12. B. — Cod. Palat. Vindobonen. 4096 saec. 15. C. — Cod. Vatican. 3769 saec. 15. D. — Cod. Monasterien. 209 (560) saec. 15. E. — Nach 1. Deus deorum unice E. — 2. Christus Jesus E; Christe fili sanctissime C. — 4. o rex C. — 8. Cum filio cum flamme B. — 9. ave sanctus vale B; sanctus quoque vale E. — 10. Sanctus quoque vale A; Sanctus quoque salve BE. — 13. On filius C; Ben fili B. — 17. Hel fortis summe C. — 18. Tu primus, tu novissimus C; Tu primus et novissimus E. — 27. Tu lava me a B; Tu lava nos E. — 29. Et fehlt C. — Zwischen 29 und 30 stehen in B:

Et de necessitatibus  
Et a tribulationibus  
Et a cunctis doloribus  
Et ab infirmitatibus.

30. Libera nos E; Erue me B. — 31. Ab omnibus tribulationibus E. — 32. Et fehlt C. — 33. Et fehlt C. — 34. Ac necessitatibus C. — 35. nos E; me fehlt C. — 40. Tute ut homogeni A; Tu theu homogeni E; Tu theos o monogeni C. — 45. Trinus et unus sis memor nostri E. — 46. Sis in Deum B; Et in Deum E. — 47. Atque domum B; Et in domum E. — 49. Et fluctus

E. — 50. Tu laboranti subveni C; Mihi mergendo subveni B; Nobis submergentibus subveni E. — 51. Heloe AE; *ΘΙΗΩC ΦΩC* A; theos sebos C; theos phonos E. — 52. Deus timoris Kyrios B. — 54. veritas *ωC* A; 54—59 fehlen C. — 56. Superbos rex apostatas B; Apostatas rex superbos E. — 58. lumen fax BE, fox A. — 60. piissimus E. — 61. super nos E. — 63. sanctos fehlt E. — 64. tuos coelitus C; coelicos B. — 65. nobis socios E. — 66. Adjuutores sanctissimos BC; vorher geht noch Custodes praeclarissimos E. — 67 fehlt BCE. — 69. Ut hostes E. — 71 bis 87 stehen in BE hinter 111. — 71. Tu creasti E; Qui creasti ex nihilo C. — 72. Rex Sabaoth cuncta saeculi C. — 76. amor et defensio C; amor et vera defensio E. — 74 bis 83 fehlen C. — 78. A patre procedens et filio E. — 80. Qui trinus et unus es E. — 81. Sis et nostra protectio E. — 82 und 83 umgestellt E. — 82. Nec non et defensio E; Salus amor et defensio C. — 83. Sis nostra consolatio E. — 84. absolutio E. — 86. Deus deorum obsecro E. — 87. Ylion B. — 89. Rex creator E; ysiton AE, hysiton C, ipsiston B. — 90. pantacraton E, panthagaton C. — 96. Trine une A; Trinus et unus E. — 97. nobis pater E; hon A. — 98. Pro nobis tuum C; arethon C, areton E, arehton A. — 99. strammaton E, strathimathon C, *COΠAΘYX-CαθωNA*. — 100 bis 111 stehen in BE hinter 133. — 100. Eserie C (*אשר אהיר*) Exod. 3, 14), Eseritiae A, Eiei B; Adonai rex tibi nomen est E. — 101. Yeye quod sempiternum est E. — 102. Et fehlt C, das ganze fehlt E. — 103. est Est fehlt E. — 104 fehlt C. — 105. Est fehlt CE. — 106. mihi fehlt CE. — 107. Concede Deus Est A; Concede nobis Deus E; Concede cito Deus Est C. — 108. Et aufer a nobis quod E. — 109. Et peccatum hoc quod abs te est E. — 110. Et da nobis quod bonum est E. — 111. Id praesta quod per te est C. — 113. Magnus inaestimabilis C; et laudabilis E. — 114 und 115 fehlen C. — 118 fehlt A. — 119. Patri natoque E. — 123 fehlt B. — 124. Sis meus invincibilis B, Sis nobis murus invincibilis E, fehlt C. — 125. Mirus inviolabilis C, Custos inviolabilis BE. — 126. Sis nobis Deus laudabilis E, fehlt C. — 127 und 128 fehlen C. — 127. Ne sis nobis E. — 128. Esto nobis E. — 129 fehlt AC; Super nos E. — 130. Libera nos E. — 132. cunctis insidiis E. — 133. Et ab omnibus periculis E. — 135. Exaudi nos E. — 136. malo nos libera E. — 137. Exaudi mea C; Audi nostra E. — 138 fehlt C. — 141. Per haec sancta E; Per tam sacrata C; Per tua sapta nomina A. — 142 fehlt A. — 144. Magnum nomen fortissimum A. — 146 bis 153 fehlen C. — 146. tartaro E. — 147. supplicio E. — 148. In inferni patibulum B; Infernali patibulo E. — 153. Quod explicare C. — 156. aneheneton A; anackeneton BC; ascheneton E. — 159. Quatuor gramis AB, grammis E. — 160. Joth, He, Vau, He E; The, Joth, Vau, Thet C; *HYVT* ebraycum A; hebraicum fehlt E. — 161. H iste A; The iste C; Quod sic est expositum E. — 162. Et Vau C; Joth id est principium E; Job principium A. — 163 bis 168 fehlen B. — 163. He iste vau heth et vita E. — Hierauf folgt in E:

Principium iste et vita.  
Per hoc nomen magnificentissimum  
Et inaestimabile  
Miserere nobis miserrimis  
In cunctis angustiis  
Et necessitatibus  
Corporis et animae.  
Adjuva nos etiam,  
Dulcissime Domine.

164 und 165 fehlen E. — 169. Ac per nomen E. — 170 bis 173 fehlen C. — 171. Concede diem E. — 176. Deus hoy communis A. — 177. nomen piissimum B, fehlt E. — 178. Esto nobis salus E; Sis salus et C. — 179. Salus et adiutorium E. — 183. Nos quoque E. — 184. Atque in me surgentium C; Et in nobis insurgentium E. — 186. colloquium E; et fehlt A. — 188. Qui contra C; contra nos E. — 189. Ac per hoc E; nomen piissimum B. — 191. Complesti C; auf diesen Vers folgt in E: Heli (Heli) lama sabacthani. — 194. Quod hic B. — 196 bis

210 stehen vor 100 B, vor 71 E. — 200 bis 203 stehen hinter 209 AC. — 203 fehlt C. — 206. *Sis nobis E.* — 208. *Sis nobis consolator indeficiens E.* — 209. *Pius doctor largifluens E.* — 210. *O patris C;* darauf folgt in *E* noch der *Vers: Cum ipso creans omnia.* — 215. *Ibi omnis E; omnis claritas C.* — 216. *Est fehlt E; Sed et perfecta C.* — 218. *et gloria BC.* — 222 bis 231 lauten in *E: Tu misericors et vitae dator aeternae sis nobis, Christe, clemens apud Deum patrem. Te verum Deum deprecamur, te confitemur et iudicem justum profitemur. Veritatem tuam sursum a te quaerimus, Domine.* — 224. *Judicemque A.* — 226. *Te sursum C.* — 227. *In sinu tuo, hagio.* — 228 bis 230 fehlen B. — 230. *et pater in te C.* — 232. *Interveni pro nobis quaeso E; fehlt B.* — 233 fehlt B. — 234. *dico fehlt E.* — 238. *Tu nos creator creasti E.* — 239. *sancto fehlt E.* — 240. *me fehlt E.* — 241. *Ideo nunc invoco te B; Ideo te invocamus, Domine EI E.* — 242. *Sit nomen tuum B; Et nomen tuum, quod est Ariel E.* — 243. *Tu verbum patris altissimi E.* — 244. *In parte tua colloca me C; Visita nos in pace, Domine E.* — 245. *Qui pro salute omnium passus es in cruce E.* — 247. *Carnem sumere dignatus es E.* — 248. *Et sanguinem fundere C.* — 249. *O dulcissime Domine E.* — 251. *sq. pacifice Domine, immense etc. C.* — 254. *Rex supremus B.* — 255. *rex gloriosus E.* — 258. *cuncta gubernas C.* — 259. *Exaudi nos E.* — 260. *Nobis sis clemens E; fehlt A.* — 263 *sq. fehlen AB.* — 268. *In saeculorum E.* — Man vergl. *Pitra, Spicilegium Solesmense III, 449,* wo das Lied aus einer Handschrift des 13. Jahrh. mitgeteilt ist.

### 3. De divinis Nominibus.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Jesu Christe, summe Deus,<br/>Sancte pater rex et meus,<br/>Tu me clemens audi reum<br/>Et intende nunc in meum<br/>Pie adjutorium.<br/>Sum injustus et immundus,<br/>Fallax, vagus, iracundus,<br/>Homo mendax, qui commisi<br/>Multa mala et amisi<br/>Divinum auxilium.</p> <p>2. Nam offendi te scienter,<br/>Matrem tuam et frequenter,<br/>Qua de causa me odisti<br/>Et hinc juste subtraxisti<br/>Mihi tuam gratiam.<br/>Sed confido prece matris,<br/>Quod tu, fili Dei Patris,<br/>A me tuam nunc avertas<br/>Iram magnam et convertas<br/>In misericordiam.</p> <p>3. Juste judex, te iratum<br/>Scio meum per peccatum,<br/>Unde reus ad Mariam,<br/>Tuam matrem summe piam,<br/>In hac vita fugio;</p> | <p><i>Et tu, Christi mater pia,<br/>Virgo dulcis, o Maria,<br/>Tu quae porta es signata,<br/>Mihi tu sis advocata<br/>Coram tuo filio.</i></p> <p>4. <i>Virgo sancta, pro me ora<br/>Et si placet in hac hora<br/>Mihi redde, quod amisit,<br/>Et indulge, quod commisit<br/>Corpus atque spiritus.<br/>Tu sis mihi medicina<br/>Et de morte repentina<br/>Et in vita temporali<br/>Ab incursu hostis mali<br/>Me defende coelitus.</i></p> <p>5. <i>Funde preces Deo meo<br/>Pro me servo tuo reo<br/>Et, dum vivo, me tuere,<br/>Dona mihi possidere,<br/>Quae sunt necessaria.<br/>Ergo, Jesu, pater pie,<br/>Preces matris in hac die<br/>Tu exaudi, fili Dei,<br/>Atque miserere mei<br/>Mea et suspiria.</i></p> |
|---|--|

6. Tu qui sacer Adonai  
Nominaris et Sadai,  
Emmanuel, Deus mecum,  
Da ut semper mei tecum  
    Cordis sit principium.  
Tu qui theos appellaris,  
Athanatos et vocaris,  
Ischyros, o Deus fortis,  
Fac me scire diem mortis  
    Meum atque transitum.
7. Tu Deus [summus] Elion,  
Qui das salutem in Sion,  
Salva, Christe, me clamantem,  
Nam te timet judicantem  
    Mea nunc fragilitas.  
Deus pater theodoron,  
Jesu Christe, fili, on,  
Et amborum sacrum flamen,  
Tu sis mihi adjuvamen,  
    Sancta Dei trinitas.
8. Sabaoth o et Messia,  
Tetragrammaton et Ja,  
Cuncta mala procul pelle,  
Venti cedant et procellae,  
    Et turbo concutiens.  
Tu lux mea, ops et vita,  
Heli Deus, velis ita  
Meam visere personam,  
Ne res perdat et coronam  
    Angelus percutiens.
9. Mihi praesta sanitatem  
Et hanc confer pietatem,  
Ut hinc hostes effugentur,  
Cum haec tua invocentur  
    Gloriosa nomina.  
O vos omnes sancti Dei,  
Sitis defensores mei,  
In hac hora subvenite  
Mihi reo et venite,  
    Beatorum agmina.
10. O magne princeps Michael,  
Gabriel atque Raphael,  
O chorus angelorum,  
Coetus apostolorum,  
    Me reum defendite;  
O vos omnes confessores,  
Sancti patres et doctores  
Martyrumque turba pia  
Dei matre cum Maria  
    Mihi nunc succurrite.
11. Et oretis pio more  
Deum pro me peccatore,  
Ut dignetur me salvare,  
Mihi velit et praestare  
    Poenitendi spatia.  
Ergo, Jesu pater, Christe,  
Per quem vivit mundus iste,  
Dona mihi possidere  
Per te semper et habere  
    Sempiterna gaudia.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — „Quicumque orationem subsequentem, quae est beati Augustini, usque ad finem vitae suae devote dixerit absque dubio ad regnum coelorum ab angelis perducetur.“ Verfasser vielleicht Arnest von Pardubic. — 6, 3 Emmanuel o Deus. — 7, 1 Tu Deus eleison; offenbares Verschreiben bei Mangel von zwei Silben. — 7, 7 fehlt eine Silbe; ebenso 10, 3 sq.

#### 4. Oratio de Incarnatione Christi.

1. Multis a confratribus  
Sum saepe rogatus,  
Ut eis exponerem  
totiens probatus,  
Quare Dei filius  
sic est humanatus,  
Ut in crucis cornibus  
feret assatus,
- Et cur ejus lancea  
foderetur latus;  
Sic incepti dicere  
multis invitatus:
2. Viri venerabiles,  
viri literati,  
Hostes injustitiae,  
legibus armati,

- Vestri nunc sufficio  
sarcinae mandati,  
Nec adire grandia  
licet novitati.
3. Verbi ministerium  
mihi credidistis,  
Cujus est solemunitas  
in diebus istis,  
Erubescit facies  
animus est tristis,  
Factus sum insipiens,  
vos me coegistis.
4. Sapientes alloquor,  
supplico discretis,  
Si non digne dixerō,  
parcere debetis,  
Loqui de coelestibus  
nescio secretis,  
Caecus in apostolo,  
caecus in prophetis.
5. Quia in magnitudine  
superant ignarum  
Notiones singulae  
trium personarum,  
Quid pater, quid filius,  
patet mihi parum,  
Quid sit, unde filium  
Pater habet carum.
6. Una est substantia  
tribus in personis,  
Unitatis regula  
plus quam unionis,  
Nuntiat in angelis,  
judicat in thronis  
Ad aeternae seriem  
dispositionis.
7. Cum creator temporum  
non sit temporalis,  
Statim est sub tempore  
res materialis;  
Pater est efficiens,  
filius formalis,  
Utriusque spiritus  
causa est finalis.
8. Creatori serviunt  
omnia subjecta,  
Sub mensura, numero,  
pondere perfecta,  
Ad invisibilia  
per haec intellecta  
Sursum trahit hominem  
ratio directa.
9. Praedicat potentiam  
rerum magnitudo,  
Ordo sapientiam  
sive pulchritudo,  
Bonitatem copiae  
summa plenitudo,  
Pascit mentis oculos  
trinitas hoc ludo.
10. Dignitate praeminet  
universae rei  
Factus ad imaginem  
majestatis Dei,  
Cuncta sibi serviunt,  
ipse servit ei,  
Quem nox nocti praedicat  
et dies diei.
11. Obligavit omnia  
nostrae servituti,  
Alia deliciis,  
alia saluti,  
Sciunt evangelicis  
regulis imbuti,  
Quibus frui convenit,  
quibus decet uti.
12. His nos beneficiis  
voluit ditari  
Et adjecit cumulum  
muneris praeclari,  
Cum pro nobis filium  
misit incarnari,  
Ut uniret hominem  
suo salutari.
13. Est inenarrabilis  
ista genitura,  
In persona simplici  
duplex est natura,

- Ipse, qui creator est,  
ipse creatura,  
Ligans dissimilia  
stabili junctura.
14. Taceo particulam  
virginis beatae,  
Non originaliter  
carnis obligatae  
Nec in lumbis Abrahae  
quondam decimatae,  
Unde Levi major est  
Christi dignitate.
15. Haec simul in omnia  
Deo cuncta,  
Inde personaliter  
una mundi vita,  
Fides ita praedicat,  
fides credit ita,  
Haereat in perfidis  
haeresis sopita.
16. Habens carnem similem  
carni peccatrici,  
Formam servi praeferens,  
habitum mendici,  
Qui in dolo repulit  
dolum inimici,  
Tale bellum perfido  
deciit indici.
17. Cum in Deum hominem  
misit hostis manum,  
Ut moveret stabilem,  
infirmaret sanum,  
Si quid juris habuit  
in genus humanum,  
Irrevocabiliter  
abiit in vanum.
18. O pugna mirabilis,  
o trophaeum dignum,  
Agnus lupum perimit,  
innocens malignum,  
Qui per lignum vicerat,  
victus est per lignum,  
Quod est terror hostium,  
quod est vitae signum.
19. Infirmatur medicus,  
sanet ut aegrotum,  
Non per quinque porticus  
nec per aquae motum,  
Sed in vase fragili  
et in parte totum,  
Proximo parieti  
copulat remotum.
20. Incipit in saeculo  
factor saeculorum,  
Vitae panis esurit,  
sitit fons hortorum,  
Noctis somno clauditur  
oculus caecorum,  
Plebi fit abjectio  
decus angelorum.
21. Sol in nube tegitur,  
dies obscuratur,  
Trepidat securitas,  
virtus infirmatur,  
Disciplina caeditur,  
salus exsecratur,  
Vita cruci figitur,  
ordo conturbatur.
22. Parum nobis proderat  
redemptorem mori,  
Ni rediret iterum  
vita redemptori,  
Liber inter mortuos  
redditur honori,  
Et a dextris assidet  
natus genitori.
23. Ut divinae resonat  
pagina scripturae,  
Praecesserunt tempora  
legis et naturae,  
In antiquis patribus  
operum figurae,  
Sensus allegorici,  
species obscurae.
24. Ut a primis ordiar  
mundi rudimentis,  
Fit de costa mulier  
Adae dormientis,



- Rutilans ecclesia  
vitae sacramentis  
Prodiit ex latere  
Christi morientis.
25. Haec est arca, quam Noë  
cataclismo rexit,  
Hunc Jacob evigilans  
lapidem crexit,  
Haec in vase scirpeo  
Mosysen inspexit,  
Haec est nurus Noëmi,  
quam Booz dilexit.
26. Haec est tabernaculum  
in deserto factum,  
Atriis circumdatum,  
tabulis compactum,  
Haec est arca foederis,  
hoc est vitae pactum,  
Inter verum Israel  
et Deum contractum.
27. Atrium exercitus  
vita est activa,  
In quo sacrificia  
sunt figurativa,  
Hoc altare concremat  
carnis incentiva,  
Demolitur pinguis,  
macerat lasciva.
28. Incenduntur hostiae  
carnibus oblati  
Ligno crucis Domini,  
flamma caritatis,  
Agnus innocentiae  
et simplicitatis,  
Hircus poenitentiae,  
turtur castitatis.
29. Primum tabernaculum  
contemplationem,  
Mensa, quae proponitur,  
signat lectionem,  
Panis verbum fidei,  
thus orationem,  
Candelabrum spiritus  
illustrationem.
30. Futurorum pontifex  
Christus est bonorum,  
Qui semel introiit  
in sancta sanctorum,  
Non hircorum sanguine  
neque vitulorum,  
Sed in suo reserans  
aditum coelorum.
31. Hic exstinxit gladium  
sibi resistentem,  
Gladium versatilem,  
gladium ardentem,  
Et removit Cherubim  
gladium tenentem,  
Dum latronem suscipit  
Christus confitentem.
32. Quod fraternis manibus  
Abel est occisus,  
Quod oblati puer est,  
cui nomen risus,  
Quod missus in puteum  
fratribus invisus,  
Quod ascendens in Bethel  
calvus est derisus;
33. Coram agno mystico  
mors est Pharaonis,  
Quod saliva defluit  
patre Salomonis,  
Quod intravit Daniel  
lacum Babylonis:  
Totum est mysterium  
Christi passionis.
34. Tangere sublimia  
res est onerosa,  
Aeris in nubibus  
aqua tenebrosa,  
Ut a spinis discrepat  
lilium vel rosa,  
Sic a Dei laudibus  
vita vitiosa.
35. Tangens montem bestia  
debet lapidari,  
Et indignus timeo  
plecti poena pari,

Sed a vobis postulo  
veniam praestari,  
Quorum voluntatibus  
nolo refragari.

36. Supplicemus iterum  
gratiae divinae,

Quam humanae credimus  
summam medicinae,  
Ut expertes ultimae  
faciat ruinae,  
Sitque salus omnibus  
hic nunc et in fine.

Cod. Londinen. Reg. 2 A IX saec. <sup>13/14</sup>. — 17, 5 Sed quid. — 20, 7 adjectio. — 20, 8 Deus angelorum. — 23, 1 resonet. — 23, 3 Signo tibi Domine. — 29, 5 verbum foederis. —

Dies Lied ist von Th. Wright, The Latin Poems, commonly attributed to Walter Map S. 31 W, unter dem Titel Praedicatio Goliae, der handschriftlich nicht vorkomme, nach sechs Handschriften gedruckt, deren Alter er nicht angiebt, nämlich Harl. 978. H; Vespas. E XII. C; Titus A XX. T; Sloane 1580. S; Lambeth. 238. L 1; Lambeth. 481. L 2. Er bietet folgende Lesarten, von denen die mit W bezeichneten im Text stehen. Str. 1 fehlt SL 1 L 2. — 1, 2 pridie rogatus W. — 1, 7 quod in C. — 1, 8 parvitati W; novitati C. — 3, 2 commisistis W; credidistis SC. — 3, 3 Quod est satis congruum W; cuius est solemnitas SC. — 3, 7 incipiens W. — 4, 2 decretis C. — 4, 3 Si non bene C. — 4, 7 apostolis W. — 5, 1 Sui magnitudine W. — 5, 2 fugiunt ignarum S. — 5, 5 Quo pater quo S. — 5, 6 constat mihi S. — 5, 7 Quo sit S. — 7, 3 cum tempore S. — 8, 3 sq. pondere numero S. — 8, 7 Sursum ducit S. — 9, 5 Bonitatis copiam W; bonitatem copiae SC. — 10, 2 universitate rei C. — 11, 6 induti W. — 11, 8 fas est uti W; decet uti SC. — 12, 3 adducit C. — 12, 6 fecit incarnari S. — 14, 8 Christus W. — 15, 1 simul cum anima W; omnia C. — 15, 3 Unum personaliter W. — 15, 7 Pereat W. — 16, 5 Quasi dolo W; Qui in dolo H. — 16, 8 debuit S; iudici W Schreib- oder Druckfehler. — 17, 2 hostis misit S. — 19, 2 ut sanet S. — 19, 5 figuli W; fictili S. — 20, 5 Mortis somno W; Noctis S. — 20, 7 Plebis W. — 21, 2 obsecratur C. — 21, 6 salus vulneratur S. — 22, 1 proderet W; proderat C. — 22, 7 in dextris C; assides H. — 24, 1 ardeat C. — 24, 8 dormientis C. — 25, 1 qua Noe W; quam S. — 25, 3 Hic Jacob S. — 25, 6 adspexit S. — 26, 3 Atrio W. — 26, 4 stabile compactum S. — 26, 6 haec est vitae W. — 27, 5 Hic altare W. — 27, 7 Demollitur C. — 27, 8 laecerat W. — 28, 6 aut simplicitatis H. — Str. 28 fehlt S. — 31, 1 exstinguit SC. — 31, 2 nobis resistentem W. — 31, 4 gladium manentem C. — 31, 7 recipit S. — 31, 8 Christo C. — 32, 4 nostri forma risus S. — 32, 5 Quod Joseph est venditus S. — 32, 7 ascendit H; irrisus S. — 33, 1 Quod in agno S. — 33, 2 mortem Pharaonis S. — 33, 4 patri S. — 33, 6 locum Babylonis W, Schreib- oder Druckfehler. — 34, 5 sq. lilium discrepat S. — 34, 7 Sic ab his sermonibus S. — Str. 35 fehlt S. — 36, 1 interim W; ultimo C. — 36, 7 Sic sit W; sicque C. — 36, 8 et nunc et W; hic et sine C.

### 5. De Incarnatione Christi.

1. Salve, festa dies, quae vulnera nostra coerces,  
Angelus est missus, est passus et in cruce Christus.  
Est Adam factus et eodem tempore lapsus,  
Conterit in coelis zabulon virtus Michaelis.
5. Ob meritum decimae cadit Abel fratris ab onse,  
Israel medium transivit per mare rubrum.  
Offert Melchisedech, Isaac supponitur aris,  
Est decollatus Christi baptista beatus.

- Est Petrus ereptus, Jacobus sub Herode peremptus,  
10. Lex datur in Sina, veniens rex judicat bina,  
Corpora sanctorum cum Christo sepulta resurgunt,  
Latro dulce tamen paradisum suscipit Amen.  
Per hoc dictamen nos salvet flamen et Amen.

Cod. S. Floriani XI 369 saec. 14. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 3593 saec. 15. B. — 4 fehlt B. — 10 judicat vna, lies bina, d. h. vivos et mortuos; fehlt B. — 11 fehlt B. — 13 fehlt A. — Unmittelbar vorher geht in A folgende Kalendernotiz für den 25. März (die erwähnten Daten sind zum Teil von den obigen verschieden): VIII Kal. Apr. annunciatio sanctae Mariae et passio Domini et decollatio sancti Jacobi apostoli, fratris Domini. Ipso die mundus creatus est, Adam formatus et animatus, a serpente deceptus et cruce redemptus, Abel occisus, perit in diluvio mundus, interiit Sodoma et Gommorra, Isaac immolatur, Joseph venditus, Pharao in mare mersus, Samson obiit, latro paradisum possedit, Petrus a catenis liberatus est, Jerosolyma a Tito vastata est. Dicunt etiam Judaei hodierno die fieri judicium mundi. Vgl. Analecta XIVb S. 171.

### 6. In laudem Dominicae nativitatis.

1. O beata gaude infantia,  
Sed et gaudens doleas pariter,  
Aggredere sancta mysteria  
Pereuntis mundi letaliter.  
Jam paterna adimplens nuntia  
Gaude simul et dole flebilis,  
Grandis enim tibi restat via  
Nascens pauper servus et humilis.
2. A vagitu sumas exordia  
Nilque spernens nostrae miseriae,  
Vagi, infans, inter praesepia,  
Sed oscula pia dans Mariae  
Solare, nam patris imperia  
Decreverunt cruoris te stillis  
Jam perfundi super altaria,  
Qui natus es pauper et humilis.
3. Ad gaudium reduxit litera,  
Nam confestim alacres prodeunt  
Reges Tarsis ferentes munera  
Nec Herodem deinceps adeunt.  
Aurum sicut regi magno donant,  
Thus ut Deo myrrhamque cum illis  
Inhumando; haec mystice sonant  
Tibi, qui es pauper et humilis.
4. Dum Simeon miratur haec gesta,  
Laetus psallit et plaudens manibus:  
Tendo, inquit, ad alia festa,  
In ferendis pro te muneribus

Speculabor, dum templum adies,  
Et baculo aetate senilis  
Sustentatus dicam millesies:  
Salve, infans puer et humilis.

5. Sed heu dolor, statim praedicetur:

Nam in signum, cui contradicetur,  
Eris, inquit, nec matri mitius  
Fiet, cujus animam gladius  
Pertransibit. Sic ergo passurum,  
Te attende atque moriturum,  
Sed sic volens, sic es passibilis,  
Nasci volens pauper et humilis.

6. Princeps praestans et pastor ovium,

Princeps pacis et pastor omnium,  
Princeps mundi, Herodes malignus,  
Tyrannide nos quaerit perdere  
Et barathri ad ima ruere,  
Sed succurre nobis, rex benignus,  
Propitius sis et placabilis,  
Natus pauper servus et humilis.

Brev. Bituricense imp. Venetiis 1481, post. Sanctorale.

7. Oratio ad Christum.

Ave, Jesu, cruciate  
Sub Pilato Pontio;  
Ave, Jesu, coronate  
Spinis in patibulo;  
Ave, Jesu, conclavate  
Manibus, vestigio;  
Ave, Jesu, vulnerate  
Lateris in medio;  
Ave, Jesu, morti date,  
Die surgens tertio;  
Jesu, plene pietate,  
Tuae mortis mentio  
Nobis in necessitate  
Fiat consolatio.

Horar. Anglican. ms. saec. 15. Cod. Londinens. Reg. 2 A XVII.

8. Ad Christum Oratio.

1. Rex, salvator saeculorum,  
Jesu Christe Domine,  
Qui cum Deo patre manes  
et cum sancto flamine,  
Opem mihi confer pius  
tuo medicamine.

2. Tua, Deus, me conservet  
praesens visitatio,  
Tua semper me defendat  
clemens obumbratio,  
Tua salvet me clamantem  
potens incarnatio.

3. Ex utero virginali  
carnalis egressio  
Me protegat atque tua  
sancta circumcisio,  
Me splendore pietatis  
lustret apparitio.
4. Per baptismum tuum, Christe,  
fac me frui gloria  
Jejunium tuum mundet  
ab omni nequitia,  
Me relevent atque salvent  
tua mirabilia.
5. Pia, Deus, amicorum  
tuorum electio  
Fiat mihi peccatorum  
cunctorum remissio,  
Ut gaudere tecum queam  
in coeli palatio.
6. Mors in cruce tua, Deus,  
et ingens angustia,  
Magnus dolor, quem es passus  
pietate nimia,  
Me supernae civitatis  
ducat ad consortia.
7. Tua, pie Christe Jesu,  
rex regum, redemptio  
Sit ubique praesens mihi,  
salus et defensio,  
Ut aeterno possim felix  
interesse gaudio.
8. Me triumphus ille magnus  
atque resurrectio,  
Me conservet tua, Christe,  
gaudens apparitio  
Et in coelum mirabilis  
ad patrem ascensio.
9. Tua clara, pie Deus,  
et ingens victoria,  
Tua magna sempiterna,  
quam habes, laetitia,  
Exoptata mihi reddant  
paradisi gaudia.
10. Paraclitus septiformis,  
quem tuis fidelibus  
Tribuisti dono patris  
de supernis sedibus,  
Me conservet et faciat  
frui bonis omnibus.
11. Sit ubique mihi, Deus,  
tua gubernatio,  
In adversis et prosperis  
tua consolatio,  
Muro tuo me circumda  
pius et auxilio.
12. Non me sinas violari  
tentationis laqueo,  
Sed extende manum tuam  
et protege clipeo,  
Ne demergar cum iniquis  
in Averni puteo.
13. In adventu tuo, Christe,  
fac, ut mea portio  
Tecum fiat in aeternum  
in coelesti gaudio,  
Ut te laudans et exsultans  
vitae fruar praemio.
14. Sit laus, virtus trinitati,  
decus et potentia,  
Imperium sempiternum,  
salus, honor, gloria  
Detque mihi sempiternae  
claritatis gaudia.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211.

### 9. Ad Dominum Jesum Christum.

1. Ave, Jesu, qui de Deo  
Deus natus es ab eo,  
Nobis missus coelitus;  
Ave, verbum Dei patris,  
Es conceptum alvo matris  
Luce sancti spiritus.
2. Ave, qui es homo natus  
Et in terris nobis datus  
Ad partum ex virgine;  
Ave, qui in sancta mente  
Saepe nasceris habente  
Fidem sine crimine.

- |  |   |
|--|---|
| <p>3. Ave, cui magi thesaurum<br/>Mysticum, myrrham, thus, aurum<br/>Libabant cum laudibus;<br/>Ave, qui eras portatus<br/>In templum atque oblatum<br/>Cum libis legalibus.</p> | <p>5. Ave, qui in coena victum<br/>Eucharistiae invictum<br/>Tuis dabas sociis;<br/>Ave, qui in ara crucis<br/>Passus eras mortem trucidis<br/>Ut agnus ex hostiis.</p> |
| <p>4. Ave, qui aquam in vinum<br/>Mutasti, architriclinum<br/>Sic laetificaveras;<br/>Ave, qui panibus quinis<br/>Atque de piscibus binis<br/>Turbas satiaveras.</p>             | <p>6. Ave, qui resurrexisti,<br/>Ut leo vivens vicisti<br/>Vincula hostilia;<br/>Ave, polos qui petisti<br/>Et ut aves ascendisti,<br/>Duc nos ad coelestia.</p>        |

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824 saec. 15. A. — Orat. ms. Tegurin. saec. 15. Clm. Monacen. 20001. B. — 3, 2 thus et aurum A. — 6, 4 polos qui fecisti AB.

### 10. Ad Christum oratio.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. O Messia,<br/>De Maria<br/>Natus alma virgine,<br/>Qui purgasti<br/>Et salvasti<br/>Mundum tuo sanguine,</p>       | <p>3. Rex aeternae,<br/>Pius cerne<br/>Supplices intuitu<br/>Et illustra<br/>Corda nostra<br/>Tuo sancto spiritu.</p>  |
| <p>2. Pius esto<br/>Et memento,<br/>Quid pro nobis feceris,<br/>Pro indignis<br/>Et malignis<br/>Quanta sustinueris.</p> | <p>4. Pastor bone,<br/>A leone<br/>Tuas oves libera<br/>Et cum illis,<br/>Qui in coelis<br/>Gaudent, nos adnumera.</p> |

Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3 saec. 15. — Das kurze Gedicht schließt unmittelbar an das Lied Ave nate Dei vivi fol. 222a an, zu dem es aber nach Inhalt und Form nicht gehört, auch sonst (vgl. fol. 240) sich nicht findet.

### 11. Ad Christum Oratio.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Ave, Jesu, splendor patris,<br/>Ave, flos Mariae matris,<br/>Verbum patris increatum,<br/>Alvo matris incarnatum,<br/>Dulcis vitalisque fructus,<br/>Medicina nostri luctus,<br/>Morbos fuga, da virtutem<br/>Mentis, corporis salutem.</p> | <p>2. Ave, sol aeternitatis,<br/>Rex regum, rex majestatis,<br/>Princeps summae largitatis,<br/>Vultu tuae bonitatis<br/>Respice super egenum<br/>Omni foeditate plenum,<br/>Larga manu da petenti<br/>Et ostende te quaerenti.</p> |
|---|---|

3. Solum quaero te dilectum  
Intra cordis mei lectum,  
Non declines sed intende,  
Mihī faciem ostende,  
Quae est plena gratiarum,  
Omnium deliciarum,  
Quem videre est amoenum,  
Nam suavitate plenum.
4. Ave, Jesu, panis vivus,  
Melos, odor, mellis rivus,  
Ave, Jesu, pacis donum,  
Salus, honor, summum bonum,  
Verus Deus, verus homo,  
Tibi psallo, tibi promo,  
Te collaudo voce, voto,  
Ore, cordis nisu toto.
5. Ave, decus angelorum  
Gaudiumque supernorum,  
Via, veritas et vita,  
Lux in coeli regno sita,  
Jesu, pacis mediator,  
Tu redemptor ac creator,  
Semper tu amabilis,  
Totus desiderabilis.
6. Ave, speculum sanctorum  
Et corona beatorum,  
Jesu, pater orphanorum  
Et mundator peccatorum,  
Te adorans in te credo,  
Amor, jūbilus, dulcedo,  
Ad te clamo toto corde,  
Criminum me munda sorde.
7. Ave, agnus immolatus,  
Tamquam latro judicatus,  
Duris spinis coronatus,  
Nudus, caesus, vulneratus,
- Passus es, ne patiamur,  
Mortuus, ne moriamur;  
Agne Dei, tu spes rei,  
Miserere pie mei.
8. Jesu, agonista fortis,  
Memor esto tuae mortis;  
Mors aeterna non me gravet,  
Sanguis tuus foedum lavet,  
Mundans intus me ac foris,  
Et tu, Jesu, fons amoris,  
Cordis tui de piscina  
Mihī poculum propina.
9. Cujus haustu creatorem,  
Dulcem meum redemptorem,  
Diligam te super cuncta  
Proximumque lege juncta;  
Jesu, mi dilecte, audi  
Intendentem tuae laudi  
Caritate cum perfecta,  
Cum spe firma, fide recta,
10. Sincera cognitione,  
Intima contritione  
Puraque confessione  
Oleique unctione,  
Virtutum perfectione,  
Tua consolatione,  
Dextra tua me defende  
Fove, rege, cor accende.
11. Confer mihi finem bonum,  
Ut per hoc salutis donum  
Merear te summum bonum  
Ac coelestis regni thronum;  
Vita, salus, mundi vere,  
Jesu, mei miserere;  
Hoc confer salutis munus,  
Qui regnas trinus et unus.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 2, 7 manu te petenti.

## 12. Novena gratiarum actio.

1. Ad beatæ trinitatis  
Simplicisque deitatis  
Sempiternam gloriam  
Recolendo, Jesu Christe,  
Cujus laudis hymnus iste  
Personat victoriam,
2. Grates tibi pro tuorum  
Reddo beneficiorum  
Nobis facta gratia,  
Orans, ut, qui minus grati  
Tibi, simus excusati  
Pro tua clementia.

3. Jesu pie, Jesu bone,  
Qua possum devotione,  
Te rogo suppliciter,  
Corda nostra ad orandum  
Et os ad te salutandum  
Aptes efficaciter.
4. Primum ergo te laudare  
Decet ab hoc et amare,  
Quod de carne virginis  
Incaruari voluisti,  
Incaruatus induisti  
Veri formam hominis.
5. Propter hanc humilitatem,  
Qua sic tuam majestatem  
Inclinasti, Domine,  
Fac nos tibi semper esse  
Humiles ut est necesse  
Et mundos a crimine.
6. Nunc secundo collaudandus  
Et a cunctis praedicandus  
Es, Jesu dulcissime,  
Quod cum Deus ab aeterno  
Sis cum patre, de materno  
Virginis castissimae
7. Es dignatus ventre nasci  
Et ejusdem lacte pasci  
Natus mirabiliter.  
Per illam nativitatem  
Da, ut tuam claritatem  
Cernamus perenniter.
8. Tertio nunc honorari  
Debes et magnificari,  
Christe, a fidelibus  
Eo quod in mundo natus,  
Circumcisis, adoratus  
Magorum muneribus,
9. Templo patri praesentatus,  
Baptizatus et temptatus,  
Clarus in miraculis,  
Jejunasti, laborasti,  
Discurrendo praedicasti  
Verbum vitae parvulis.
10. Quarto tibi grates ago,  
Splendor patris et imago,  
Pro poenis innumeris,  
Quas in carne consecrasti,  
Post et antequam portasti,  
Crucem sacris humeris.
11. Te Judaei flagellabant  
Et acerbis vulnerabant  
Flagris crudelissime,  
Te frementes conspuebant,  
Deridentes illudebant  
Tractando vilissime.
12. Tibi vultum velaverunt  
Colaphisque ceciderunt  
Faciem clarissimam,  
Tibi vestes detraxerunt,  
Spoliantes nudaverunt  
Carnem sacratissimam.
13. Tibi crucem praeparantes  
Et in ipsam te levantes  
Blasphemando nequiter,  
Inter fures suspenderunt,  
Manus, pedes confixerunt  
Cruci clavis fortiter.
14. Caput spinis coronatur,  
Latus tibi perforatur  
Et inflicto vulnere,  
Totus poenis es afflictus,  
Morti dirae es addictus  
Pro humano scelere.
15. Per plagas, quas pertulisti,  
Per cruorem, quem fudisti,  
Te rogo, rex gloriae,  
Ut qui fons es pietatis,  
Nobis dones de peccatis  
Spem et actum veniae.
16. Quinto tibi laus est danda,  
Mundi salus adoranda,  
Quod morte ad inferos  
Jam devicta descendisti  
Et captivos redemisti  
Liberando miseros.



17. In sepulchro jacuisti,  
Sed ad vitam surrexisti  
De morte post biduum;  
Vitam nobis morituris,  
Regnum nobis surrecturis  
Concede perpetuum.
18. Sexto tibi reddo grates,  
Qui, ut praedixerunt vates,  
In coelum ascenderas,  
Quod tunc vere complexisti,  
Cum in coelum transvexisti  
Carnem, quam assumpseras.
19. Per illam ascensionem  
Et tuam per sessionem  
In paterna dextera,  
Fac nos ad te transportari  
Et post mortem gloriari  
Tecum super aethera.
20. Septimo laus tibi detur  
Et semper continuetur  
Omnibus in saeculis  
Propter donum, quod electis  
Tuis sanctis et dilectis  
Misisti discipulis.
21. Sanctum eis qui dedisti  
Spiritus, quos docuisti  
Loqui linguis omnium,  
Tuum nobis sanctum flamen  
Dona, precor, ut tutamen  
Contra fraudes hostium.
22. Octavo tu venerandus  
Et obnixè praedicandus  
Es, redemptor omnium,  
Ut cum dies erit durus,  
Quando crederis venturus  
Esse ad iudicium,
23. Ubi facta singulorum  
Tam bonorum quam malorum  
Pensabis aequissime,  
Horum, quibus dices Ite,  
Non simus tunc, sed Venite  
Dic nobis dulcissime.
24. Nono laude hac es dignus,  
Christe, quod tu es benignus  
Vere poenitentibus,  
Fidem tuam qui professi  
Et peccata sunt confessi,  
Reddis cum operibus.
25. Nobis fidem praebe veram,  
Caritatem da sinceram  
Et spem certam tribue  
Et mundatos a peccatis  
Nos in regno claritatis  
Post mortem constitue.
26. Jesu pie, Jesu bone,  
Qua possum devotione  
Te rogo suppliciter,  
Corda nostra ad orandum  
Et os ad te salutandum  
Aptes efficaciter.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Meten. 571. A. — Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571. B.

### 13. Oratio devota et compunctiva.

1. Ave regis angelorum,  
Dei patris unice,  
Mundi faber et coelorum  
Rex et rector fabricae,  
Jesu, vota miserorum  
Te laudantum respice.
2. Aequum est et salutare,  
Te laudare dominum,  
Cui laudes dignas dare  
Nullus potest hominum,  
Duxi tamen te laudare  
Homo plenus criminum.
3. Homo miser et malignus,  
Plenus omni scelere,  
Tibi, Jesu, non sum dignus  
Vota laudum solvere,  
Sed es clemens et benignus,  
Noli me contemnere.
4. Te adoro, mi creator,  
Tuo factus numine,  
Te collaudo, mediator,  
Tuus vocor nomine,  
Te saluto, mi salvator,  
Tuo emptus sanguine.

5. Salve, fili Dei Deus,  
Splendor patris gloriae,  
Vita mea, Deus meus,  
Amor et deliciae,  
Tibi laudes licet caenus  
Cantabo quotidie.
6. Ave, fuga tenebrarum,  
Solis lux et siderum,  
Jesu, salus animarum,  
Medicina scelerum,  
In hac valle lacrimarum  
Respice me miserum.
7. Vale, vita beatorum,  
Jesu, pacis visio,  
Via vitae, spes lapsorum,  
Reorum redemptio,  
Ad te miser peccatorum  
Mole pressus fugio.
8. Jesu, virtus deitatis,  
Patris sapientia,  
Tu es dextra majestatis,  
Par patris potentia,  
Auctor universitatis,  
Rex et regens omnia.
9. Tu es splendor et figura  
Paternae substantiae,  
Verbum factum caro pura,  
Carnis carens carie,  
Et creator creaturae  
David ex progenie.
10. Tu es mitis et severus,  
Humilis altissimus,  
Agnus mitis, leo ferus,  
Clementer justissimus,  
Deus fortis, homo verus,  
Potenter piissimus.
11. Tu es judex veritatis,  
Fons tamen clementiae,  
Deus fortis, judex pacis,  
Rex tamen justitiae,  
Vindex justus pravitatis,  
Vena tamen veniae.
12. Tu es novae lator legis  
Et largitor veteris,  
Rex et natus summi regis,  
Descendens a superis  
Ovem ad ovile gregis  
Portas tu in humeris.
13. Tu peccati poenitudo,  
Reatus remedium,  
Tu erroris rectitudo,  
Doloris refugium,  
Tu amoris plenitudo,  
Pudoris connubium.
14. Tu es pacis gratitudo,  
Amoris justitia,  
Tu in via fortitudo,  
Praemium in patria,  
Sanctorum beatitudo,  
Angelorum gloria.
15. Tu es legis plenitudo,  
Gratiae tu largitas,  
Fidei tu fortitudo,  
Tu spei profunditas,  
Caritatis latitudo,  
Via, vita, veritas.
16. Tibi, Jesu, creatori  
Detur benedictio,  
Tibi, Jesu, salvatori  
Gratiarum actio,  
Tibi, Jesu, redemptori  
Honor et salvatio.
17. Tibi, Jesu, confiteri  
Bonum est et psallere,  
Modus cujus est mederi,  
Usus est ignoscere,  
Jus naturae misereri  
Et voluntas parcere.
18. Non est onus ita grave  
Ut peccati sarcina,  
Corpus enim premit prave,  
Cordis caecans lumina  
Mentem ducit in vae a vae  
Et offendit numina.

19. Heu, quid agam, toti mundo  
Vilescens obsurdui,  
Coetu coeli laetabundo  
Non sum dignus perfrui,  
Solam Stygis in profundo  
Mansionem merui.
20. Omnem mundum maculavi  
Meam per libidinem,  
Tanta mala perpetravi,  
Quod ob multitudinem  
Intueri jam expavi  
Coeli celsitudinem.
21. Quos infeci, me diffamant  
Aer, tellus, maria,  
Accusantes me proclamant,  
Cor et conscientia,  
Et quos amo, me non amant,  
Sed nec caro propria.
22. Vilis atque vitiosus  
Cunctis sum viventibus,  
Horror, stupor et exosus  
Brutis et hominibus,  
Et amicis onerosus,  
Fuga fio fratribus.
23. Me mirante cum stupore,  
Cum tanta miseria,  
Me adjicit cum moerore  
Mens malorum conscia,  
Quod offenso creatore  
Offenduntur omnia.
24. Ecce, qui te creatorem  
Offendisse videor,  
Adsum et me peccatorem  
Coram te confiteor  
Ac me negans, ut errorem  
Emendam, polliceor.
25. Nam non solum morti datus  
Intra domum jaceo  
Neque tantum deportatus  
Extra portas putreo,  
Sed jam diu tumultus  
Putrefactus foeteo.
26. Sum peccator criminosus,  
Elatus et avidus,  
Leno quidem et gulosus,  
Iracundus, invidus,  
Segnis et acediosus,  
Totus olens, horridus.
27. Sum peccator sorde plenus  
Septiformis vitii,  
Perpetravi omne genus  
Faecis et flagitii,  
Totus olens et obscaenus  
Sponte lapsus perii.
28. Sum peccator et avarus  
Saturari nescius,  
Parcus, tenax et amarus,  
Irascens et anxius,  
Boni expers et ignarus  
Omnis mali conscius.
29. Sum peccator et impurus,  
Vilis, horrens, horridus,  
Sum distractor et perjurus,  
Mendax, fallax, perfidus,  
Mente ferox, corde durus,  
Contumax et turbidus.
30. Sum peccator, sum iniquus,  
Impius, impatiens,  
Litis auctor, inimicus  
Pacis, inobediens,  
Sum infelix illa ficus  
Fructum ferre nesciens.
31. Voto atque cogitatu,  
Corde, ore, opere,  
Aure, gustu, odoratu,  
Manu tangens temere,  
Quando reus sum reatu,  
Nesciens deponere.
32. Curam carnis semper egi,  
Vota cordis condidi,  
Adversando semper legi,  
Caritatem perdidici,  
Sed si quando fidem fregi,  
Semper in te credidi.

33. Sono, nutu et per signa  
Perpetravi noxia,  
Magna nimis et maligna  
Commisi flagitia,  
Quae narratu sunt indigna,  
Numeratu nimia.
34. Peccans in spe provocavi  
Te ad iracundiam,  
Nunquam tamen desperavi  
Nec despero, quoniam  
Nomen tuum non negavi  
Nec misericordiam.
35. O spes mea, Jesu bone,  
Fons misericordiae,  
Adsis mihi in agone  
Instantis angustiae,  
Da solamen et depone  
Nubem diffidentiae.
36. Fili Dei, Jesu pie,  
Deus, qui fecisti me,  
Fili virginis Mariae,  
Homo redemisti me,  
Geminae gigas usiae,  
Salvator, exaudi me.
37. Verbi tui dulcis oris  
Memento, quod dixeris:  
Nolo mortem peccatoris,  
Sed ut viam sceleris  
Derelinquat, et erroris  
Obliviscar veteris.
38. Me, creator, convertentem  
Miserator suscipe,  
Me, redemptor, poenitentem  
Ignoscendo eripe,  
Me, salvator, confitentem  
A peccatis eripe.
39. Qui peccantem convertisti  
Me ad poenitentiam  
Et converso contulisti  
Confidendi gratiam,  
Confidenti corde tristi  
Non negabis veniam.
40. Dulcis Jesu, qui es natus  
Ex Maria virgine,  
Verus homo, qui es datus  
In cruce pro homine,  
Sordes meas et reatus  
Terge tuo sanguine.
41. Memento, quod carnis jura  
Nostraequondam sumpseris,  
Quod creator creatura  
Pro nobis efficeris  
Et quod factor pro factura  
Mortem crucis tuleris.
42. Deus unus tu et pater  
Cum sitis essentia,  
Et te parit mihi mater,  
Virgo viri nescia,  
Deus meus es et frater  
In carnis substantia.
43. Si me mei creatoris  
Abhorret divinitas,  
Fratris mei salvatoris  
Non odit humanitas,  
Nec me mei redemptoris  
Negabit benignitas.
44. Memor esto, quod creando  
Me fecisti filium  
Et te mihi haec mirando  
Fratrem facis proprium,  
Ne me perdas condemnando  
Mortis tuae pretium.
45. Quia plecti, quae peccavi,  
Per me non sufficio,  
Indulgebit, quod erravi,  
Patris miseratio,  
Et quas poenas comparavi,  
Solvat fratris passio.
46. Apud patrem plus meretur  
Insonis justitia,  
Apud te plus, ut videtur,  
Potest poenitentia,  
Nam quod a te plus ametur,  
Probant subsequencia.

47. Numquid merita sanctorum  
Sanctitatis opere,  
Annon amor miserorum  
Lugentum in carcere  
Te coegit, rex coelorum,  
Ad terram descendere?
48. Potest insons te factorem  
Aliquis inspicere,  
Sed te reus redemptorem  
Potest plus diligere,  
Cum sis amor, amatorem  
Non potes repellere.
49. Nam te teste tu dixisti,  
Non justos ad gloriam  
Ut vocares, non venisti,  
Sed ad poenitentiam  
Peccatores, quos traxisti  
Per amoris gratiam.
50. Plus amare nunc probatur,  
Cui plus dimittitur,  
Et plus amans plus amatur;  
Cur? quia redimitur,  
Nam quod care comparatur,  
Carius diligitur.
51. Age, Jesu, quaeso mitis,  
Qui errantes respicis  
Et conversis et contritis  
Te dare non despicias,  
Miserere Sunamitis,  
Sed jam tui supplicis.
52. Jesu, meta medicinae,  
Miserum me visita  
Et a vinclo mortis trinae  
Me foetentem suscita  
Et da vitam sine fine  
Pietate solita.
53. Mihi reo miserere  
Atque cunctis miseris,  
In praesenti nos tuere  
Et post diem funeris  
In futuro fac gaudere  
Perpetim cum superis.

Orationale ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 11, 1  
veritatis iudex. — 24, 5 et errorem. — 52, 1 medicina.

#### 14. De Nativitate et Morte DN.

1. Ave, Jesu dulcissime,  
Verbum patris altissime,  
Quam speciali gloria  
Hominem tu decorasti,  
Qui in claustro sanctissimae  
Virginis ac piissimae  
Sancti spiritus gratia  
Praevia te incarnasti.
2. O res mirabilis  
Atque laudabilis  
Cunctis dulcisona,  
Homo conjungitur  
Deo et unitur  
In una persona.
3. Ave, Jesu,  
lux indeficiens,  
Fons aeternus  
cuncta reficiens.
4. Quamque gratiose  
Et quam fructuose  
Mundum recreasti,  
Quando de virgine  
Lumen de lumine  
Nasci voluisti.
5. O quam gloriosa  
Atque gaudiosa  
Dies apparuit,

- In qua pretiosa  
Atque radiosa  
Gemma resplenduit.
6. Ave Jesu,  
cunctis benignior,  
Mors te tamen  
premit amarior.
7. Homo, vide  
quid pro te patitur  
Jesus Christus,  
qui pro te moritur,  
Vide crucem,  
cui affigitur,  
Vide clavos,  
quibus confoditur.
8. Vide latus  
pro te lanceatum,  
Vide caput  
spinis coronatum.
9. Si tu compateris,  
Quaecunque pateris,  
Sunt tibi dulcia;  
Sic tamen inspice  
Et nunquam respice  
Vana solatia.
10. Quare miles  
vacat deliciis  
Regem cernens  
tantis opprobriis?
11. Cur hic gaudes et laetaris  
In hac valle miseriae,  
Nonne vides et miraris,  
Quae patitur rex gloriae?
12. Hic est Deus,  
qui tanta patitur,  
Ecce, vita  
pro nobis moritur.
13. Ave dies terribilis,  
Angelis admirabilis,  
In quo creator patitur,  
Deus et vita moritur.
14. Ave, Jesu Christe,  
vita beatorum  
Resurrectioque,  
gloria sanctorum,  
Sicut moriendo  
mortem destruxisti,  
Ita resurgendo  
vitam reparasti.
15. Ave, Jesu Christe,  
gloria coelorum,  
Fidelium vita,  
salus peccatorum,  
Juxta patrem sedes  
in throno regali,  
Decoratus carne,  
stola corporali.
16. Super coelos cunctos  
terra sublimatur,  
Super thronos coeli  
homo coronatur.
17. O quis unquam  
audivit talia,  
Homo regnat  
in coeli curia,  
Quem tenebat  
mors in miseria;  
Modo nova  
facta sunt omnia.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. Mit der Bemerkung:  
„Hanc orationem fecit S. Augustinus et quotidie oravit.“ — 2, 4 jungitur. —  
17, 5 Quem prius tenebat. — Das Lied ist in Sequenzform geschrieben, jeden-  
falls älter als seine Quelle, wohl aus dem 13., spätestens 14. Jahrhundert  
und wahrscheinlich französischen Ursprungs. 7, 1 imitiert auffallend das  
Homo, vide, quae pro te patior des Philippus de Grevia.

15. *Dominia 1. Quadragesimae.*

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Salve, dux jejunii,<br/>         Jesu eremita,<br/>         Reddo pensum munii,<br/>         Veritas et vita;<br/>         Panibus angelicis<br/>         Cum favis me coelicis<br/>         Pavisti gratanter,<br/>         Jam ad montem Sinai<br/>         Et Horeb, Adonai,<br/>         Deducas amanter.</p> <p>2. Salve, pugil inclite,<br/>         Perpes triumphator,<br/>         Perfers ferae perditae<br/>         Tela, consolator;<br/>         O ignitis jaculis<br/>         Tuis sacris pabulis<br/>         Dones reluctari,<br/>         Nam tuis militiis<br/>         His fretus divitiis<br/>         Volo gloriari.</p> | <p>3. O dux poenitentiae,<br/>         Jesu, Christianae,<br/>         Veni, rex clementiae,<br/>         O Samaritane,<br/>         Et quem his vigiliis<br/>         In precum consiliis<br/>         Mihi lucubrasti,<br/>         Jam fumus aromatis<br/>         Igne scandet pneumatis<br/>         Ara cordis casti.</p> <p>4. O te laudum milibus<br/>         Laudo, laudo, laudo,<br/>         Tantis mirabilibus<br/>         Plaudo, plaudo, plaudo;<br/>         Gloria sit, gloria,<br/>         Amanti memoria<br/>         Domino in altis,<br/>         Cui ministeria<br/>         Dantur et praeconia<br/>         Coelicis a psaltis.</p> |
|---|---|

Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1. — 1, 9 Et orbe. —  
 3, 5 Et quam.

16. *De Vita et Passione DN.*

1. Quod res enumerat condigno nulla canore,  
 Semper id exstiterat et ab ingenito genitore  
 Verbum prodierat, sed tempore posteriore  
 Fit, quod non fuerat, immunis quoque decore.
5. Cerni non poterat, nam viscera casto tumore  
 Pneuma potens onerat; sic humano sine more,  
 Quam vir non temerat, haec sola potitur honore,  
 Ut non, quae generat, privetur virgo pudore.  
 Sic Deus aequiparat se nobis carnis humore,
10. Nec tamen huic inerat scelus aut dolus in ore,  
 Verba docens iterat signorum clara nitore.  
 Hunc poenis lacerat Judaea repleta furore.  
 Plasmatis haec tolerat plasmator ductus amore,  
 Mors mortem superat, effuso namque cruore
15. Infernum reserat, ex caceris ipse tenore  
 Ut vinctos referat, vitae redeunte valore.  
 Postquam dormierat, a mortis rite sopore  
 Surgit et accelerat victo super astra labore.

Cod. Virunen. perg. 24. saec. 14. — 1, 1 condigna nullo. — 13. Plasmans  
 hic tolerat Hs,

17. De Passione Domini.

1. Ave, nate Dei vivi,  
De quo quini fluunt rivi,  
Divis stillis cruentati,  
Rore poenarum potati,
2. Ave, vulnus salvatoris,  
Quod cervicem peremptoris  
Contrivisti in Thau signo,  
Mortem vincens vitae ligno.
3. Ave, vulnus dextrae manus,  
Per quod nostrae culpaehamus  
Est disruptus, quem in pomo  
Primus glutivit Adam homo.
4. Ave, vulnus manus laevae,  
Per quod scalam lucis aevae  
Nobis pie ostendisti,  
Dum te figi spondidisti.
5. Ave, vulnus dextri pedis,  
Quod ad vitam coelestis aedis  
Hinc nos ducis consolatos,  
Fide Christi praesulatos.
6. Ave, vulnus pedis laevi,  
Per quod daemones fraudaevi  
Corruerunt, flentes rei  
Sed nos dati sanctae spei.
7. Ave, Christi corpus gratum,  
Duris plagis vulneratum,  
Per hoc sacrosanctum caesum  
Duc nos, rex, ad poli esum.
8. Ave, sanguis genere,  
Fons dulcoris pretiose,  
Rigas nos contritione  
Cordis ac devotione.
9. Avete, vos plagae binae  
Ducentinae mille quinae  
Minus una, purpurantes  
Corpus regis et rigantes.  
\* \* \*
10. Sputa, quae te foedaverunt,  
Nostra peccata laverunt  
Piando salubriter,  
Alapae, quae te ceciderunt,  
Omnibus promeruerunt  
Vivere feliciter.
11. Ave, flagellatio,  
Totius cruentatio  
Corporis Jesu Christi;  
Nostra consolatio  
Sis et liberatio  
A nece praetristi.
12. Alligaris statuae,  
Verberaris strenue  
Manu impiorum,  
O Christe, quam arduae  
Plagae sunt et mutuae  
Per corpus decorum.
13. Per plantas et verticem,  
Digitos et pollicem  
Salutis cruor manat,  
Dorsi superficiem,  
Qui totam planitiem  
Carnis ejus lavit.
14. Ave, spinarum punctio,  
De qua fluit unctio  
Mundi medicina,  
Sis cordis compunctio  
Et oris devotio,  
O beata spina.
15. Distillantes rivuli  
Pro salute populi  
De capite dominico  
Peccatorum tumuli,  
Meritorum cumuli,  
Fiant supplicatio.
16. Salvete, vos clavi rubri,  
Pro nostra vita salubri  
Infixi feliciter,  
O clavi praeclari  
Christi Dei cari,  
Vos oro suppliciter,  
Ut me jucundari  
Simul et beari  
Juvetis feliciter.
17. Salve lanceatio,  
Lateris perforatio  
Nostri redemptoris,



- Me illuminare,  
 Domine, dignare  
 Tuo lumine,  
 Ut tecum regnare  
 Queam et laudare  
 Te sine fine.
18. Salve depositio  
 Christi jam defuncti  
 De crucis patibulo  
 Et myrrha peruncti;
- Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 52 d 11. saec. 15. — 1, 3 stellis. —  
 3, 2 culpae onus. — 13, 5 Quae tota. — 15, 6 Fiant nobis. — 16, 1 rubei. —  
 18, 4 mirra puncti.

Deposito scelere  
 Me orna virtutibus,  
 Ut possim convivere  
 Angelis coelestibus.

19. Alma Christi passio,  
 Mea consolatio  
 Sis mortis in hora,  
 Ut hostis temptatio,  
 Falsa comminatio  
 Cesset sine mora.

### 18. De passione Domini Oratio.

1. Salve, Jesu, salus mea,  
 Crucifixus a Judaea  
 Crucis in patibulo,  
 Qui livore dirae gentis  
 Pro me datus es tormentis  
 Judaeorum calculo.
2. Et hoc totum fit pro pomo,  
 Quod praesumpsit primushomo  
 Manu temeraria;  
 Ne periret creatura,  
 Tu, creator, inde dura  
 Pateris supplicia.
3. Pro me totus perforatus,  
 Pro me totus saturatus  
 Poenis et opprobriis;  
 In te latens illud aurum  
 Mihi fundis in thesaurum  
 Manibus et pedibus.
4. Vertex spina cruciatus,  
 Clavo manus, pedes, latus  
 Cuspидis aculeo;  
 Vulnus istud omnes sanat,  
 Unde nobis unda manat  
 Liquore sanguineo.
5. O quam felix apertura,  
 Quae per aevum permansura  
 Nobis regna aperit,  
 Pretiosus iste sanguis,  
 Per quem victus fuit anguis,  
 Se confusum reperit.
6. Nunc te cerno Christum Jesum,  
 Passum, tractum, sputum, caesum  
 Atque plagis lividum,  
 Ne punirer flammis atris,  
 Exspirans in manus patris  
 Pro me tradis spiritum.
7. De te clamat Jeremias:  
 O vos omnes, qui per vias  
 Transitis, attendite,  
 Si est dolor huic dolori,  
 Quo compellor ita mori,  
 Similiis, adspicite.
8. Circuire possum polum,  
 Mare magnum atque solum,  
 Te neque reperio,  
 Nisi sola crucis ara,  
 In qua pati tot amara  
 Fecit te compassio.
9. Ibi pascis, care meus,  
 Ibi dormis, alme Deus,  
 Cubans in meridie,  
 Exprobratus, subsannatus,  
 Totus membris cruentatus  
 A filiis perfidiae.
10. Ibi pro me flagellaris  
 Ibi pro me lacrimaris  
 Sed felici lacrima;  
 Funde fontem lacrimarum,  
 Fac, ut per te sit amarum  
 Cor et tristis anima.

- |  |  |
|--|--|
| <p>11. Absit mihi gloriari<br/>Nisi cruce singulari,<br/>Ubi vera gaudia;<br/>Pelle morbum, da salutem,<br/>Fuga crimen, da virtutem,<br/>Pia crucis hostia.</p> <p>12. Te salvante sim salvatus,<br/>Te vocante sim vocatus<br/>Dono sancti spiritus;</p> | <p>Tu qui donas omne donum,<br/>Dona mihi finem bonum<br/>Et felicem exitum.</p> <p>13. Jesu dulcis, esto mecum,<br/>Sume, precor, vota precum,<br/>Natus alma virgine;<br/>In hoc mundi tristi salo<br/>Me ab omni serva malo,<br/>Salus mea, Domine.</p> |
|--|--|

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351. A. — Orat. ms. Palatin. Vindobonen. 4106 saec. 15. B. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19686 saec. 15. C. — 1, 5 Diu dolens in BC. — 1, 6 Moreris pro populo BC. — 3, 3 Opprobriis omnibus BC. — 3, 4 Inde latens A. — 3, 5 Mihi sanctum in thesaurum A. — 4, 1 Vectes spinas A. — 4, 2 Clavos A. — Str. 6 ist in A also erweitert:

Hic te passum cerno Jesum,  
Tractum, vinctum, flagris caesum  
Trucibus tortoribus;  
Hic te cerno denudatum  
Et in crucem sublevatum  
Peccatorum manibus,  
Spinis caput coronatum,  
Vultum sputis maculatum  
Et plenum livoribus,  
Totum corpus cruentatum,  
Hasta latus perforatum  
Et cruoris exitum  
Et te patri commendatum  
Cerno, caput inclinatum  
Pro me tradens spiritum.

7, 5 Qui compellit B. — 8, 2 sive solum A. — 8, 3 Nisi te reperio BC. — 8, 4 Haec est sola crucis BC. — 9, 1 Ubi pateris care BC. — 9, 3 Cubas A. — 9, 4 ff. fehlen A. — 9, 5 Totis C. — 10, 1 Sic tu pro me BC. — 10, 2 Et in cruce lacrimaris BC. — 10, 3 felices lacrimae A. — 10, 4 Tu de fonte A. — 10, 5 ut pro me sit A. — 11, 2 in cruce C. — 11, 3 gloria BC. — 12, 1 Te vocante sum vocatus A. — 12, 2 Te sanante sum sanatus A. — 12, 3 Pietatis gratia A; lies: Dona sanctum spiritum? — 14, 4 ff. stehen hinter Str. 13 A. — 12, 5 Mihi dona A. — 12, 6 Et salutem animae A. — 13, 4 In hoc tristis vitae A. — 13, 5 Me defendas hoste malo A.

### 19. De Passione DN.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Benedictus Christus Deus,<br/>Crucifixus amor meus,<br/>Quem suspendit vir Iudaeus<br/>In crucis patibulo;<br/>Captus, ductus et ligatus,<br/>Exprobratus, vulneratus,<br/>Lanciatus, morti datus<br/>Exstitit pro populo.</p> | <p>2. O Jesu, lux et dulcedo,<br/>In quo spero, vivens credo,<br/>Gratulanter tibi me do,<br/>Fons beatitudinis;<br/>Crucifixus pro me doles,<br/>Qui dolere nunquam soles,<br/>O miranda sacra proles<br/>Gloriosae virginis.</p> |
|--|--|

3. Stans in cruce pependisti,  
Pro me sanguinem fudisti,  
Quem a morte redemisti  
Dolens amarissime;  
Pro peccatis tuae gentis  
Membris undique distentis,  
Totus pendes in tormentis,  
O Jesu dulcissime.
4. Dona mihi cor amarum,  
Quasi fontem lacrimarum,  
Ut tuarum sim poenarum  
Particeps et socius;  
Cor pungatur prae dolore  
Et sic languens in amore  
Tuo zelo novo more  
Sit ardens interius.
5. Tu, qui amor es amorum,  
Qui fuisti vir dolorum,  
Pro me plenus tormentorum  
Pendens in angustia;  
Me prudenter fac dolere,  
Cum Maria fac me flere,  
Tua tecum portem vere  
Maxima supplicia.
6. Tu, qui cunctis dominaris,  
Stans in cruce lacrimaris,  
Contristatus cruciaris,  
O fons innocentiae;  
Ibi dormis, alme Deus,  
Pro me passus, qui sum reus,  
Justus meus Nazareus,  
Cubas in meridie.
7. Possum valde procul ire,  
Mare terras circumire,  
Nec te possum invenire,  
Jesu lux clarissima,  
Ni in sola crucis ara,  
In qua passus es amara,  
Via, veritas praeclara  
Et vita dulcissima.
8. Redemisti nos labore  
Cum sanguineo sudore  
Lacrimatus cum clamore  
Longo cruciamine;
- Tu, qui nostrum ob amorem  
Suffers poenam et dolorem,  
Fac audire nos clamorem,  
Quo clamasti, Domine.
9. Fac cor sanguine liniri,  
Cruce fac exinaniri,  
Tuis plagis amiciri,  
Cor ardescat funditus;  
Vulneratum, perforatum,  
Cruentatum, immolatum,  
Inflammatum, morti datum,  
Sic absorptum coelitus.
10. Praesens utinam fuissem,  
Ut pendentem te vidissem,  
Lamentando te flevissem  
Cum sacrata virgine;  
Te fuissem complexatus,  
Tuas plagas osculatus,  
Totus forem rubricatus  
Pretioso sanguine.
11. Te flevissem flagellatum,  
Dire nimis cruentatum,  
Derisive coronatum,  
Sed corona spinea;  
Derelictum, desolatum,  
Tuum caput inclinatum,  
Pectus dire lanceatum  
Militari lancea.
12. O me utinam Judaei  
Condemnassent hujus rei,  
Sociassent me sic ei  
Sumpto fellis poculo;  
Adspexissem sacras venas,  
Coelico cruore plenas,  
Et ornassem meas genas  
In cruoris rivulo.
13. Sic me secum crucifixum  
Suspendissent penes ipsum,  
Ibi tempus per prolixum  
Stantem in martyrio,  
Nostras sordes abluentem,  
Ut salvaret omnem gentem,  
Totum sanguinem fundentem  
Cordis desiderio.

14. Sanguis capitis cruenti,  
Da salutem omni genti  
Te devote recolenti  
Cum benevolentia;  
Sanguis pectoris sacrati,  
Dele maculas peccati,  
Fac, ut simus nos beati  
In coelesti patria.

15. Sanguis manuum sacrarum,  
Molem dilue culparam,  
Pellas hoc, quod est amarum,  
Duc nos ad coelestia;  
Sanguis pedum sacratorum,  
Dele morbos infirmorum,  
Nos perducas ad coelorum  
Regna tam sublimia.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Mantuan. E I 27. A. — Orat. ms. Pollingense saec. 15. C. Clm. Monacen. 11917. B. — Cod. Oxorien. Miscell. Liturg. 159. saec. 15. C. — 1, 3 suspendit mihi Judaeus B. — 2, 2 spirans vivo C; sperans vivo B. — 3, 3 quem amare redemisti BC. — 4, 4 pro dolore B. — 4, 5 languens ex dolore B. — 4, 6 more fehlt B. — 5, 2 Quae fuisti vis dolorum B. — 5, 5 Me pendere fac A. — 5, 7 Tua mecum C. — 5, 8 Mansura supplicia B. — 6, 3 Tristatus cruciaris B. — 7, 5 Nisi in sola BC. — 7, 8 O vita BC. — 8, 3 Lacrimarum cum B. — 9, 3 plagis praemuniri BC. — 9, 4 Sit accensum penitus BC. — 9, 5—8 fehlen BC. — 10, 2 Qui pendentem BC. — 10, 3 Lacrimantem te BC. — 10, 4 Cum beata virgine C; das Folgende fehlt C. — 10, 5 amplexatus B. — 10, 7 fuissem B. — 11, 6 reclinatam B. — 13, 5 sqq. lauten in B:

Lamentantem me dolentem,  
Sacrum sanguinem lambentem,  
Pectus, vultum linientem  
Cordis desiderio.

Str. 14 und 15 und in letzterer wieder die Halbstrophen sind in B umgestellt. Nach Str. 13 schiebt es folgende Str. von zweifelhafter Zugehörigkeit ein:

Sanguis circumcisionis  
Decor sit affectionis  
Casti cordis et sermonis,  
Grandis efficacia.  
Sanguis Christi circumcisi,  
Quo confisi sunt gavisii,  
Ducat nos ad paradisi  
Sempiterna gaudia.

14, 2 da juvamen B. — 14, 6 Sic transfixi, lanceati B. — 15, 1 sacrarum B. — 15, 6 Delens B. — 15, 7 perducas B. — Der Reim (vgl. 13, 1 ff.) bekundet einen italienischen Dichter.

## 20. De verbis Domini septem in cruce.

### I.

1. Jesu, salutis hostia,  
Salutis sacrificium,  
Jesu, salutis gratia,  
Salutis beneficium,  
5. Jesu, tuta fiducia,  
Jesu, tutum refugium.  
Tu pro humano genere,  
Ut captivum redimeres,  
Tu pro humano foedere,

10. Ut exsulem reduceres,  
Tu pro humano scelere,  
Ut culpas nostras tollereres,  
Tu pro divino munere,  
Ut nos Deo conjungeres,  
15. Non recusasti vincula,  
Non flagella, non verbera,  
Non latronum patibula,  
Non livores, non vulnera.  
Sed dum te crux susciperet,

20. Et hostis in te fremeret,  
Dum malleis percuteret  
Et clavis carnem scinderet,  
Dum sensum dolor angeret,  
Et sacer sanguis flueret,  
25. Dum passio te premeret,  
Angustiaque cresceret,  
Patrem rogasti precibus,  
Ut tamquam ignorantibus  
Tuis ignoscat hostibus  
30. Ac te crucifigentibus,  
*Dicens: Pater, ignosce illis,  
quia nesciunt, quod faciunt.*  
O mitis patientia,  
O mansueta mititas,  
35. O immensa clementia,  
O immensa benignitas,  
Qui ut ovis mitissima  
Non promissis quaerimoniam,  
Qui ut mater carissima  
40. Jam excusas injuriam,  
Ut anima dulcissima  
Tenes benevolentiam,  
Ut voluntas piissima  
Praebes misericordiam.  
45. Ad te vadit spes animae,  
Ad te currunt lacrimae  
Et pulsant desideria  
Confidenter dicentia:  
Ignosce nobis, Domine.

II.

1. Jesu, largitor veniae,  
Jesu, solamen tristem,  
Jesu, laus poenitentiae,  
Jesu, spes poenitentium,  
5. Dum penderes innoxius  
Horum in poena socius,  
Dum te unus argueret  
Et stulte reprehenderet  
Et blasphemando diceret:  
10. Si tu es Dei filius,  
Salva temet ipsum et nos,  
Esto tibi propitius  
Sicut salvasti alios;  
Dum alter hunc corripere

15. Et hunc stultum ostenderet,  
Dum se malum contenderet  
Et te justum adsereret,  
Dum ad te se converteret  
Et supplex tibi diceret:  
20. Memento mei, Domine,  
Dum ad tuum perveneris,  
Regnum plenum dulcedine,  
Dum te regem ostenderis;  
Tu amans poenitentiam,  
25. Corda trahens per gratiam,  
Non solum hanc memoriam  
Concessisti sed gloriam,  
*Dicens: Amen dico tibi,  
hodie mecum eris in paradiso.*  
30. O prompta Dei caritas,  
Prompta misericordia,  
O prompta liberalitas,  
Prompta munificentia,  
Ad te currit devotio,  
35. Ad te redit memoria,  
Coram te fit confessio,  
Tibi patent praecordia;  
Adeo cum fiducia  
Tibi precamur, Domine,  
40. Qui es sine malitia,  
Solus es sine crimine,  
In tua patientia  
Memento nostri, Domine.

III.

1. Jesu, lux et rex gloriae,  
Fili Dei et hominis,  
Jesu, flos pudicitiae,  
Fili Mariae virginis,  
5. Dum haec virgo sanctissima,  
Tota plena doloribus,  
Genitrix amantissima  
Tot confecta moeroribus,  
Tua mater carissima  
10. Tot percussa fletibus,  
Nutrix diligentissima  
Tot fracta singultibus,  
Juxta crucem adsisteret  
Et te pendentem cerneret,  
15. Dum tormenta conspiceret

- Et prae luctu deficeret,  
Tu videns matrem flebilem,  
Pressam amaritudine,  
Matrem tam venerabilem,  
20. Dignam beatitudine,  
Videns quoque discipulum,  
Amatum et amabilem,  
Fidelem Dei famulum,  
Johannem, vita nobilem,  
25. Alloquens ambo dulciter  
Piae vocis oraculo  
Commendasti benigniter  
Matrem, Christe, discipulo,  
*Dicens matri: Mulier, ecce*  
30. *filius tuus; deinde discipulo:*  
*ecce mater tua.*  
O qualis permutatio,  
O quanta inaequalitas,  
O qualis desolatio,  
35. O quae matris acerbitas,  
Dum custos matri traditur  
Pro magistro discipulus,  
Dum per matrem suscipitur  
Pro Deo vir pauperculus,  
40. Dum matri Christi mittitur  
Pro rege simplex famulus.  
Sic tuae, Jesu, gratiae  
Me commendo humiliter  
Tuaeque providentiae  
45. Me committo perenniter,  
Ut exorante virgine  
Pro nobis stet suppliciter,  
A peccatorum turbine  
Simus securi jugiter.

IV.

1. Jesu, patris ingeni  
Virtus et sapientia,  
Jesu cujusque conditi  
Tenor et consistentia,  
5. Tu virtute mirabili  
Panem multiplicaveras,  
Tu virtute consimili  
Stellam infans reduxeras,  
Defunctos suscitaveras,  
10. Opera mira feceras,

- Morbos omnes sanaveras,  
Totum orbem formaveras,  
Tu virtute terribili  
Daemonia ejeceras,  
15. Tu virtute consimili  
Hostes tuos prostraveras,  
Sed adfixus patibulo  
Patri factus obediens,  
Jussu patris in vinculo  
20. Vincetus manens et patiens,  
Qui vult, quod hanc angustiam  
Ut infirmus sustineas,  
Nec dictam potentiam  
Te liberans exerceas;  
25. Quapropter tuo sensui  
Condolens naturaliter  
Clamorem confers planctui,  
Dicens lamentabiliter:  
*Eli, Eli lama sabactani;*  
30. *hoc est, Deus, Deus meus,*  
*ut quid dereliquisti me.*  
O lamentum mirabile,  
Salutem agens hominum,  
O innocens cor humile,  
35. Poenas deplorans criminum,  
Ad te fert me compassio,  
Pro me te pati sentio,  
Ante te me projicio  
Tecumque luctum facio;  
40. Nam iste luctus utilis  
Est mihi pro solatio,  
Qui mihi praemiabilis  
Sit in aeterno gaudio.

V.

1. Jesu dulcis memoria,  
Siti'bunda dilectio,  
Jesu, dulcis fiducia,  
Laetabunda refectio,  
5. Dum extensus exsisteres  
Super aram patibuli,  
Dum immolatus ageres  
Redemptionem populi,  
Dnm te nudum adspiceret  
10. Mundus instar spectaculi,  
Dum lamentum ostenderet

- Super te vultus saeculi,  
Dum hostes de te luderent,  
Et noti tui fugerent,  
15. Dum clavi membra tenderent  
Et nexu se contraherent,  
Dum vulnera tumescerent  
Et humores defluerent,  
Dum carnes contremiscerent,  
20. Et virtutes arescerent;  
Sitim sumpsisti fervidam,  
Sitim amore languidam,  
Sitim virtutum cupidam,  
Nostrae salutis avidam,  
25. Benigne dicens: *Sitio*  
Salutemque desidero,  
Pro quo me pati offero.

- O sitis saluberrima,  
Exoptans amicitias,  
30. O sitis cordis intima,  
Frangens concupiscentias,  
Praesta, ut ad te sitiam  
Et ista siti ardeam,  
Pravam sitim effugiam,  
35. Donec ad fontem transeam  
Potumquae vitae hauriam,  
Quo felix semper maneam  
Et Deum meum videam  
Sanctam ingressus patriam.

VI.

1. Jesu, nostra redemptio,  
Jesu, redemptor omnium,  
Jesu, nostra dilectio,  
Jesu, salus credentium,  
5. Dum per crucis mysterium  
Diligenter perageres  
Redemptoris officium,  
Ut hominem redimeres  
Sustinendo supplicium,  
10. Ut inde nos eriperes,  
Consummans sacrificium  
Tuae carnis et sanguinis,  
Consummans pacis proelium  
Salutaris certaminis,  
15. Consummans transitorium  
Cursum hujus imaginis,

- Consummans opificium  
Redemptionis hominis;  
Dum mortis horam cerneres,  
20. Dum hac vita deficeres,  
Dum finem jam contingeres,  
Dum omnia perficeres,  
Ut in summa concluderes;  
Dixisti: *Consummatum est*,  
25. Nam Jesus crucifixus est,  
Et agnus immolatus est,  
Sanguis ejus effusus est,  
Et pretium solutum est,  
Diabolus devictus est,  
30. Et bellum consummatum est,  
Chirographum deletum est,  
Et homo jam redemptus est.

- O bonitas, bone Jesu,  
Qui es nostra justitia,  
35. O veritas, vere Jesu,  
Qui es nostra scientia,  
O caritas, care Jesu,  
Qui es nostra redemptio,  
O sanctitas, sancte Jesu,  
40. Nostra sanctificatio,  
Consumma nobis gratiam  
Et consumma justitiam,  
Consumma conscientiam  
Et consumma laetitiam.

VII.

1. Jesu, via verissima,  
Jesu, salutis ostium,  
Jesu, porta tutissima,  
Jesu, protector omnium,  
5. Jesu, salubris veritas  
Et lux mentem illuminans,  
Jesu vitae felicitas,  
Dulcor in corde jubilans,  
Dum in extremis ageres,  
10. Ut animam deponeres  
Et ad limbum descenderes,  
Volens viam ostendere,  
Per quam debemus pergere,  
Volens cunctos instruere,  
15. Qui facti sunt de pulvere,  
Volens illum ostendere,

- Qui potest nos defendere,  
In quo debent confidere,  
Qui mortem debent capere,
20. Tuum sacratum spiritum  
Tuo patri sanctissimo  
Commendasti per gemitum  
Sermone devotissimo,  
*Dicens: Pater, in manus tuas*  
25. *commendo spiritum meum.*  
Et inclinato capite  
Fixus in crucis stipite,  
Acriter cruentato te  
Turpiter et indebite,
30. Tu emisisti spiritum,  
Et orbis talem fremitum,  
Quod quisque per circuitum  
Tuum percepit obitum,  
Ut cuncta fletum facerent,
35. Et elementa tremarent,  
Et saxa se dirumperent,  
Et sepulchra se panderent,  
Ut terrae motus fieret,  
Velum templi se scinderet,
40. Ut luna retrocederet,  
Solque contenebresceret,
- Ut mundus ingemisceret,  
Et natura fiens diceret:  
Ego lugens deficio,
45. Vel Deo inest passio.  
O mors, mors lacrimabilis,  
Super quam plorant omnia,  
O mors, mors lamentabilis,  
Super quam flent innoxia,
50. O mors, mors admirabilis,  
Qua suscitantur mortui,  
O mors, mors amicabile,  
Qua exaltantur strenui,  
O mors sacra, mors nobilis,
55. Per quam delentur scelera,  
O mors pia, mors utilis,  
Per quam donantur praemia,  
Praesta ut haec memoria  
Nos teneat continue
60. Et stimulet praecordia  
Corque pungat assidue,  
Ut menti lumen influat  
Et in agendis instruat,  
Ut nos a culpis exuat
65. Et vitae donum tribuat.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Gandaven. 212 (37). B. — III, 4 te fehlt A. — III, 33 O fehlt A. — IV, 43 praemialis A.

## 21. De Plagis Domini.

1. Ave, Jesu, nobis natus,  
Palma dextra penetratus  
In cruce pro populo,  
Nos ad dextram Dei patris  
Perduc prece tuae matris  
Ex carnis ergastulo.
2. Ave, cujus manus laeva  
Sauciatur plaga saeva  
A Judaeis impiis;  
Te tuente dirigamur,  
Ne ad laevam dilabamur  
Malis vitae meritis.
3. Ave, cujus candidatum  
Latus fuit lanceatum,  
Ideo cum sanguine  
Nos tam care comparatos  
Cordis culpa cruentatos  
Cura, vena veniae.
4. Ave, purgans tunc peccata,  
Quando fuit perforata  
Planta pedis dexteri;  
Rege gressus tui gregis  
Et renatis novae legis  
Claude portas inferi.
5. Ave, cujus pes sinister  
Ferro fossus est, minister  
Mortis morte vincitur;  
Christus moriens in cruce,  
Duc nos, ubi vera luce  
Vultus tui cernitur.

Orat. ms. Anglican. saec. 15. Cod. Londinen. Ar. 203. — 3, 3 Id cum sanguine Hs.



## 22. De Plagis Domini.

1. Ave, nate Dei vivi,  
De quo quinque fluunt rivi  
Pretiosi sanguinis  
Pro salute hominis.
2. Ave, caput salvatoris,  
Gestans sertum, proh, doloris,  
Per quod dire terebratum  
Exstat cerebrum beatum.
3. Ave, vulnus dextrae manus,  
Per quod nostrae culpae hamus  
Est disruptus, quem in pomo  
Primus deglulivit homo.
4. Ave, vulnus manus levae,  
Per quod scholam lucis aevae  
Nobis, Christe, ostendisti,  
Dum te figi permisisti.
5. Ave, vulnus cordiale,  
Per quod ens primordiale  
Vitae nostrae tersit luctum  
Et salutis auxit fructum.
6. Ave, vulnus dextri pedis,  
Qui nos ad supernae sedis  
Viam ducis consolatos  
Vera fide solidatos.
7. Ave, vulnus pedis laevi,  
Per quod hostes prius saevi  
Ruunt, aemulantur rei  
Per te donum sanctae spei.
8. Ave corpus Christi laesum  
Et pro nobis virgis caesum,  
Pallens in tormento mortis,  
Salva nos, amator fortis.
9. Ave, sanguis generose,  
Qui fluxisti copiose,  
Riga, lava et emunda  
Corda nostra tam immunda.
10. Per haec, Christe, benedicta  
Vulnera tibi inficta,  
Dulcis Jesu, te rogamus,  
Fac ut tecum gaudeamus

In futuro saeculo.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3 saec. 15 an zwei Stellen fol. 240 a (A) und fol. 222 a (B). — 2, 4 Exstat tuum cerebrum AB. — 4, 4 figi cruci permisisti A. — Str. 5 nach 6 und 7 B. — 6, 3 consolatas AB. — 6, 4 solidatas AB. — 7, 3 emugulantes A, aemulantes B. — Vgl. No. 17, 1—10.

## 23. De Christo crucifixo.

1. Adspice, mortalis, fuit unquam passio talis?  
Adspice, qui transis, quia tu mihi causa doloris.  
Spretus et illusus sto pro te sanguine fusus,  
Sic, homo, diligo te, quod pendo victima pro te.
5. Respice, mortalis, pro te datur hostia talis,  
Peccatum sperne, pro quo mea vulnera cerne.  
Pro te passus ita, pro me discrimina vita,  
En morior pro te, vide, homo, quid agas pro me;  
Ut vivas morior, non est dilectio major.
10. Plange Deum, qui plangit eum, quem morte redemit,  
Si male fecisti, tunc respice vulnera Christi,  
Flecte genu, plora, crucifixum semper adora.

Cod. Altovadensis 31. saec. 15; mit der Angabe: „Ista metra sequentia debent scribi sub crucifixo Dom. N. J. Ch.“

24. De sancta Cruce.

1. Salve, mundi spes praeclara,  
Salus in certamine,  
Arbor vitae non ignara  
Salutari germine,  
Scala coeli, crucis ara,  
Agni rubens sanguine.
2. Decus bonis, poena malis,  
Sanctae crucis gloria,  
Mortis victrix, arx vitalis,  
Vitiorum scoria  
Rubor palmae immortalis  
Ejus fert memoria.
3. Crux haec mortem interemit,  
Vitae portas aperit,  
Captum hominem redemit,  
Vires hostis conterit,  
Cohors infernalis gemit,  
Cum crux Christum exerit.
4. Ipsum autem crucis lignum  
Vetus scribit litera,  
Quod amplecti duxit dignum  
Deus regens aethera,  
Hostem conterens malignum  
Mundi tulit scelera.
5. Adam ligno morti datur,  
Ipsum crux vivificat,  
Hanc Isaac, dum immolatur,  
Ligna portans indicat,  
Noe justus, ne mergatur,  
Arcam ligno fabricat.
6. Thau pro signo stat erectum  
Cum serpente pendulo,  
Aqua lignum per injectum  
Dulcis fit in poculo,  
Sitis abstulit defectum  
Petra tacta baculo.
7. Moysesque rubrum mare  
Ligno fecit pervium,  
Ligno fecit ferrum nare  
Helisaei studium,  
Virga legis salutare  
Cruce fit praesagium.
8. Sanctae crucis his figuris  
Eminet religio,  
Quas excerptis de scripturis  
Fidei opinio,  
Quibus lucet corde puris  
Cruce figuratio.
9. Erat impiis horroris  
Olim crux supplicium,  
Nunc vexillum est honoris  
Et salutis praemium,  
Tuta quies et dulcoris  
Intimi praesidium.
10. Hoc altare dedicatur  
Agni Dei victima,  
Dum in ipso trucidatur  
Per tormenta maxima,  
Foris caro perforatur,  
Intus dolet anima.
11. Adsunt spongia, fel, sputa,  
Cum aceto spinea  
Ac flagella, sors, vox muta,  
Alba cum purpurea,  
Canna, facies polluta,  
Funes, clavi, lancea.
12. Haec sunt arma caritatis  
Vitae propugnacula,  
Quibus Deus nostra gratis  
Diluit piacula,  
His cor nostrum cogitatis  
Cuncta fert abscondita.
13. His vexillum salutare  
Tinctum characteribus  
Fert tutamen singulare  
Spiritu pauperibus,  
Qui sub ejus militare  
Cupiunt lateribus.
14. O crux, vitae medicina,  
Spes salutis unica,  
Parum pondera reclina  
Ad aegrotos coelica,  
Peccatorum de sentina  
Levans nos salvifica.

15. Sola digna tu fuisti  
Ferre mundi pretium,  
Consecraris membris Christi,  
Coeli sanctuarium,  
Mortem nobis abstulisti  
Reddens vitae gaudium.
16. Christe Jesu, fili Dei,  
Regum rex altissime,  
Condemnate more rei,  
Pendens poenalissime,  
Precor, miserere mei  
Tergens labes animae.
17. Intus mentem, corpus foris  
Crucis cum signaculo  
Muni, Deus, cunctis horis,  
Ne peccati vinculo  
Stringat me fraus temptatoris  
Palam vel in clanculo.
18. Tuo tecum genitori  
Et amborum flamini  
Laudes angelorum chori  
Dent et orbis termini,  
Magnus aequae cum minori  
Tuo canant nomini.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 9, 6 Inimici praesidium.

### 25. De Cruce Oratio.

1. Salve, crux sancta, qua dantur munera tanta,  
Fac tua me velle, quae sunt mihi noxia pelle,  
Da mihi virtutem, veniam pacemque, salutem,  
Spes mihi viventi, protectio sis morienti.
5. Crux bona, crux alma, crux inclita sis mihi palma,  
Qua mala compescam, moriens in pace quiescam.  
Fac tibi me digne famulari, Christe benigne,  
Perdere regna poli tu me permittere noli;  
Te duce sis mecum, Jesu, me suscipe tecum,
10. In te confisum me ducas ad paradisum.

Cod. Lambacen. 463 saec. 15.

### 26. De sancta Cruce.

Crux mihi sit risus, crux gloria, crux paradisus,  
Crux mihi dulcorem tribuat dulcemque saporem,  
Crux mihi lux orta, crux vitae sit mihi porta,  
Crux bona, crux alma, crux inclita sit mihi palma,  
Crux mihi semper, Amen, sit virtus atque juvamen.

Cod. Lambacen. 476. saec. 15.

### 27. De Armis Christi.

1. Culter, virga cum flagello,  
Forceps, clavi cum martello,  
Manus, pedes, latera  
Scindit, tangit sic corona  
Caput; o quot nobis dona  
Dant haec tua vulnera.
2. Portat corpus crux beata,  
Fel, acetum propinata  
Christo sunt in spongia;  
Scala crucem sanctam tangit;  
Est plangendus, qui non plangit  
De horum memoria.

3. Nam de agno quae sunt gesta,  
 Pandunt, quid fiat de testa,  
 Quae nil habet viride,  
 Sed ad corpus sic plagatum,  
 Pro te armis exaratum,  
 Clama, testa, valide:
4. O tu Jesu, fili Dei,  
 Miserere, precor, mei  
 Per haec tua vulnera,  
 Miserere sicut pater,  
 Ut redemptor utque frater  
 Me salvare propera.
5. O praeclara armatura,  
 Per quam Jesus Christus dura  
 Pertulit in corpore,  
 Fuga nostros inimicos,  
 Fac nos justos et amicos,  
 Nunc in omni tempore.
6. Fac nos sic te speculari  
 Et devote venerari  
 Corde, ore, opere,  
 Ut a Christo sublimari  
 Et electis sociari  
 Mereamur propere.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883 saec. 14/15. A. — Orat. ms. Palat. Vindobonen. 4106 saec. 15. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2445. C. — A bemerk: Innocentius papa hanc orationem composuit; B: Et praedictus papa Innocentius IV sequentem orationem composuit et omnibus eam devote dicentibus tres annos indulgentiae concessit. — 1, 3 Manus, pedes, dorsum, latera A. — 1, 4 Scindunt, tangunt B. — 1, 6 Dantur per haec tua B. — 3, 1 Nam in agone quae B; Nam magna quae C. — 3, 5 exaratum fehlt A.

## 28. De corona spinea.

Fructificans mira res candens, rubraque nigra,  
 Nobilis est spina Christi per tempora fixa,  
 Alba carens labe caro delictum fugit Adae.  
 Passio dat florem rubrum, mors nigra dolorem.  
 Spinea, confortes nos Christi sanguine, torques,  
 Virtutis zona nos spinae cinge corona,  
 Ne tortus serpens nos figat vulnera mergens,  
 Lotaque sint caena, Jesu tu fac diadema.

Clm. Monacen. (ol. Caesarensis) 7943. saec. 13.

## 29. De Sepulchro Christi.

1. O sepulchrum Jesu Christi,  
 Tu thesaurum conclusisti,  
 Petra, petram quae vestisti,  
 Coeli, terrae Dominum.  
 Spes perennis vitae jacet,  
 Mundo spreto Deo placet,  
 Nube tonat, morte tacet  
 Mortem mordens hominum.
2. In te clausus orbem regit,  
 Mortuus regna subegit  
 Et inferna claustra fregit  
 Christus rex victoriae.
- Verbum Dei carni junctum  
 In te contines ad punctum,  
 Christum suscipit defunctum,  
 Largitorem gloriae.
3. Ex contactu consecraris  
 Christi carnis, tu rigaris  
 Sacro sanguine, bearis  
 Tantis privilegiis.  
 Vere tumba tu praeclara,  
 Sacer locus, felix ara,  
 Mira pandis, facis rara,  
 Hymnis digna regis.

4. Mortuum quem suscepisti,  
Christum vivum reddidisti  
Sanctum neque corrupisti  
Vermis, tabis vitio;  
Tu es cruci comparata,  
Caro poenis immolata  
Cruce, tecum tumulata  
Pio fit officio.
5. Ex te surgit immortalis  
Jesus, victor triumphalis,  
Patri consubstantialis,  
Par omnipotentia;

Qui dum surgit, manes clausum,  
Ut pravorum fraenet ausum,  
Morte qui fecerunt plausum  
Summa cum clementia.

6. O sepulchrum venerandum,  
Propter Christum adorandum,  
Te aperias ad dandum  
Jesum plenum gratia;  
Ut cum fuero sepultus,  
Morte Christi sim suffultus,  
Me splendore tui vultus,  
Pie Jesu, satia.

Cod. Oxonien. Canon. Miscell. 528. saec. 15.

### 30. In Festo Paschatis.

1. Dones agni portionem  
Rite, pater, edere,  
Veram tingat rationem  
Sanguis Paschae foedere,  
Ne mentalem stationem  
Possit hostis laedere.
2. Salve, caro majestatis,  
Alta, sancta, humilis,  
O quam plena veritatis,  
Pulchra, mira, nobilis,  
Tradita heu profanis,  
Angelis mirabilis.
3. Salveto medicamentum,  
Quam plenum effectibus,  
Expurges inquinamentum  
Carnis cum defectibus,  
Esto mihi excrementum  
Cunctis in profectibus.
4. Eja, sanguis generose,  
Mirus, venerabilis,  
Fluens plagis copiose  
Nimis, peramabilis,  
Mustum mentis amorosac,  
Typis praeconabilis.
5. O sanguis redemptionis,  
Venditos redimito,  
Sanguis expiationis,  
Turpatum eluito,  
Sanguis consummationis  
In sancta traducito.

6. Salve, anima, dilecta  
Deo et hominibus,  
Clara, placens et afflicta,  
Praelata numinibus,  
O te laudo, benedicta,  
Coelicis luminibus.
7. Salve, spiritus divine,  
Plenus sapientia,  
Te jam canunt matutinae  
Stellae fartum gratia,  
Benedictum sine fine,  
Traditum pro hostia.
8. O vos exta devoranda  
Agni sine macula,  
Vos virtutum per miranda  
Grandia spectacula,  
O salvete, adoranda  
Divina signacula.
9. O vos gratiae salvete  
Communes cum singulis,  
Dona, fructus resalvete  
Laudibus pertinnulis,  
Me jam gratiis replete  
Canentem in jubilis.
10. Salvete humunitatis  
O pedes pacifici,  
Pedes pleni caritatis,  
Perfecti, deifici,  
Exemplares deitatis,  
Bajuli vivifici.

- |   |  |
|---|--|
| <p>11. Salve, agnus nate, passe,<br/>Sepulte moeroribus,<br/>Surgis, scandis, agnus asse<br/>Spiritus amoribus,<br/>O complecto pedes hosce<br/>Gratium clangoribus.</p> <p>12. Salve, adeps et pinguedo<br/>Agni mansuetissimi,<br/>Tua satiet dulcedo<br/>Cor servi nequissimi,<br/>Tibi laudis pensa dedo<br/>Cordis contritissimi.</p> <p>13. Eja, fructus condonato<br/>Vitae tuae optimae,<br/>Passionis cumulado<br/>Frugem, rex clarissime,<br/>E quo fructus sacrae dato<br/>Eucharis gratissimae.</p> | <p>14. Salve, caput adorandum,<br/>Jesu mira deitas<br/>Ferculumque celebrandum,<br/>Satians aeternitas,<br/>Epulum concelebrandum<br/>Angelis, divinitas.</p> <p>15. Salve, naturans natura<br/>Prima et essentia,<br/>Liber vitae, ars, lux pura,<br/>Patris sapientiae,<br/>Hac semper alimentura<br/>Fruar in praesentia.</p> <p>16. Eja, cives Olymporum,<br/>Numina hierarchica,<br/>Mille milia hymnorum<br/>Camoena dogmatica<br/>Ferte pani angelorum<br/>Pro hac esca polica.</p> <p>17. Tibi, Christe, sit cum patre<br/>Hagioque spiritu<br/>Hymnus, melos, laus perennis,<br/>Gratiarum actio,<br/>Honor, virtus, victoria<br/>Regnum aeternaliter.</p> |
|---|--|

Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1. — 3, 5 excrementa im Sinne von incrementa. — 12, 3 faciet. — 15, 5 Hanc semper alitura.

### 31. De Resurrectione DN.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. Christus vincit,<br/>Christus surgit,<br/>Christus vivit,<br/>Christus regnat,<br/>Christus mandat,<br/>Christus salvat.<br/>Christus manet,<br/>Christus claret,<br/>Christus docet,<br/>Christus vadit,<br/>Christus redit,<br/>Christus scandit.</p> <p>2. Vincit virtus,<br/>Cedit victus<br/>Inimicus,<br/>Surgit clauso<br/>De sepulchro<br/>Functus homo.</p> | <p>Vivit vita,<br/>Morte sumpta,<br/>Morte victa,<br/>Regnat victor,<br/>Imperator,<br/>Campi ductor.</p> <p>3. Mandat credi,<br/>Victor belli,<br/>Vita functi,<br/>Salvat gentes<br/>Confitentes<br/>Et credentes.<br/>Manet salus<br/>Et triumphus<br/>Christo datus,<br/>Claret, qui lux<br/>Est et clarus<br/>Dies Christus.</p> |
|--|---|

4. Docet quaeri  
Et adiri  
Regnum Dei,  
Vadit agnus  
Mansuetus  
Immolandus,  
Redit leo  
Ab inferno  
Fortis praedo,  
Scandens modo  
Praeens mundo  
Deus homo.
5. Plorant sanctae  
Super morte  
Mulieres,  
Et pastores  
Tristes moesti  
Sunt concussi.  
Tremet terra  
Stupefacta,  
Strident petrae,  
Patent tumbae,  
Coelum pallet,  
Templum luget.
6. Sed mirandus  
Paranymphus  
Clare dixit,  
Quod surrexit  
Crucifixus  
Nazarenus.

Cod. Carnoten. 341. saec. 14.

Jesus dulcis,  
Victor orbis,  
Locum monstrat  
Et confortat  
Corda flentum  
Mulierum.

7. Haec dum cernunt  
Jesus vivum  
Nuper functum,  
Prae stupore,  
Prae amore,  
Prae dulcero  
Lacrimantur,  
Gratulantur,  
Osculantur  
Ejus vivos  
Perforatos  
Pedes sanctos.
8. Simon currit,  
Jesus cernit,  
Jam non gemit,  
Gaudent fratres,  
Gaudent omnes,  
Plaudit chorus  
Universus  
Angelorum  
Et sanctorum,  
Coeli cuncta,  
Rident astra,  
Canunt corda.

### 32. De Corpore Christi.

1. O panis vivifico,  
Donum singulare,  
Des tua deifice  
Nomina tractare;  
Nempe tua nomina  
Consecrata semina  
Large fruge turgent,  
Haec rorem charismatum,  
Haec fluenta dogmatum  
Sacro typo praebent.
2. Salve, eucharistia,  
Fons deliciarum,  
Nomine, re, gratia,  
Dulcor animarum;  
Salveto piissimis  
Amicis dulcissimis  
A Jesu collata,  
Dones sacra satie,  
Fruar tua facie,  
Anima beata.

3. O donum magnificum,  
 Fluens largitate,  
 Salve hilarificum,  
 Ardens caritate;  
 Salve nobilissimum,  
 Sufficiensimum,  
 Utile damnatis,  
 Danti confortissimum  
 Te laudo gratissimum  
 Vere datum gratis.
4. Salve, cibus regius  
 Nobilis natorum,  
 Suavis et egregius  
 Omnium saporum;  
 O esca lautissima,  
 Manhu, prudentissima  
 Pista trinitatis,  
 Oppe languidissimam  
 Per affectum animam  
 Cibo pietatis.
5. O potus dulcissime,  
 Laticis fluentum,  
 Salve sapidissime  
 Languentis fomentum;  
 Salve, jucundissimum  
 Vinum meracissimum,  
 Ebrius bibentes,  
 Germinato virgines  
 Atque mentis cardines  
 Fac mero calentes.
6. Salveto, communitio  
 Omnium bonorum,  
 Hominum tu unio  
 Atque angelorum,  
 Praestes influentiam,  
 Praestes accrescentiam  
 Capitis in membra,  
 Tuis passionibus  
 His communionibus  
 Dedicas commembra.
7. Salve, sacrificium  
 In cruce litatum  
 Mirum sacrificium,  
 Figuris signatum,  
 Te laudo dignissimum,  
 Deo acceptissimum,  
 Sanctum juramentum,  
 Salve pontificium  
 Christi sacrificium  
 Patris spiramentum.
8. Salve, admirabile  
 Jesu sacramentum,  
 Insigne, amabile  
 Tu medicamentum,  
 Tu commemoratio  
 Atque exaltatio  
 Christi passionis,  
 Te laudo, signatio,  
 Supernae gustatio  
 Jam fruitionis.
- Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1. — 1, 6 femina.  
 3, 10 Undatum gratis.

### 33. De s. Eucharistia.

1. Chorus novae Hierusalem, plaude  
 Ac mirare, quae sit haec hostia,  
 Quam praevidit offerens in laude  
 Melchisedech sacerdos in via;  
 Dum Abrahae occurrit mystice,  
 Figuratur Christus, qui creditur  
 Panis vivus ac fixus in cruce,  
 Qui resurgens ultra non moritur.
2. Christus nobis panis proponitur,  
 Qui assumptus mentem vivificat,  
 Et in panem lignum transmittitur,  
 Lignum crucis dum hunc mortificat;



Sed plus vivit, dum mori cernitur,  
Mortī cedens mortem damnificat  
Et beatam vitam assequitur,  
Qua resurgens ultra non moritur.

3. Quod moritur, peccato moritur,  
Qui peccatum nullum commiserat,  
Et peccatum gratis remittitur  
Reis, sua quos morte liberat;  
Sicque servus liber efficitur,  
Huncque donis beatis munerat,  
Dum huic vitam perennem largitur,  
Ad quam surgens ultra non moritur.

4. Si, Domine, jam si sic vivitur,  
Atque vita spiritus redditur,  
Quis valeat peccato vivere?  
Excutere, miser, a pulvere,  
Elevare in haec magnalia,  
Qui hic pendet ob tua vitia,  
Recordare, quae pro te patitur;  
Sed resurgit nec ultra moritur.

5. Precamur te nunc, o Jesu bone,  
Fac nos ita tecum resurgere,  
Ut nec vitae peccati miserae  
Serviamus quavis ratione,  
Sed certantes in vitae agone  
Passionis solare munere  
Et fac ex hac tua passione  
Nos fortiter adversa vincere.

Brev. Bituricense imp. Venetiis 1481; als Anhang post sanctorale. —  
5, 1 Praeter te nunc.

### 34. Oratio ad Elevationem.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Benedicta hostia,<br>Benedic nos semper,<br>O Christi praesentia,<br>Salva nos clementer<br>Patrisque auxilia<br>Tribue potenter<br>Et ad tua gaudia<br>Perduc nos laetanter. | 2. Benedicti calicis<br>Sacramenta patent,<br>Undis nos deificis<br>Hic peccantes mudent<br>Ac piis praesidiis<br>Mundum omnem salvent<br>In fineque temporis<br>Coelo nos praesentent. |
|--|---|

Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15.

### 35. De Corpore Christi.

Hic caput inclina, latet hic animae medicina,  
Est Deus hic tantus, natus de virgine quantus,  
Languentum medicus et vere animae cibus,  
Salutis hic portus et verum Domini corpus,

Natus Dei patris et filius virginis matris,  
Sacrum alimentum nobilissimumque sacramentum.  
Obsecra devote, hic est enim hostia vitae,  
Tu qui pertransis, regem venerare salutis.

Cod. Palat. Vindobonen. 4781. saec. 15.

### 36. De Corpore Christi.

Ave, caro Christi, quae pro me passa fuisti,  
Meque reum munda, moriar ne morte secunda.  
O panis vive, praesta mihi gaudia vitae.  
Sanguis ave Dei, spes atque redemptio mundi,  
Per te mundetur mens, sensus purificetur,  
Morbos averte, pestes pelle, crimina dele.

Cod. ms. Ducumburgen. 78. saec. 15.

### 37. De Corpore Christi.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Ave, sancta caro Christi,<br>Quae me pie redemisti;<br>Ave, dulcis caro Jesu,<br>Salva me a mortis esu. | 3. In meam veni animam,<br>Ut, quam dulcis sis, sentiam,<br>Intra gaudens in cor meum,<br>Ut te laudem verum Deum. |
| 2. Ave, verum corpus Dei,<br>Miserere quaeso mei,<br>Dulcis caro et suavis<br>Animae meae summa vis.       | 4. Peccata mea deleas<br>Et me totum possideas,<br>Purga mea facinora<br>Et extrema mortis hora,                   |

Me perducas ad gloriam,  
Ut te semper videam.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

### 38. De Corpore Christi.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Ave, viva caro Christi,<br>Quae in panem te sanxisti,<br>Nobis cibum te dedisti,<br>Salva nos, quos sic pavisti. | 5. Eja, coeli ros et unda,<br>Corda nostra sitibunda<br>Aqua vitae fac fecunda<br>Et ab omni sorde munda.     |
| 2. Eja, manna angelorum,<br>Vitae esca mundanorum,<br>Pasce nos fomento morum,<br>Labe pulsa vitiorum.              | 6. O fons summae pietatis,<br>Sitienti praebe gratis<br>Potum tuae caritatis,<br>Qui conjungat nos beatis.    |
| 3. O tu verbum incarnatum,<br>Ex Maria matre natum<br>Et pro nobis immolatum,<br>Nostrum rege vitae statum.         | 7. Ave, Jesu flagellate,<br>Spinis, hasta vulnerate,<br>Crucifixe, morti date,<br>Sic salvati sumus a te.     |
| 4. Ave, sanguis vere Christi,<br>Qui de ipso effluxisti<br>Et a culpīs nos lavisti,<br>Serva nos a nece tristi.     | 8. Ad inferna descendisti<br>Et nos inde redemisti,<br>Jube nos nunc, quos juvisti,<br>In aeterna vita sisti. |

9. Praesta, Christe, qui in cruce  
Morte nos salvisti truce,  
Ut vivamus hic te duce  
Et fruamur coeli luce.

Miss. ms. saec. 15. Cod. Olomucen. I I 6; unter Gebeten vor der Messe zu verrichten.

### 39. De Sanguine Christi.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Ave, sacer Christi sanguis,<br>Contra virus diri anguis<br>Fusus in antidotum;<br>Hic me sana te bibentem,<br>Post excusa facientem<br>De talento computum.   | 5. Ave, sanguis, qui per venas<br>Sponsi ductus sponsae genas<br>Ornans facis roseas,<br>Quando pavida pudore<br>Candet, rutilat amore,<br>Voces edit melleas.            |
| 2. Ave, sanguis vere potus,<br>Cujus haustu grex devotus<br>Debriatus sobrie;<br>In adversis hilarescit,<br>Ictus referire nescit<br>Immemor injuriae.           | 6. Ave, sanguis uvae passae,<br>Quam potantes mentes lassae<br>Confortantur plurimum;<br>Quid hoc mirum, cum sis vinum<br>Cyprinum et Engaddinum,<br>Mustum meracissimum. |
| 3. Ave, sanguis, fons dulcoris,<br>De fossato salvatoris<br>Horto mentis influens,<br>Cujus penetrans profunda,<br>Ejus potans sitibunda,<br>Ejus foeda diluens. | 7. Ave, calix salutaris,<br>Qui carissimis servaris,<br>Ut potantes ebrii<br>Fiant Christi caritate,<br>Ponderosi castitate,<br>Parcitate sobrii.                         |
| 4. Ave, liquor blandae vitis,<br>Aestum amorosae sitis<br>Dulciter refrigerans,<br>Qua gravatur mens pudica,<br>Sponsi soror et amica,<br>Ad coronam properans.  | 8. Ave, sanguis agni mitis<br>Quo mens lota Sunamitis<br>Fit de nigra candida,<br>Velut Hesther adornatur,<br>Plus quam Rachel adamatur<br>Culpis ante sordida.           |

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 8, 2 lota fehlt,

### 40. Oratio sub Elevatione dicenda.

- |  |   |
|--|---|
| 1. En, Christe, genu flectimus,<br>En tibi palmas pandimus,<br>Constanter in te credimus,<br>Quem dubitavit Didimus. | 3. Jesu, Judas quem prodidit,<br>Judaea gens quem perdidit,<br>Quem sputa, clavi, lancea<br>Risque, vasa fellea,    |
| 2. Clavi locum non vidimus,<br>Latus tuum non sensimus,<br>In te tamen confidimus,<br>Quod promisisti, petimus.      | 4. Quem spina pungens, alapae,<br>Vach clamitantes satrapae<br>Affecerunt et verbera,<br>Arundo, mors, crux aspera. |

5. Per, Jesu, quinque vulnera,  
Quae tua tulit tenera  
Caro, carne nos misera  
Duc exsules ad supera.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19 636. saec. 15.

#### 41. In Elevatione Sacramenti.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Ave, caro juncta verbo<br>vera unitate,<br>Ave, grande sacramentum,<br>plenum pietate,<br>In Maria fabricatum<br>plena puritate,<br>Esto nobis praegustatum<br>cum felicitate. | 2. Ave, mundi pretium,<br>sanguis redemptoris,<br>Ave salus gentium,<br>vita salvatoris,<br>Ave spes fidelium<br>fons coelestis roris,<br>Sis, Jesu, praesidium,<br>nobis cunctis horis. |
|---|--|

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20 132. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19 636 saec. 15. B. — Zwischen 2, 6 und ff. schiebt B noch ein: Crucis per supplicium sparsus mundo foris.

#### 42. In Elevatione Corporis Christi.

- |   |   |
|---|---|
| 1. O meritum passionis,<br>Summae miserationis,<br>Culpam delens et reatum,<br>O passionis meritum. | 2. O passionis meritum,<br>Umbram praebens contra aestum<br>Divinalis ultionis,<br>O meritum passionis. |
|---|---|

Handschriftlicher Eintrag post Miss. Suessionense imp. 1516, Exemplar der Stadtbibliothek von Tournay.

#### 43. Ad Elevationem Corporis Christi.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Ave, corpus incarnatum,<br>In altari consecratum,<br>Panis vivus angelorum,<br>Salus spes Christianorum.  | 3. Sancta caro nos emunda,<br>Sanguinis benigni unda,<br>Lava nos ab omni sorde<br>Et ab infernali morte. |
| 2. Ave, corpus Jesu Christi,<br>Qui de coelo descendisti,<br>Tuos servos redemisti,<br>Dum in cruce pendisti.  | 4. Per tuam divinam pacem<br>Praesta nobis sanitatem<br>Et per tuam bonitatem<br>Nobis da prosperitatem.  |
| 5. Tu qui es portus salutis,<br>Nos libera, Deus fortis,<br>A leone rugiente<br>Et a dracone furente,<br>Da nobis fidem sanctorum<br>Per saecula saeculorum. |   |

Clm. Monacen. (ol. Alrispacen.) 2693 saec. 14.

44. Ad Elevationem Corporis.

Salve, corpus dominicum,  
Salve, nostrum refugium,  
Salve, salvator omnium.  
O Jesu, rex piissime,  
O dulcis et mitissime,  
Esto mihi propitius.  
Qui es Mariae filius,  
Ex qua carne te credimus  
Et in pane te novimus,  
Tu es nostrum refugium  
Et in morte solatium.  
Gloria tibi, Domine,  
Qui es in panis specie,  
Venisti nos resurgere  
Tuo redemptos sanguine.

Orat. ms. S. Josephi Oenipontani 70 A. saec. 14.

45. Ad Elevationem Corporis.

Salve, Jesu, rex gloriae,  
Qui te sub panis specie  
Nobis ostendis hodie:  
Tu nos reforma gratiae.  
Jesu, sacro sanguine,  
Quem fudisti pro homine;  
Redemptos a caligine  
Illustra tuo lumine.

Orat. ms. S. Josephi Oenipontani 70 A. saec. 14.

46. Ad Elevationem Sanguinis.

I.

Ave, sanguis Jesu Christi,  
Pro me reo qui fluxisti  
Fusus in patibulo,  
Ut te, quaeso, possim frui  
Ante mortem meam tui  
Et salvari poculo.

II.

O sanguis Christi, qui fusus amore fuisti  
Humani generis, nobis precor auxiliieris,  
Dele peccata, da nobis regna beata.

Orat. ms. S. Josephi Oenipontani 70 A. saec. 14.

47. In Elevatione s. Sanguinis.

Christi sanguis, ave, tibi corpus flectitur omne,  
O sanguis vive, mihi confer gaudia vitae,  
Morbos averte, pestes preme, crimina dele,  
Haec des et jubeas, qui solus cuncta gubernas.  
O qui fluxisti late de corpore Christi  
Ac homini tristi pretium lavacrumque fuisti,  
Me vitiis munda, sanctissime sanguis et unda,  
Ad loca jucunda me duc de valle profunda.

Orat. ms. Augustin. saec. 15/16. Cod. Maguntin. II 344.

48. Ad Spiritum Sanctum.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Genitorem filio<br>Copulans connexio<br>Utriusque unio,<br>Veni, sancte spiritus,<br>Qui illustras superos,<br>Qui subjectas inferos,<br>Qui suscitatis miseris,<br>Adesto divinitus.          | 4. Vera pax et caritas,<br>Per te sit prosperitas,<br>Per te pacis firmitas<br>Constet in ecclesia;<br>Concorda schismaticos,<br>Corrige haereticos,<br>Salvans rege clericos,<br>Tyrannos humilia. |
| 2. Magister ecclesiae,<br>Inspirator gratiae,<br>Fons et lumen veniae,<br>Nostros riga hortulos;<br>Eruditor cordium,<br>Solator humilium,<br>Director fidelium,<br>Tuos salva populos.           | 5. Sacerdotes instrue,<br>Exsiccatos complue,<br>Sordidatos ablue,<br>Virtus indeficiens;<br>Regum violentia,<br>Consulum potentia,<br>Judicum prudentia<br>Tibi sit obediens.                      |
| 3. Qui prophetis aderas,<br>Quorum et lux fueras,<br>Qui secreta reseras,<br>Adesto, paraclite;<br>Veri clavis unica,<br>Per quem clarent mystica,<br>Nostae tibi dedica<br>Mores et actus vitae. | 6. Orphanis et viduis<br>Charisma, quo affluis,<br>Solamen, quod tribuis,<br>Da, benigne Domine;<br>Exsuli et advenae<br>Exsilium fac lenae,<br>Victorum cessent poenae<br>Tuo sancto nomine.       |

Orat. ms. Majoris Carthusiae saec. 14/16. Cod. Gratianopolitan. 181.

II.

DE BEATA.

---





49. De Nominibus et Titulis BMV.

1. Ave, vena veniae,  
Torrens voluptatis,  
Oleum laetitiae,  
Rivus largitatis,  
Aqua sapientiae,  
Cista deitatis,  
Me de peccatis  
munda tu fons pietatis.
2. Botrus abundantiae,  
Vitis bonitatis,  
Propago prudentiae,  
Palmas honestatis,  
Tu racemus gratiae,  
Uva puritatis,  
Virgo grata nimis,  
me coeli junge beatis.
3. Cedrus excellentiae,  
Hysopus amoris,  
Tu misericordiae  
Mater et honoris,  
Palma patientiae,  
Balsamus odoris,  
Melle tui roris  
me pascas omnibus horis.
4. Diadema gloriae,  
Lilium candoris,  
Myrrha poenitentiae,  
Thalamus pudoris,  
Semita justitiae,  
Clibanus ardoris,  
Me conjunge choris  
paradisi valde decoris.
5. Electrum praefulgidum,  
Splendor firmamenti,  
Vetus ebur viridum,  
Liber documentum,
- Liquor sanans languidum,  
Arca testamenti,  
Parce mihi fienti  
misero peccata luenti.
6. Fomes fovens frigidum,  
Dulcedo pigmenti,  
Solum semper solidum  
Castrum tutamenti,  
Unda lavans sordidum  
Adepsque frumenti,  
Tu sustamenti  
mihi panem frange petenti.
7. Granum sine palea,  
Gemma virtuosa,  
Tu vita coccinea,  
Tu vita jocosa,  
Engaddi tu vinea,  
Tu luna formosa,  
Crimina probrosa  
mea dilue, lux radiosa.
8. Humus tu virginea,  
Tamen fructuosa,  
Tu fiscella scirpea,  
Virgo gloriosa,  
Tu turris eburnea,  
Porta speciosa,  
Vincula nodosa,  
mea solve, salus pretiosa.
9. Juge sacrificium,  
Satisfactionis  
Propitiatorium,  
Thus devotionis,  
Saltus aedificium,  
Vas electionis,  
Me conjunge bonis  
sanctis coelique colonis.

10. Karitatis scrinium,  
 Claustrum unionis,  
 Amoris incendium,  
 Rubus visionis,  
 Celsum David solium,  
 Vellus Gedeonis,  
 Virtus Samsonis,  
 mihi da pacem Salomonis.
11. Legis consummatio  
 Viaque justorum,  
 Orbis exsultatio,  
 Gloria sanctorum,  
 Israel redemptio,  
 Mater orphanorum,  
 Me profectorum  
 fac luce frui monachorum.
12. Martyrum compassio,  
 Comes confessorum,  
 Virginum devotio,  
 Lux apostolorum,  
 Te collaudat concio  
 Tota beatorum,  
 Ad vitam quorum  
 me perduc, spes miserorum.
13. Nardus recens, humilis,  
 Gutta delicata,  
 Virga Jesse nobilis,  
 Fructu fecundata,  
 Scala Jacob stabilis,  
 Sursum elevata,  
 Mens mea purgata  
 per te sit, virgo beata.
14. Ortus delectabilis,  
 Arca deaurata,  
 Terra Jesse utilis,  
 Flore decorata,  
 Virgo venerabilis,  
 Stirpe David nata,  
 Per te vita data  
 mihi sit paxque reparata.
15. Peccatorum venia,  
 Annus jubilaei,  
 Hierusalem filia,  
 Templum veri Dei,  
 Fidei constantia,  
 Refugium rei,  
 Tu miserere mei,  
 mater mirae speciei.
16. Quid in parsimonia  
 Sperant pharisaei,  
 Quare phylacteria  
 Dilatant Esaei,  
 Inflatu scientia  
 Sunt ut Saducaei,  
 Unde memento mei,  
 tu vera dies requiei.
17. Radix aromatica,  
 Tu dulcis resina,  
 Piscina probatica  
 Templique cortina,  
 Sanitatis physica,  
 Vitae medicina,  
 Serves regina,  
 me a morte repentina.
18. Salve, laus prophetica,  
 Stella matutina,  
 Cantus, prosa, musica,  
 Rosa sine spina,  
 De te sua cantica  
 Cantat lex divina,  
 A me declina  
 mortem vitamque propina.
19. Tu castrum tutissimum,  
 Quod bene vallatur,  
 Domus, aula, civitas,  
 Quae bene fundatur,  
 Tu virtus, tu caritas,  
 Quae non minoratur,  
 Quae concedatur  
 mihi per te nec moveatur.
20. Via vitae, veritas,  
 Quae non deviatur,  
 Castitatis puritas,  
 Quae non violatur,  
 Aeterna felicitas,  
 Quae justis optatur,  
 Haec concedatur  
 mihi et nunquam renuatur.

21. Xristi mater crederis,  
 Virgo valitura,  
 Virgo vere diceris,  
 Contra carnis jura  
 Nam parens efficeris  
 Pariendo pura,  
 Solve tua cura,  
 quibus artor, vitia dura.
22. Yris nostri foederis,  
 Jaspidis figura,  
 Piaculum sceleris,  
 Nubes non obscura,  
 Tuos nunquam deseris,  
 Alma creatura,  
 Ad bona ventura  
 trahe me, felix genitura.
23. Ziph florens, stirps regia,  
 Viscera commota,  
 Nostra tympanistria,  
 Ruth oleo fota,  
 Tu cella vinaria,  
 Tu Judith devota,  
 Per te sit lota  
 mea mens bene sorde remota.
24. Et super haec omnia  
 Tu sophia tota,  
 Inter duo media  
 Cherubim es rota,
- Perfecta scientia  
 Tu bene promota,  
 Mater Dei, Maria,  
 mihi da tibi reddere vota.
25. Consolatrix optima,  
 Tu meum solamen,  
 Virgo prudentissima,  
 Fer mihi juvamen,  
 Ut mea sic anima  
 Sentiat juvamen,  
 Quod post certamen  
 mihi pacem det Deus. Amen.
26. Alma virgo virginum,  
 Mater illibata,  
 Vera salus hominum,  
 Felix advocata,  
 Est per te lux luminum  
 Nobis ministrata,  
 Mater es et nata,  
 pia virgo consecrata.
27. Audi, decus numinum,  
 Metra copulata  
 Rhythmis in dictaminum  
 Tibi consecrata,  
 In ploratu criminum  
 Meorum dictata,  
 Ad te delata  
 et bene sint tibi grata.

Cod. Parisiens. 3639 saec. 15/16. — 6, 7 Tu fehlt. — 8, 8 Mea semper salus. — 17, 8 Me regina serves a morte serpentina. — 20, 7 Haec con-  
 donetur.

### 50. De Nominibus BMV.

Ave, sancta Dei genitrix, o virgo Maria,  
 Botrus Cypri, flagrans balsamus, alma Maria.  
 Cypressus Sion, Libani cedrus alta, Maria,  
 Dogma salutis, lux bonitatis, clara Maria.  
 Exemplar morum, virtutum norma, Maria,  
 Fons signatus, favus stillans, divina Maria.  
 Gloria mundi, gemma poli, regina Maria,  
 Hospita regis, principis aula, beata Maria.  
 Ignea flamma, rubus non ustus, mira Maria,  
 Kathedra doctrinae, via recta, colenda Maria.  
 Lucida nubes, fulgida luna, decora Maria,  
 Mitis ovis, formosa columba, benigna Maria.

Nardus odorans, fumus thuris, aroma Maria,  
 Ortus conclusus, flos campi, pulchra Maria.  
 Porta domus clausa, coelestis scala, Maria,  
 Quercus Basan, turris David firma, Maria.  
 Regia proles, sponsa Dei speciosa, Maria,  
 Stella maris, solis aurora serena, Maria.  
 Templum pacis, mannatis arca repleta, Maria,  
 Virga virens, vellus Gedeonis, casta Maria,  
 Xristotocos digna, te dulcis, quaeso, Maria,  
 Ymnus sit gratus tibi, quem pro laude, Maria,  
 Zelo depromo; misero miserere, Maria.  
 Ave, salve, vale, spes mea, virgo Maria.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19819 saec. 15. A. — Orat. ms. Tegurin.  
 saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B. — Cod. Palat. Vindobonen 3572 saec.  
 15. C. — Den Verfasser nennt A fol. 315: Carmen de beata Maria virgine  
 Johannis Schliffer, nicht Schlitpacher, wie der Handschriftenkatalog liest.

### 51. De Nominibus BMV.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Flos virginum, mors criminum,<br>Miserorum spes unica,<br>Maria lux, Maria dux<br>Et stella non erratica,                     | Mortis pactum defoederans,<br>30. Auctorem vitae generans,<br>Adversa mundi temperans,<br>Oppressos pie liberans,<br>Aestuantes refrigerans.                       |
| 5. Maria mons, Maria fons,<br>Maria, mater publica,<br>Maria flos, Maria dos,<br>Maritans imis coelica,<br>Maria pax, Maria fax, | Tu in plateis platanus,<br>35. Tu non incisus Libanus,<br>Tu serenitas animae,<br>Tu lucis splendor intimae.<br>Maria, aegros medicans<br>Et dolentes laetificans, |
| 10. Illuminans umbratica.<br>Maria, virgo coelica,<br>Orta stirpe Davidica<br>Et ubique magnifica,<br>Miserorum causidica.       | 40. Hortus vitae fructificans,<br>Apis Dei mellificans.<br>Maria, casa Helios,<br>Theotocos, Christotocos,<br>Multos salvans Theophilos,                           |
| 15. Tu cella aromatica<br>Et piscina probatica,<br>Tu gratiarum hospita,<br>Tu pietate praedita.<br>Exaudiens Basilium,          | 45. Aethyopes, allophylos.<br>Maria, stantes dirigens,<br>Maria, lapsos erigens,<br>Maria, regens prospera,<br>Maria, planans aspera.                              |
| 20. Restituens Mercurium,<br>Julianum percutiens<br>Et Ildefonsum vestiens;<br>Tu virtus indeficiens,<br>Famelicos reficiens,    | 50. Maria, Heliopolis,<br>Miserorum metropolis,<br>Maria, dux itineris,<br>Decus humani generis.<br>Salvatrix Adae veteris,  |
| 25. Tu pietatis pariens,<br>Impeditos expediens,<br>Imperitos erudiens.<br>Tu Deo nos confoederans,                              | 55. Splendor et decor aetheris,<br>Arrha et arca foederis,   |

- Maria, lux in tenebris,  
Regina coeli celebris,  
Maria, templum Domini,  
60. Per quam salus est homini,  
Maria, felix jugiter,  
Deum portans feliciter  
Et dulcem lactans dulciter.  
Maria, mater inclita,  
65. Maria, vitae semita,  
Maria, coeli janua,  
Salutis spes praecipua  
Et genitrix ingenua  
Atque virgo perpetua.  
70. Maria, dulcis domina,  
Maria, delens crimina,  
Maria, nubes lucida,  
Maria, virgo gravida,  
Maria, partu florida,  
75. Maria, stella splendida  
Et porta lucis fulgida.  
Maria, Jesse virgula,  
Maria, pacis fibula,  
Aeterni regis clausula,  
80. Innocentiae regula  
Et humilium specula  
Naufragorumque tabula  
Et piorum praeambula.  
Maria, salutifera,  
85. Stella maris lucigera  
Et genitrix deifera  
Et sublimis puerpera,  
Virga Jesse florigera  
Olivaque fructifera  
90. Et nardus odorifera.  
Maria, vita spiritus  
Et criminum interitus,  
Maria, vitae reditus,  
Maria, mortis exitus  
95. Et paradisi aditus,  
Maria, caelebs coelitus,  
Maria, pia penitus  
Et templum sancti spiritus.  
Maria, pacis titulus  
100. Et bonitatis cumulus  
Salomonisque lectulus,  
Pius caecorum oculus  
Et infirmorum baculus.
- Maria, dulcis moribus,  
105. Maria, fragrans floribus,  
Superabundans fructibus  
Et virtutum odoribus.  
Terribilis daemonibus  
Suavisque hominibus,  
110. Desiderata gentibus,  
Decorata virtutibus,  
Honoranda ab omnibus,  
Laudanda a mortalibus,  
Requies a laboribus.  
115. Maria, sors victoriae,  
Maria, sinus gloriae,  
Maria, flos munditiae,  
Maria, lux laetitiae,  
Maria, parens patriae,  
120. Maria, carens carie,  
Maria, portus gratiae,  
Maria, porta gloriae.  
Pulchritudo justitiae,  
Angelorum deliciae,  
125. Mater misericordiae,  
Via et vena veniae.  
Fundamentum ecclesiae  
Sedesque sapientiae  
Formaque sanctimoniae  
130. Et aula pudicitiae.  
Genitrix innocentiae  
Et doctrix parsimoniae  
Olivaque clementiae  
Et myrtus temperantiae  
135. Rosaque patientiae,  
Propulsatrix miseriae  
Et decus castimoniae  
Hostisque immunditiae  
Et via indulgentiae.  
140. Maria, viae requies  
Et radians merides,  
Delectabilis species  
Et beata progenies,  
Immortalis effigies,  
145. Gratiarum congeries  
Atque virtutum series.  
Maria, terra fertilis  
Atque crater tornatilis,  
Murus inexpugnabilis  
150. Et columna immobilis,

- Angelis admirabilis,  
 Hominibus amabilis,  
 Fortis, insuperabilis,  
 Dulcis, decora, nobilis,  
 155. Corde et ore humilis,  
 Vultu desiderabilis,  
 Specie delectabilis  
 Et amore affabilis.  
 Maria, mater luminis,  
 160. Maria, sedes numinis,  
 Maria, fons dulcedinis,  
 Mater, Dei et hominis.  
 Felix et expers criminis  
 Templumque pulchritudinis  
 165. Et norma rectitudinis,  
 Vita beatitudinis  
 Et turris fortitudinis  
 Coronaque certaminis.  
 Maria, caput gaudii,  
 170. Maria, finis vitii,  
 Plenitudo solatii,  
 Magni mater consilii,  
 Flos violae, flos lili,  
 Acervus testimonii  
 175. Et lapis adjutorii  
 Civitasque refugii  
 Portaue sanctuarii.  
 Maria, salus populi  
 Et reparatrix saeculi,  
 180. Spei nostrae soliditas,  
 Gaudium et tranquillitas,  
 Affluens liberalitas  
 Et salutis securitas.  
 Fugitivorum civitas  
 185. Et reorum felicitas,  
 Sanorum incolumitas,  
 Quietorum serenitas,  
 Paradisi jucunditas  
 Et piorum suavitas,  
 190. Speciosa fecunditas  
 Et beata virginitas.  
 Maria, plena gaudio,  
 Superborum depressio,  
 Bonorum sublimatio,  
 195. Diaboli dejectio  
 Et hominis erectio,  
 Prophetarum promissio,  
 Justorum expectatio,  
 Sanctorum exsultatio,  
 200. Inferorum destructio,  
 Vitiorum extinctio  
 Et morum informatio,  
 Victorum absolutio,  
 Pauperum consolatio,  
 205. Inopum sustentatio,  
 Lapsorum relevatio,  
 Delictorum deletio,  
 Virtutum consummatio  
 Et bonorum perfectio,  
 210. Exsulum revocatio,  
 Reorum liberatio,  
 Hostium interitio,  
 Tuorumque tuitio,  
 Peccatorum remissio,  
 215. Captivorum redemptio,  
 Sanitatis collatio  
 Et languoris curvatio,  
 Salutis acquisitio  
 Et vitae restitutio,  
 220. Erroris abdicatio,  
 Mundi propitiatio,  
 Gratiae exhibitio  
 Et mortis abolitio,  
 Divinitatis mansio  
 225. Et pietatis statio,  
 Humilium protectio,  
 Munimen et defensio,  
 Orbis illuminatio  
 Et deitatis sessio,  
 230. Vitae recuperatio  
 Et Dei habitatio,  
 Saeculi reparatio  
 Et larga miseratio,  
 Dei confoederatio.  
 235. Maria, orbe latior,  
 Maria, coelo mundior,  
 Maria, cunctis melior,  
 Maria, cunctis mitior,  
 Maria, melle dulcior  
 240. Et floribus fragrantior.  
 Maria, rosis gratior  
 Et liliis candidior,  
 Unguentisque suavior  
 Et gemmis rutilantior,

245. Lunaque luminosior  
 Et cunctis sanctis sanctior,  
 Cunctisque gratiosior  
 Et cunctis mirabilior,  
 Cunctisque excellentior
250. Et cunctis speciosior.  
 Maria, schola dogmatum,  
 Maria, lausque pneumatum,  
 Areola aromatum,  
 Apotheca charismatum.
255. Maria, mundi speculum,  
 Castitatis signaculum,  
 Virtutum receptaculum,  
 Redemptionis ferculum  
 Et gratiae vehiculum
260. Et lucis habitaculum,  
 Salutis propugnaculum  
 Et Dei tabernaculum,  
 Salomonis cubiculum  
 Et aureum thuribulum,
265. Pietatis oraculum  
 Et veniae vestibulum,  
 Firma civitas exsulum,  
 Dilectionis vehiculum  
 Et sanctitatis pabulum.
270. Maria, mundi liliū,  
 Gloria triumphantium,  
 Victoria pugnantium,  
 Infirmorum remedium  
 Et reorum refugium.
275. Maria, flos convallium,  
 Dei gazophylacium,  
 Vitae reconditorium,  
 Tenebrarum excidium  
 Et lucis infusorium,
280. Pietatis remigium,  
 Dei reclinatorium,  
 Deitatis cinctorium,  
 Spiritus sancti scrinium.  
 Maria, regis solium,
285. Miserorum solatium,  
 Salvatrix pereuntium,  
 Portus periclitantium  
 Et sidus navigantium.  
 Maria, salus gentium,
290. Laetitia fidelium  
 Et mundi patrocinium,
- Jucunda laus coelestium  
 Et tutela terrestrium.  
 Maria, lux laetantium,
295. Virtus et vita cordium,  
 Summi regis hospitium,  
 Consolatrix moerentium  
 Et amatrix humilium.  
 Maria, spes debilium,
300. Erectio credentium  
 Virtusque laborantium,  
 Gratiae stillicidium  
 Et morum magisterium.  
 Maria, refrigerium
305. Et propitiatorium,  
 Deitatis aerarium  
 Et Domini sacrarium.  
 Maria, dux fidelium,  
 Terror et luctus hostium,
310. Laetitia credentium,  
 Sospitas aegrotantium  
 Et portus fluctuantium.  
 Maria, vitae pretium  
 Et Dei domicilium,
315. Salutis privilegium,  
 Virginitatis liliū  
 Et honor continentium.  
 Maria, spes moerentium,  
 Salvatrix morientium,
320. Revocatrix errantium,  
 Libertatis praesidium  
 Et vitale subsidium.  
 Maria, coeli gaudium,  
 Potestatis fastigium,
325. Exactoris exitium,  
 Praedonis praecipitium,  
 Babylonis excidium  
 Et mortis exterminium.  
 Maria, salus omnium,
330. Dei itinerarium,  
 Lucis elucidarium,  
 Deitatis solstitium,  
 Beata spes mortalium  
 Et pacis consistorium.
335. Maria, virgo virginum,  
 Maria, lactans Dominum,  
 Maria, solis regia,  
 Mulierum laetitia,

- Stella maris eximia,  
340. Stella stationaria,  
Et miserorum gloria.  
Maria, virgo regia,  
Insignis et egregia  
Deique sedes propria,  
345. Virginum primiceria  
Et vitae thesauraria.  
Maria, plena gratia,  
Plena misericordia  
Et omnis boni copia,  
350. Veritatis custodia  
Et salutis materia.  
Maria, fugans vitia,  
Iras, luctus et odia,  
Vitae reducens gaudia  
355. Et quaeque pellens tristia  
Et abundans in gratia  
Sublimisque in gloria.
- Maria, nati filia,  
Genitrix et nutricia  
360. Cellaque pigmentaria;  
Tu copia profectuum,  
Resarcitrix defectuum,  
Ordinatrix affectuum,  
Pietatis irriguum.  
365. Te venerantur omnia,  
Coelestia, terrestria,  
Tu virtutum fragrantia,  
Rosas vincens et lilia,  
Tu nostra spes et gloria,  
370. Tu virtus et victoria,  
Tu clemens et propitia,  
Deo nos reconcilia.  
Ipsi tibi que gloria,  
Laus, honor, reverentia  
375. In saeculorum saecula.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571.

## 52. Salutationes BMV.

1. Salve, mater salvatoris,  
Nati nata genitoris,  
Genitrix ingenua;  
Cui semper et ubique  
Devoti fideles quique  
Digne flectunt genua.
2. Salve, cui scripturarum  
Nec non et creaturarum  
Series deserviunt,  
Dum hinc digne praedicando,  
Hinc decenter figurando  
Laudes tuas pariunt.
3. Salve, coelum spiritale,  
Summum atque speciale  
Summi regis solium;  
Coelum cum terra creatum,  
Sed a terra sublimatum  
Summum ad fastigium.
4. Salve, vera casa solis,  
Veri Dei verae prolis,  
Aula Dei regia;
- Stellis virtutum celata,  
In qua digne sunt celata  
Secreta coelestia.
5. Salve, lucis lux aurora,  
Lux excellens, lux decora,  
Tenebrarum nescia;  
Digne dies appellata,  
Quia solis illustrata  
Speciali gratia.
6. Salve, coeli firmamentum,  
Terrarum operimentum,  
Praepotens protectio  
Es tu tamen terrenorum,  
Quae duum testamentorum  
Facta es in medio.
7. Salve, terra laude digna,  
Herbas virentes et ligna  
Producens fructifera;  
Rore quidem sacri flatus  
Sacros reddens cogitatus  
Et virtutum opera.



8. Salve, gemma firmamenti,  
Firmamenti jam recenti  
Ad ornatum insita;  
Magnum luminare poli,  
Minus tamen, quia soli  
Claritate subdita.
9. Salve, semper lucens luna,  
Cujus eadem et una  
Jam manet integritas,  
Qua gentilis illustratur  
Nox erroris, et mundatur  
Peccantum impuritas.
10. Salve, terra, flos terrarum,  
Nam virtutem aliarum  
Excedis et speciem;  
De qua conscendit fons vitae  
Universam rigans rite  
Terrae superficiem.
11. Salve, sacrum terrae lutum,  
In qua deitatis sputum,  
Rigans, quod aruerat,  
Hominem de te formavit,  
Qui humanum reformavit  
Plasma, quod perierat.
12. Salve, Dei paradise,  
Aeternaliter provise  
Nostrum ad subsidium,  
Quae dum Christum genuisti,  
Lignum vitae protulisti  
Producens in medium.
13. Salve, loce voluptatis,  
Quae verae satietatis  
Emisisti filium,  
Dum arentes irrigantem,  
Sitientes satiantem  
Genuisti filium.
14. Salve, mulier beata,  
Quae constanter animata  
Ope sancti spiritus  
Caput serpentis antiqui,  
Versipellis et iniqui,  
Constrivisti funditus.
15. Salve, mater salvandorum,  
Per quam digne defunctorum  
Vita digne redditur;
- Recte per Evam signata,  
Recte nam interpretata  
Eva vita dicitur.
16. Salve, nostri vas salutis,  
Arca vere, vas virtutis,  
Vas coelestis gratiae;  
Vas ad unguem levigatum,  
Vas decenter fabricatum  
Manu sapientiae.
17. Salve, cujus pietatis  
Sinus patens cum mundatis  
Et immundos colligit;  
Hos, ne mari submergantur,  
Illos, ut eripiantur,  
Sicque nullum abigit.
18. Salve, princeps generosa,  
Stirpe satis gloriosa,  
Illustris prosapia,  
Recte per Saram signata,  
Cujus partu sunt collata  
Mundo vitae gaudia.
19. Salve, nata Bathuelis  
Et felici Gabrielis  
Salutata fame,  
Isaac nunc desponsaris,  
Cui digne copularis  
Sacro plena flamine.
20. Salve, vera Jacob scala,  
Per quam conscendentes mala  
Mundi vitant devia,  
Dum effectu te sequentes  
Vel per te proficientes  
Tendunt ad coelestia.
21. Salve, scala, qua ascendunt  
Contemplantes et descendunt,  
Dum eis humanitas  
Christi per te reseratur,  
Et eisdem declaratur  
Humanata deitas.
22. Salve, fidelis fiscella,  
In cujus felici cella  
Pharaonis filia  
Legis suscepit latorem,  
Hoc est suum redemptorem  
Gentium ecclesia.

23. Salve, rubo figurata,  
 Sacri flatus fecundata,  
 Non usta succendio,  
 Quam illaesam conservavit,  
 Quam nec ulla violavit  
 Carnis aestuatio.
24. Salve, coelum nube carens,  
 Panis coeli sacra parens  
 Vitae stillicidium,  
 Fluens, quando protulisti  
 Verum manna, corpus Christi,  
 Ad esum fidelium.
25. Salve, coelo mons vicine,  
 Quem vel nunquam vel non sine  
 Poena tangit bestia,  
 In quo legem caritatis  
 Et totius bonitatis  
 Diva dedit gratia.
26. Salve, felicitis figmenti  
 Arca novi testamenti,  
 Arca novi foederis,  
 Per quam servus herae datur  
 Et factori foederatur  
 Pace data posteris.
27. Salve, virga, quam direxit  
 Fides recta, spes erexit,  
 Inflammavit caritas;  
 Flore vernans, fructu grata,  
 Cujus Christum illibata  
 Protulit integritas.
28. Salve, sponsa verbi Dei,  
 Quam Jahel, Haber Cinaei  
 Conjux, signat congrue,  
 Nam dum anguem constrivisti,  
 Sisaram interemisti  
 Superatum strenue.
29. Salve, Gedeonis vellus,  
 Quo madente sicca tellus  
 Florem vitae recipit;  
 Flos est Christus, tellus arens  
 Mens amore Christi carens,  
 Sed hunc per te percipit.
30. Salve, vera Sunamitis,  
 Virgo super omnes mitis,  
 Pulchra prae virginibus,  
 Quae in membris frigescentem  
 Christum reddis calescentem  
 Tuis in amplexibus.
31. Salve, templum Salomonis,  
 Domus exauditionis,  
 Regis regum regia,  
 Fide firmiter fundata,  
 Spe conscendes, consummata  
 Caritatis copia.
32. Salve, sacer thronus Christi,  
 Quae sola digna fuisti  
 Sessorem suscipere,  
 Candens ebur castitatis,  
 Micans auro caritatis,  
 Miro vernans opere.
33. Salve, Sion sublimata,  
 Hierusalem urbs beata,  
 Verae pacis civitas;  
 Sion, de qua lex exivit,  
 Urbs, de qua verbi prodivit  
 Calciata deitas.
34. Salve, sacra parens Christi,  
 Quem dum virgo peperisti,  
 Juxta vaticinium  
 Factus est nobiscum Deus,  
 Quem dum repellit Judaeus,  
 Fit propinquus gentium.
35. Salve, virens virga Jesse,  
 Quam frequenter et expresse  
 Signant vaticinia;  
 De qua florum flos exivit,  
 Quem decenter redimivit  
 Septiformis gratia.
36. Salve, petra firmitatis  
 In deserto vanitatis  
 Constans et immobilis,  
 De qua missus est salvator,  
 Coeli, terrae dominator,  
 Sed ut agnus humilis.
37. Salve, terra Deo grata,  
 Quae de supernis rorata  
 Deitatis pluvia  
 Germinasti salvatorem,  
 Nova terra novum florem  
 Renovantem omnia.

38. Salve, nubes claritatis,  
Exsors nostrae gravitatis,  
Lenis et lucifera,  
Quamscandens Christus intravit  
Mundum, in quo condemnavit  
Tenebrarum opera.
39. Salve, virtute sublimis  
Abies myrteque nimis  
Temperans et humilis,  
Quae pro prima peccatrice  
Conscendisti de radice  
Stirpis non ignobilis.
40. Salve, mater novitatis,  
Renovatrix vetustatis  
Nil vetustum sapiens,  
Quae virum circumdedisti,  
Christum alvo dum gessisti,  
Virgo virum nesciens.
41. Salve, porta principalis,  
Aditus orientalis,  
Porta soli pervia  
Principi, per quam intravit  
Templum, quod et illustravit  
Pietatis gratia.
42. Salve, mons, de quo praecisus  
Lapis, per quem est elisus,  
Quem signat iconia;  
In immensum montem crevit  
Et totam terram replevit  
Majestatis gloria.
43. Salve, decor virginalis,  
Virgo vere pars australis  
Et mons fructu fertilis,  
De quo venit ad nos Deus,  
Factus sed ut homo reus  
Forma servi similis.
44. Salve, mulier formosa,  
Cui Judith sat famosa  
Alludit victoria,  
Per quam Satan suffocatur,  
Et gens tua liberatur  
De mortis angustia.
45. Salve, cujus castitatis  
Sinu comprehendi gratis  
Voluit rhinoceros,  
Cujus unica majestas,  
Cujus discreta potestas  
Spoliavit inferos.
46. Salve, summam quae sophiam,  
Patri Thobiae Thobiam  
Genuisti filium,  
Anna recte nominata,  
Quae sic donis es ditata  
Gratiarum omnium.
47. Salve, sol serenitate  
Nitens, fervens caritate,  
In quo tabernaculum  
Suum Christus collocavit,  
Quando suum visitavit  
Pugnaturus populum.
48. Salve, conclavis amoena,  
Quia sacro flatu plena,  
Quam salvator subiit  
Et hinc sibi desponsata  
Carne jam deificata  
Tanquam sponsus prodiit.
49. Salve, coelum, coelibatum  
Semper servans, praeparatum  
Dei habitaculum,  
De quo clementer respexit  
Et factus prope respexit  
Universum populum.
50. Salve, regina coelorum  
Dextrae regis angelorum  
Adsistens in gloria  
In vestitu deaurato  
Virtutumque variato  
Plena confluentia.
51. Salve, summi regis nata,  
Aure cujus inclinata  
Per obedientiam  
Te cupivit ad decorem  
Rex, oblitam mundi florem  
Et gentis stultitiam.
52. Salve, virgo, cujus vultum  
Dignum tibi dantes cultum  
Deprecantur divites,  
Vere siquidem ditantur  
Nec de plebe reputantur  
Tuae laudis milites.

53. Salve, sponsa gloriosa,  
 Foris et intus formosa,  
 Cujus omnis gloria  
 Ab internae puritatis,  
 Cordis et humilitatis  
 Procedebat gratia.
54. Salve virgo, quam sequuntur  
 Et ad regem adducuntur  
 Continentes animae,  
 Dum hic per devotionem,  
 Illic per conjunctionem  
 Fiunt tibi proximae.
55. Salve, civitas jucunda,  
 In quam sacri flatus unda  
 Confluens ad cumulum  
 Digne te laetificavit  
 Et dignum sanctificavit  
 Christo habitaculum.
56. Salve, templum sanctum Dei,  
 In quo consequuntur rei  
 Peccatorum veniam,  
 Quo salutem susceperunt,  
 Quam prophetae promiserunt,  
 Et misericordiam.
57. Salve, terra visitata  
 Affatimque debriata  
 Sacri flatus gratia,  
 Quam in te multiplicavit  
 Quaque te laetificavit  
 Nati diligentia.
58. Salve, terra benedicta,  
 Per quam diu derelicta  
 Populi captivitas  
 Captivatur, visitatur,  
 Atque plebis relaxatur  
 Perstringens iniquitas.
59. Salve, terra, quam rigavit  
 Et hinc ad nos derivavit  
 Se misericordia  
 Orta de te veritate,  
 Sicque sunt coosculatae  
 Pax atque justitia.
60. Salve, terra, quae dedisti  
 Fructum vitae, corpus Christi,  
 Cujus te benignitas  
 Data prius praeparavit,  
 Et sic in te declinavit  
 Incarnanda deitas.
61. Salve, civitas famosa,  
 De qua digne gloriosa  
 Dicta sunt praeconia;  
 Sed quaecunque praedicantur  
 De te, tuis superantur  
 Meritis et gloria.
62. Salve, domus fabrefacta  
 Atque decenter compacta  
 Manu sapientiae,  
 Sibi quam aedificavit  
 Et columnis roboravit  
 Septiformis gratiae.
63. Salve, fortis et fidelis  
 Mulier, cujus de caelis  
 Pretiosum pretium  
 Sacri flatus primum empta  
 Donis ac demum redempta  
 Proprium per filium.
64. Salve, pulchra et pudica  
 Sponsa mater et amica  
 Fide, forma, facie,  
 Digna partu, digna thoro,  
 Digna sponso tam decoro,  
 Qui sol est justitiae.
65. Salve, sancta, flos sanctarum,  
 Sponsa, regina sponsarum,  
 Inter omnes unica,  
 Unde digne famulantur  
 Tuae laudi, quam effantur  
 Canticorum cantica.
66. Salve, sponsa sponso grata,  
 Ore cujus osculata  
 Primis gaudes oculis,  
 Per quem tibi, per quem cunctis  
 Parietibus conjunctis  
 Pax est data populis.
67. Salve, digna nutrix Christi,  
 Dulcibus quem nutritisti  
 Et lautis uberibus,  
 Quae palato piae mentis  
 Cunctis plus delectamentis  
 Sapiunt carnalibus.

68. Salve, cujus nomen sanctum  
Est unguentum aegrotantum,  
Spes et invocatio,  
Quos et tuae sanctitatis  
A sanctis dilecta satis  
Perfundit opinio.
69. Salve, quam is post se traxit,  
Qui se de te praeextraxit,  
Cujus in odoribus  
Unguentorum cucurristi,  
Uncta quibus exstitisti  
Tuis prae consortibus.
70. Salve, quam prius in tua  
Cella susceptus rex sua  
Duxit in cellaria,  
Ut illius secretorum  
Ad laetitiam tuorum  
Jure fias conscia.
71. Salve, quam nimirum recti  
Tuis meritis illecti  
Amant unanimiter,  
Qui tuorum meritorum  
Uberumque geminorum  
Memores sunt jugiter.
72. Salve, nigra sed formosa,  
Nigra sed invidiosa,  
Nigra derogantibus,  
Non in te naturae regem,  
Sed tantum naturae legem  
Prave perpendentibus.
73. Salve, tota pulchra bonis  
Sicut pelles Salomonis  
Carnis mortificio,  
Vera Jerosolimita,  
Quia carnis expedita  
Prorsus a dominio.
74. Salve, quam decoloravit,  
Dulcem natum quae damnavit,  
Fervens persecutio;  
Sed nec talem te miratur,  
Cui matris intimatur  
Amantis affectio.
75. Salve, quam tunc impugnarunt,  
Prole dulci dum orbarunt,  
Tuae matris filii,  
Et velatum cor habentes  
Adhuc perstant persequentes  
Veritatis insecii.
76. Salve, fida plurimarum  
Custos facta vinearum,  
Dum, linquens nequitiam  
Synagogae, singularum  
Ad curam ecclesiarum  
Transis et custodiam.
77. Salve, quondam Pharaonis,  
Hoc est antiqui draconis  
Infestata curribus,  
Quos recte triumpho Christi  
Similata submersisti  
Aquis spiritalibus.
78. Salve, cujus nardus grata,  
Hoc est virtus hac signata,  
Odorem exhibuit,  
Dum summi in sinu patris  
Et in tuo dignae matris  
Alvo rex accubuit.
79. Salve, cui myrrha fuit  
Dilectus, cum nostra luit  
Ut scelestus scelera,  
Myrrha mortem tolerando,  
Myrrha semper conservando  
Morans inter ubera.
80. Salve, digne comparata  
Flori florum, summo lata  
Lilio convallium,  
Inter filias formosa  
Velut inter flores rosa,  
Inter spinas liliium.
81. Salve, plena caritate,  
Quam pia benignitate,  
Pia diligentia  
Tunc in te rex ordinavit,  
Cum inductam collocavit  
In cella vinaria.
82. Salve, floribus fulciri  
Atque circumamiciri  
Malis pie gestiens,  
Motu quidem caritatis  
Nostrae motus puritatis  
Et fructus esuriens.

83. Salve, cujus sponso grata  
Facies et vox optata,  
Dulcis ejus auribus,  
Ergo faciem ostende  
Et ei preces impende  
Tuis pro supplicibus.
84. Salve, gracilis et recta  
Virgaque per spem erecta,  
Odora virtutibus,  
Desertum deseruisti,  
Per quod summis ascendisti  
Gratiarum gradibus.
85. Salve, pulchra velut luna,  
Ut sol inter omnes una,  
Praelecta singulis,  
Dum ut aurora procedens  
Jubar tenebris succedens  
Praebuisti saeculis.
86. Salve, dilectum enixa,  
Super quem demum innixa  
Ac plena deliciis  
De deserto conscendisti  
Dilectoque consedisti  
Coeli fruens gaudiis.
87. Salve, mater Salomonis,  
Quem in desponsationis  
Ejus et laetitiae  
Die digne coronasti  
Duplicique decorasti  
Corona victoriae.
88. Salve, lecte Salomonis,  
Quem dignae defensionis  
Causa fortes ambiunt,  
Orthodoxi nunc doctores,  
Quondam angeli tutores  
Nuncque tibi serviunt.
89. Salve, proles prophetarum,  
Regum et patriarcharum,  
Salomonis ferculum,  
In quo digne se gestandum,  
Per quod pie sustentandum  
Suum duxit populum.
90. Salve, turris vere fortis,  
Supra metas nostrae sortis,  
Velut mors dilectio;
- A mundo te separavit,  
Quam nulla debilitavit,  
Torrens persecutio.
91. Salve, novi testamenti  
Fons ejusque complementi  
Condigna materia,  
Mater quidem novi regis,  
In quo nobis novae legis  
Nova luxit gratia.
92. Salve, quam, ut praedicebat  
Atque crebro praecinebat  
Cantio prophetica,  
Sic gignendum pio patri  
Praedixit piaequae matri  
Pia vox angelica.
93. Salve, virgo desponsata,  
Alteri sed conservata,  
Quem coelestis nuntius  
Sponsum tibi nuntiavit,  
Et mox thalamum intravit  
Idem Dei filius.
94. Salve, fons humilitatis,  
Quae, licet felicitatis  
Tuae tibi conscia,  
Ancillam te nominasti,  
Quam summa non ignorasti  
Sublimatam gratia.
95. Salve, coelorum sessorem  
Terrarumque possessorem  
Pariens in stabulo,  
Ac praesepe jumentorum  
Cibo ditans angelorum  
Atque vitae pabulo.
96. Salve, legis observatrix,  
Quae legales ut peccatrix  
Non habens piacula,  
Hostias Deo dedisti,  
In templo cum obtulisti  
Agnum sine macula.
97. Salve, salvans salvatorem,  
Dum Herodis ob errorem  
Persequentis filium,  
In Aegyptum transfugisti,  
Vere pro amore Christi  
Subiens exsilium.

- |  |   |
|--|---|
| <p>98. Salve, digna Dei nutrix,<br/>Custos, vigil et adjutrix<br/>Digne tibi subditi,<br/>Usque tempus praefinitum<br/>Nostrum decreto sancitum<br/>Persolvendi debiti.</p> <p>99. Salve, matrum gloriosa,<br/>Quam in cruce pretiosa<br/>Dum penderet filius,</p> | <p>Juxta verbum Simeonis<br/>Acerbae compassionis<br/>Pertransivit gladius.</p> <p>100. Salve, regina coelorum,<br/>Quae post mortis et dolorum<br/>Hausta scandens pocula<br/>Sponso regi complantaris,<br/>Cum quo regnans collaetaris<br/>Per aeterna saecula.</p> |
|--|---|

Orat. ms. Majoris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181. — „Expliciunt salutationes dominae nostrae numero centum secundum sententias specialius, competentiusque lucidius alludentes, ex utriusque testamenti serie diligenter excerptae.“ — 2, 4 huic. — 2, 5 huic. 28, 2 Aber cynei. — 46, 5 est ditata. — 48, 4 huic. — 57, 5 multiplicavit. — 64, 1 Salve pudica pudica.

### 53. Salutationes BMV.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Ave, vera orbis hera,<br/>Ave, virgo virginum,<br/>Salve, mera puerpera,<br/>Salve, salus hominum.</p> <p>2. Ave, nata jam beata,<br/>Ave, felix jugiter,<br/>Salve, grata advocata,<br/>Salve, dulcis, dulciter.</p> <p>3. Ave, tutum vas virtutum,<br/>Ave, dives gratia,<br/>Salve, scutum contra lutum,<br/>Salve, secans vitia.</p> <p>4. Ave, laeta mortis meta,<br/>Ave, finis vitii,<br/>Salve, feta Deo freta,<br/>Salve, caput gaudii.</p> <p>5. Ave, flentis risus mentis,<br/>Ave, mundi gaudium,<br/>Salve, gentis spes egentis,<br/>Salve, salus omnium.</p> <p>6. Ave, viae dux regiae,<br/>Ave situs siderum,<br/>Salve, pie omni die,<br/>Salve, memor pauperum.</p> | <p>7. Ave, forum miserorum,<br/>Ave, dulcis domina,<br/>Salve, florum ver novorum,<br/>Salve, felix femina.</p> <p>8. Ave, verum decus rerum,<br/>Ave, plena lumine,<br/>Salve, merum lac uberum,<br/>Salve, lac de virgine.</p> <p>9. Ave, nato grata grato,<br/>Ave, caelebs coelitus,<br/>Salve, dato laeta lato,<br/>Salve, salva penitus.</p> <p>10. Ave, tota vere lota,<br/>Ave, prorsus splendida,<br/>Salve, nota sine nota,<br/>Salve, tota candida.</p> <p>11. Ave, pratium aromatum,<br/>Ave, flagrans floribus,<br/>Salve, satum charismatum,<br/>Salve, dulcis moribus.</p> <p>12. Ave, plana, plene sana,<br/>Ave, sanans languidum,<br/>Salve, cana ros in lana,<br/>Salve, vellus madidum.</p> |
|---|---|
13. Ave, pia stirps regiae,  
Ave, regens ceteros,  
Salve, via ad gaudia,  
Salve, salvans miseros.

Cod. Cantabrigen. Ff VI 14. saec. 13. A. — Orat. ms. Majoris Carthuisiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181. B. — 1, 4 Salve fehlt A. — 2, 1 Salve A. — 3, 4 lac in virgine B. — 9, 3 laeta leto A. — 11, 2 fehlt A. — 11, 3 Salve sacrum B; satum aromatum A. — 12, 1 Ave plena A.

#### 54. De Compassione BMV.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Ante crucem virgo stabat,<br/>Poenas Christi cogitabat,<br/>Totam se dilaniabat<br/>    Vultum lavant lacrimae.</p> <p>2. Dicit virgo: Quid fecisti,<br/>Quod delictum commisisti,<br/>Quare crucem ascendisti?<br/>    Me dolentem respice.</p> <p>3. Vos, Judaei, per errorem<br/>Occidistis redemptorem,<br/>Mundum salvans per amorem<br/>    Sua sacra passio.</p> <p>4. Orbata sum filio,<br/>Apostolos non video,<br/>Quo vadam sola, nescio,<br/>    Non possum ultra vivere.</p> | <p>5. Dicit Jesus: O mater mea,<br/>Non te turbet poena mea,<br/>Praecedam vos in Galilaea,<br/>    Resurgam die tertia.</p> <p>6. Johannes sit tibi filius,<br/>Custos atque famulus<br/>Eritque tibi bajulus<br/>    In hac mundi miseria.</p> <p>7. Pater misit me ad mortem,<br/>Vici jam draconem fortem,<br/>Super me miserunt sortem<br/>    Judaea gens incredula.</p> <p>8. Mortem ergo non timeamus,<br/>Omnes crucem diligamus,<br/>Deo devote serviamus<br/>    Cum omni reverentia.</p> |
|---|--|

Orat. ms. saec. 15. Cod. Mantuan. E I 27.

#### 55. De Compassione BMV.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Adsis huic speculo,<br/>Mater o Maria,<br/>Pendet in patibulo<br/>    Jam Dei sophia,<br/>Dux et decus virginum,<br/>    Dulcis, mitis, pia,<br/>De torrentis calice<br/>    Qui bibit in via.</p> <p>2. Quid flens adstas longius?<br/>Propius accede,<br/>Ecce tuus filius<br/>    Heu tractatus foede,<br/>Heu plenis opprobriis<br/>    Donatur mercede,<br/>Hac pius ab impiis<br/>    Mactatur a caede.</p> <p>3. An est, mater, filius<br/>Tuus ad hoc natus,<br/>Ut sic digne genitus,<br/>    Sic sit cruentatus?</p> | <p>Vere non immerito<br/>Dicetur beatus<br/>In hoc ejus scandalo<br/>    Non scandalisatus.</p> <p>4. Ad pudoris cumulum<br/>Vestibus nudatur,<br/>Vento, gelu, pluviae<br/>    Nudus explicatur<br/>Sistunt longe proximi,<br/>    Nullus consolatur,<br/>Sed stant prope nimium,<br/>    Per quos cruciatur.</p> <p>5. Omni poena gravior<br/>Est haec poenae poena,<br/>Quae non tantum mortis est<br/>    Sed pudore plena,<br/>Mater vere rumpitur<br/>    Tibi cordis vena,<br/>Cum pallescit filii<br/>    Facies amoena.</p> |
|--|--|



6. In cruore penitus  
Venae vacuantur,  
Marcet frons et facies,  
Rugae procreantur,  
Clausis prope ciliis  
Oculi versantur,  
Sudor mortis exsilit,  
Fauces congelantur.
7. Adspice, si praeuales,  
Mater, hunc dolorem,  
Rubor vultus qualiter  
Transit in pallorem,  
Manus, pedes qualiter  
Emittunt cruorem,  
Quae materni pectoris  
Cumulant moerorem.
8. Rigent tensa stipite  
Brachia procera,  
Decor vultus pristinus  
Liquescit ut cera,  
Corpus clavis asperis  
Pendet in statera,  
Ut sic vaticinia  
Vatum fiant vera.
9. Jam nec decor ullus est  
Nec decus in ore,  
Aures nihil audiunt  
Solito de more,  
Rubet latus nitidum,  
Candet in pallore  
Pectus, ruunt genua  
Ponderis vigore.
10. Jam dextrorsum nitidum  
Caput reclinatur,  
Cui se plicans nimium  
Collum famulatur,  
Horret coma capitis,  
Arte non aptatur,  
Immo venti flatibus  
Huc illuc vagatur.
11. O dolor, nec mortuo  
Vel sic pepercerunt,  
O moeror, sic lancea  
Latus transfixerunt,
- O scelus, ut hic et haec  
Hoc scelus senserunt,  
Sol et luna pariter  
Tenebris cesserunt.
12. Plange, mater, filium,  
Nunc tempus plangendi,  
Ingens est materia  
Causaque dolendi;  
»Heu, mi fili,« tempus est  
Crebro repetendi  
Et decentes digitos  
Vel manus torquendi.
13. Mater, caput agita  
Manibus levatis,  
Terram sparge capiti  
Comis laceratis,  
Rumpe vestem pectoris,  
Pectus pietatis  
Cum sugenti pandere  
Consuevisti gratis.
14. Auras replens quaestibus,  
Mater, gemens plora,  
Imbres crebri fletuum  
Defluant per ora,  
Terrae fige genua,  
Corruens adora,  
Et foedetur pulvere  
Facies decora.
15. O quis digne numeret  
Omnes hos labores,  
Quos pro nobis passus est  
Jesus et languores,  
Vere nostros pertulit  
Hic dolens dolores,  
Reddit ipse debitum  
Et non debitores.
16. Nicodemus et Joseph  
Ecce convenerunt,  
Myrrhae atque aloes  
Mixturam tulerunt,  
Post de plagis quatuor  
Claves extraxerunt  
Et de crucis stipite  
Hunc deposuerunt.

17. Curre nunc, moestissima,  
*Brachia sustenta,*  
 Quae sunt mortis frigore  
*Rigide distenta,*  
 His infigas oscula  
*Centum vel ducenta,*  
 Nec credo, quod fueris  
*Ducentis contenta.*
18. Jam nil parcens vocibus  
*Planctus da mugitum,*  
*Lacrimas, suspiria*  
*Profer et rugitum,*  
 Nam scelus huic simile  
*Nunquam est auditum,*  
 Sed nec erit uspiam  
*Tale repetitum.*
19. Manans de vulneribus  
*Cruor colligatur,*  
 In signum memoriae  
*Peplo leniatur*  
*Cateracta capitis*  
 Nunc, mater, rumpatur,  
*Et de cordis intimis*  
*Gemitus edatur.*
20. O quam matris miserae  
*Cor jam syncopizat,*  
*Dolor indicibilis*  
*Intus colaphizat,*  
 Jam Maria Martha fit,  
*Jam non sabbatizat,*  
 Quam moeroris fluvius  
*Perfecte baptizat.*
21. Sic post tot angustias  
*Ut sit tumultus*  
*Jesus, mundam syndonem*  
*Joseph est mercatus,*  
 In qua Jesus positus  
*Est sepulchro datus,*  
 Sicque cum custodibus  
*Lapis est signatus.*
22. Jesu, rex misericors,  
*Tu qui sic obisti,*  
 Per cruorem vulnerum,  
*Quem de te fudisti,*  
 Mitte nobis spiritum,  
*Quem tuis misisti,*  
 Ne relinquant orphanos  
*Quos sic redemisti.*

Cod. Cautabrigen. Ee VI 29. saec 15. — 13, 8 confuisti gratis. — 19, 4  
 lemiatur.

### 56. Planctus BMV.

1. Eja, virgo gloriosa,  
 Quondam Noemi formosa,  
 Pulchra tota, amorosa,  
 Sed nunc Mara dolorosa.
2. Cur sic cruci adstas fixa,  
 Crucifixo sic innixa,  
 Ut dolore sis transfixa,  
 Tanquam ipsum sis enixa?
3. Quondam illa speciosa,  
 Cunctis visu gratiosa,  
 Nunc moerore nubilosa,  
 Gemens, tristis, lacrimosa.
4. Unde cruciatus sibi,  
 Quare tantus dolor tibi?  
 Forsan causa latet ibi  
 Major, posset quam describi.
5. Quis vos ambos sic confixit,  
 Quis dolore sic afflixit?  
 Nullus homo unquam vixit,  
 Quem sic tantus dolor frixit.
6. Quae doloris hujus causa  
 Te tristare fuit ausa,  
 Latet adhuc in te clausa,  
 A dolore, quaeso, pausa.
7. Estne ille tibi pater,  
 Numquid sponsus est aut frater,  
 Aut num sibi tu es mater,  
 Quod te torquet dolor ater?
8. Pone modum nunc dolori,  
 Appropinquas nam languori,  
 Et est nobis jam timori,  
 Ne et te contingat mori.

9. Cur te matre sic orbamur?  
Refer causam, quam miramur  
Et audire praestolamur,  
Tibi quod compatiamur.
10. Hujus causam non mireris,  
Sed ut mecum contristeris  
Et dolore socieris,  
Tibi pandam hoc, quod quaeris.
11. Hic a Deo praelectus  
Et prae cunctis tam dilectus  
In salutem huc directus,  
Carne mea vere tectus.
12. Deus exstat, verbum Dei,  
Splendor patris faciei  
Et creator omnis rei,  
Tota virtus verae spei.
13. Hunc a patre datum cepi  
Ac de spiritu concepi,  
Sponsa, nata hunc suscepi,  
Mater virgo hunc excepi.
14. Ipse decor angelorum,  
Gubernator singulorum,  
Terraе, maris ac polorum,  
Regnans solio coelorum.
15. Illic sine matre natus,  
Sine patre incarnatus  
Est in terris conversatus,  
In salutem cunctis datus.
16. Per doctrinae veritatem  
Ac signorum caritatem  
Vitans mundi vanitatem  
Et carnalem voluptatem,
17. Ut in regno deitatis  
Statum post mortalitatis  
Expiatos a peccatis  
Collocaret cum beatis.
18. Talis est dilectus meus,  
Jesus Christus, homo Deus,  
Non cujusque mali reus,  
Quem occidit sic Judaeus.
19. O mi nate speciosus,  
Super omnes generosus,  
Mitis, clemens, gratosus,  
Semper totus dulcorosus,
20. Illibatus, delicatus,  
Sanctus et immaculatus,  
Sponsus mei coelibatus  
Et solamen incolatus.
21. Visus tibi tenebrescunt,  
Genae, labia pallescunt,  
Fossae manus intumescunt,  
Crura nutant et languescunt.
22. Caput spinis coronatum,  
Latus patet lanceatum,  
Totum corpus vulneratum  
Cerno jam exanimatum.
23. Ei, quis mihi nunc aquarum  
Dabit fontem lacrimarum,  
Tristem luctum et amarum  
Super virum tam praeclarum.
24. Hic est ensis Simeonis,  
Qui vigore punccionis  
Me in terris privat bonis  
Omnis consolationis.
25. O si vita nunc privarer,  
Mallem, quam sic te orbarer,  
Jam nequaquam perturbarer,  
Sed per mortem consolarer.
26. Heu me, fili, quid fecisti,  
Cur me solam reliquisti,  
Cur me mori noluisti  
Potius quam tu obisti?
27. Cessa, virgo, a ploratu,  
Cesset vox ab ejulatu  
Ne sub tanto cruciatu  
Tu priveris vitae statu.
28. Faciei nam amoenae,  
Quae rubebant, pallent genae,  
Oculorum turgent venae,  
Jam languescunt manus plene.
29. Calor cordis jam tepescit,  
Vigor omnis jam lentescit,  
Omne corpus jam rigescit,  
Tota vita jam marcescit.
30. Ego suae passionis  
Tuaeque afflictionis  
Causa sum contemptis bonis,  
Culpa pravae actionis.

31. *Mihi ergo restat flere  
Et ex intimis lugere  
Gravi planctuque dolere,  
A rugitu non silere.*
32. *Ego merui necari,  
Non in cruce hic litari,  
Nec tu sancta molestari;  
Et quis posset hoc effari,*
33. *Cur hic ordo sit mutatus,  
Nisi tantum sim amatus,  
Quod a morte liberatus  
Summa vita sim beatus.*
34. *Nihil ergo jam dulcescat,  
Sed mens mea amarescat,  
A dolore non quiescat,  
Donec vita evanescat.*
35. *Semper visus lacrimetur,  
Nunquam animus laetetur,  
Nisi per vos consoletur,  
Ut in vobis oblectetur.*
36. *Sed sic jugiter dolore  
Moveatur vel amore,  
Dilatetur vel fervore  
Ac liquescat prae dulcore*
37. *Intimae compassionis,  
Fecundae dilectionis,  
Supplicis devotionis,  
Purae contemplationis,*
38. *Ut virtutum actione,  
Fidei confessione,  
Gratiarum actione  
Sic persistam in agone*
39. *Et in regno supernorum  
Cونسors factus beatorum  
In collegio sanctorum  
Christum, regem angelorum*
40. *Crucifixum, hymnodia  
Semper canam laude pia  
Teque laudem, virgo dia,  
Mihi confer, o Maria.*

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 50 g 9 saec. 15. A — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19354 B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1500—1508 Clm. Monacen. 20015. C. — 2, 2 sic fehlt C. — 2, 3 Tamquam ipsum sis enixa C. — 2, 4 Secum cruci es confixa. — 4, 3 Forsan casa B; latet tibi C. — Str. 8 u. 9 fehlen C. — 10, 4 hoc fehlt B. — 16, 3 Vetans B. — 17, 3 Expiatus C. — 21, 3 Fuste manus C. — 23, 1 Ey. BC. — 23, 3 torpent venae C. — 32, 2 Non in cruce habitari B; Non incerte hoc litari C. — 33, 2 sim mutatus C. — 36, 4 prae dolore C. — Im Verlaufe des Liedes hat A folgende Überschriften: Vor Str. 1: *Compassio virginis Mariae*; vor Str. 10: *Responsio virginis Mariae*; vor Str. 19: *Verba virginis ad filium*; vor Str. 27: *Responsio*.

### 57. Planctus BMV.

1. *O dulcis virgo Maria,  
Tu plorabas voce pia  
Ante crucem filii;  
Rumpebatur cor Mariae,  
Exclamantis voce pie:  
O fili dulcissime.*
2. *Video te morientem,  
Ego perdo cor et mentem,  
Tecum mori cupio,  
Tu peccatum non fecisti,  
Quando crucem ascendisti,  
Cur te mori video?*
3. *O columba sine felle,  
O vas dulce plenum melle,  
O fili piissime,  
Tu me vides desolatam,  
Semivivam, anxiatam  
Et mihi non loqueris?*
4. *O quid agam filii pie,  
Mei languentis Mariae,  
Matris unigenite,  
Heu, Christe, amor mei,  
Te damnarunt pharisaei  
Creatorem saeculi.*

5. Haec dum loquitur Maria  
Desolata voce pia,  
Non respondet filius;  
Cor tunc ejus desolatum,  
Igne mortis inflammatum,  
Pertransivit gladius.
6. Cecidit angustiata  
Tunc Maria desolata  
Ibi quasi mortua,  
A Johanne sublevatur  
Et paulisper restauratur,  
Post clamat ad angelum:
7. Gabriel, angele felix,  
Tu non es mihi fidelis  
Nuntiando gaudium;  
Dum mihi dicebas Ave,  
Me ponebas in hac nave,  
Quae modo submergitur.
8. Mihi dabas mortis frena  
Dicens: es gratia plena,  
Quae frena nunc sentio,  
Me dixisti benedictam  
Gaudiorumque munitam,  
Sum plena supplicio.
9. Non est mulier in mundo  
Quae dolorum in profundo  
Sit demersa velut sum;  
Vere mihi primum ave  
Dulce fuit et suave,  
Nunc dat mihi gemitum.
10. Fui jam gratia plena,  
Erat mihi dulcis coena,  
Dum habebam filium;  
Mihi nunc est usurpatus  
Et in cruce conclavatus  
Per tormentum anxium.
11. Nunc vertuntur in moerorem  
Et in luctum et dolorem  
Nuntiata gaudia,  
Meum cerno dum amorem,  
Natum, sponsum, creatorem  
Mortis ferre vulnera.
12. Ita clamo desolata,  
Non est auris mihi data  
A nato vel angelo.
- Alta voce tunc Maria  
Exclamat in agonia.  
Conquaerens de populo:
13. O crudeles vos Judaei,  
O feroces pharisaei,  
Canes crudelissimi,  
Vos Deum crucifixistis,  
Regem vestrum suspendistis  
In ligno patibuli.
14. Ipse vos et me plasmavit,  
Et in mundo collocavit,  
Fel pro melle redditis,  
O canes valde crudeles,  
O leones infideles,  
Sic natum occiditis.
15. Matrem ejus capiatis  
Et in ligno suspendatis,  
Ipsam in quo ponitis,  
Ne post mortem nati vivat,  
Quae sic matrem luce privat,  
Ut filio careat.
16. Hic est filius dilectus,  
Qui mihi fuit electus  
Sine carnis praemio,  
Suspendentes mundi regem,  
Tribuentem nobis legem,  
Matrem ejus capite.
17. Quam sic nato viduastis,  
Omni gaudio privastis,  
Et ipsam occidite.  
Sic lamentor desolata,  
Non auditur vox clamata  
In crudeli populo.
18. O crux alta, de te quaeror,  
Mihi nequis esse pejor,  
O crux crudelissima,  
Meum natum tu cepisti,  
In te ipsum suspendisti,  
O crux ferocissima.
19. Quamvis mundo tu sis felix,  
Mihi tamen es crudelis  
Cruciando filium,  
Unigenitum Mariae  
Desolatae, quae sic pie  
Ad te flere cogitat:

20. O crux ligni cruentati,  
Sanguis hic immaculati  
Undique sic funditur,  
O crux alta, mundo felix,  
Per te via fit in caelis,  
Sed mihi degeneras.
21. O crux nati crucifixi,  
Contra te nihil commisi,  
Ex quo ita me laedas;  
Crux crudelis, tu te placa,  
Ad te clamo voce rauca,  
Redde mihi filium.
22. Et si te non vis placare  
Neque natum mihi dare,  
Tu me secum recipe;  
Crucifige me cum eo,  
Pro quo tibi dire fleo,  
Omnes mecum plangite.
23. Aut crux natum mihi reddat,  
Atque jus peccati cedat,  
Quo audere iudicat,  
Aut secum me crucifiget,  
Meo sanguine se riget  
Veluti de filio.
24. O crux ferox et amara  
Cur non recipis in ara  
Mariam cum filio?  
Requiesco, si me capis,  
Si me spernis, tu me tradis  
Mortali supplicio.
25. Crucis lignum non respondet,  
Mihi dolor magis frondet,  
Quanto magis supplico;  
Meum ego desolata,  
Dulci prole viduata,  
Filium respicio.
26. Natus meus voce rauca  
Anxiatus non jam pauca  
Clamat: Ego sitio;  
Tunc Maria clamat: heus,  
Num est hic filius meus,  
Qui sic rauce loquitus?
27. Non petenti possum dare  
Neque potum ministrare,  
Cor sic meum moritur;
- Clamo: Jesu, nate pie,  
O dulce fili Mariae,  
Cur matrem non respicis?
28. Matrem tuam desolatam,  
Vero lumine privatam  
Cur non eam respicis?  
Audi, pater alte, pie,  
Verbi pater et Mariae,  
Tui matrem deseris?
29. Verbum tuum incarnatum,  
De Maria procreatum,  
Cur sic pati pateris?  
Istud non est verbum ave,  
Quod mandasti tam suave  
Gabriele nuntio.
30. Quando vides verbum pati  
Nec succurris poenis nati,  
O dura compunctio,  
Cor Mariae tam afflictum,  
A te patre derelictum  
Moritur pro filio.
31. O dulcis fili, spes mea,  
Mater tua sum, cum ea  
Loqui debes modicum;  
Tu me debes exhortari  
Ac me digne consolari,  
Ut non perdam spiritum.
32. Video te, nate, mori,  
Subjaces mortis tremori,  
Possum nec te tangere;  
Nate dulcis, miserere  
Matris non cessantis flere  
Nec sinentis plangere.
33. Si tu migras, quis supplebit,  
Et quis natus mihi erit?  
Desolata morior;  
Sed priusquam moriaris,  
Aliquid mihi loquaris,  
Dulcis fili, deprecor.
34. Filius tunc inclinatur,  
Ad Mariam et affatur  
Tali dulceloquio:  
O mater dulcis Maria,  
Virgo pura, virgo pia,  
Tantum noli plangere.

35. Ad hoc scis me fore natum  
Et a patre destinatum,  
Hunc ut bibam calicem,  
Sine quo mundus salvari,  
Trinitati concordari  
Et nequit velocius.
36. Non deberes contristari,  
Sed deberes consolari  
Et gaudere potius,  
Mors mea non est ad mortem,  
Aperit sed vitae portam,  
Quam peccatum clauserat.
37. Morior pro toto mundo,  
Qui ardebat in profundo,  
Quem Adam damnaverat;  
Ergo dulcis o Maria,  
Mater clemens, virgo pia,  
Noli flere filium.
38. Qui pendendo super crucem  
Pro recuperando lucem  
Frangit hoc exsilium;  
Ego non te derelinquo,  
Ad te semper appropinquo,  
Quod dico, non ambigis.
39. Hoc videbis tu pro vero,  
Jam resurgam, tecum ero  
Atque cum discipulis;
- Me oportet ita mori,  
Istud fit pro meliori,  
Res humani generis.
40. Igitur spem amplecteris,  
Quia mecum poteris  
Regno veri luminis,  
Sed dum vives vita ista,  
Johannes evangelista  
Erit tibi filius.
41. Et tu eris ejus mater,  
Ipse filius et frater  
Te tractabit dulcius.  
Filius ista narravit,  
Matri caput inclinavit  
Et emisit spiritum.
42. Videns ergo hoc Maria  
Cecidit in agonia  
Et orabat fortius;  
Ejus cor angustiatur  
Atque dire vulneratur  
O crudelis gladius.
43. Igitur nos cum Maria  
Deploremus mente pia  
Passionem Domini,  
Ut cum Christo collocari  
Mereamur, gloriari  
Per aeterna saecula.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Mantuan. E I 27. A. — Cod. S. Petri Salis-  
burgen. a III 10. saec. 15. B. — 1, 3 Coram cruce filium B. — 3, 5 Geniti-  
vam anxiatam B. — 4, 2 languenti A; Fili languentis B. — 4, 3 Mater A. —  
4, 4 Heu, heu amor B. — 6, 3 quasi moritur A. — 6, 4 Johanne tunc B. —  
7, 2 Non es mihi tu B. — 7, 5 Me pascebas B. — 9, 3 Sit mersa velut  
AB. — 10, 1 gratia jam A. — 10, 6 Prae tormentis anxium A. — 11, 5  
curatorem B. — 12, 5 Exclamabat A. — 13, 4 Verum Deum A. — 14, 1—3  
fehlen B. — Nach 15, 3 schiebt B ein:

Vel in alio tormenta  
Aut crudeli monumento,  
In quo mater pereat.

15, 4 Non post A. — 15, 6 Caream ut filio B; dann schiebt B ein:  
Mihi dulcius jam mori,  
Foret jocus et honori  
Migrari cum filio.

16, 4 Suspendistis B; worauf B einschiebt: Truces aures Mariae Supplicatio-  
nem Mariae Non auditur populo. — 17, 4 lamento B. — 17, 6 In crudeli  
proelio B. — 18, 4 tu caedisti B. — 19, 6 Ac fallasse cogitur B. — 20, 5  
Mihi semper es infelix B. — 20, 6 Dum me filio viduas. — 21, 2 Coram  
te nunquam connixi B. — 21, 3 Ex quo me sic laederas B. — 21, 4 O crux  
fidelis jam non placā A. — 22, 1 Si te non vis B. — 22, 5 Hoc pro mundo  
tibi A. — 22, 6 Omnes junctim plangite B. — 23, 1 Ut crux AB. — 23, 2

Et vox quaevis precor cedat B. — 23, 3 Quo tam dire viduor B. — 23, 4  
 Et me A; Ut me B. — 23, 5 me riget B. — 23, 6 Velut fit de B. —  
 24, 2 recipis jam B. — 24, 3 Matrem cum A. — 24, 5 me radis B. — 25, 1 sqq.  
 fehlen B. — 25, 4 Ita mergor desolata B. — 26, 2 Anxietate non pauca  
 B. — 26, 4 Tunc mater A. — 26, 5 Est nam natus iste meus B. — 26, 6  
 sic fehlt B. — 27, 1 Num petenti A; Petenti non B. — 27, 3 Cor meum  
 sic B. — 27, 6 non recipis A. — 28, 4 Alte Deus, pater pie B. — 28, 5  
 Verbi poenae et B. — 28, 6 Cur non modo proficis A. — 29, 4 non est  
 illud ave B. — 30, 3 O diri B. — 30, 4 Cor meum tam A. — 31, 2 ex ea  
 B. — 31, 4 me velis B. — 31, 5 Me dignare B. — 32, 1 sqq. fehlen B. —  
 32, 6 Nec cessantem B. — 34, 1 nunc B. — 34, 6 Noli tantum B. — 35,  
 3 Ut hunc B. — 35, 6 Et fehlt B: nequid A. — 36, 1 debes B. — 36, 4  
 Mors una B; non est aborta A. — 36, 5 Aperitur vitae porta A. — 38, 1  
 Qui nunc pendeo A. — 38, 3 Frangat A. — 39, 1 Haec B. — 39, 5 Ita fit.  
 B. — 39, 6 Rex humani A. — 40, 2 Quam tu B. — 40, 3 Regna A. — 40, 4  
 vives in hac vita B. — 41, 1 et pater A. — 41, 3 Et tractabit A. — 41, 4  
 illa B. — 42, 3 Et plorabit B. — 43, 1 jam cum B. — 43, 3 Passionem  
 in hac via B. — 43, 4 Ut cum ipsa B. — Hierauf fügt B noch die folgen-  
 den Strophen bei:

*De quinque vulneribus.*

44. Vidit turbas effrenatas  
 Judaeorum venenatas  
 Christum primo prendere  
 Vidit Judam proditorem  
 Osculando salvatorem  
 Pharisaeis tradere.
45. Vidit Jesum laceratum,  
 Ut latronem et ligatum  
 Trahi per Jerusalem,  
 Et ad Annam primo ductum,  
 Hinc ad Kaipham traductum  
 Et Pilatum principem.
46. Hunc Pilatus condemnavit,  
 Crucis poenis deputavit  
 Lotis aqua manibus.  
 Vidit natum sublevari  
 Crucifixumque locari  
 Cruce cum latronibus.
47. Vidit caput cruentatum  
 Jesu Christi, coronatum  
 Spinis, cruce pendere,  
 Vidit manus perforari,  
 Fixis clavis cruentari  
 Et cruorem fundere.
48. Vidit suos sanctos pedes  
 Conclavatos nec est sedes,  
 Ubi possint haerere.  
 Vidit latus penetrari,  
 A Longino sauciari  
 Hincque caecum cernere.
49. Vidit, potum cum gustavit,  
 Sitio quando clamavit,  
 Dicens consummatum est;  
 Iste potus felle mixtus,  
 Quem gustavit Jesus Christus,  
 Cum aceto datus est.

*Anima.*

50. In me sistat amor tui,  
 Crucifixo fac me frui,  
 Dum sum in exsilio;  
 Hoc dolore fac me moestum  
 Nec me facias alienum  
 Ab hoc desiderio.
51. Virgo dulcis, virgo pia,  
 Virgo clemens, o Maria,  
 Audi preces famuli,  
 Ipse vos et me plasmavit  
 Et in mundo collocavit,  
 Fel pro melle redditur.

*Ad crucem:*

52. Tu nequaquam mihi felix,  
 Tu semper es infelix,  
 Filio me viduas;  
 Crucis lignum non respondit,  
 Mihi labor magis frondit,  
 Quantum magis supplico.

*Christus.*

53. Sic mandavit incarnari  
 Atque sibi filiarum,  
 Ut mundum redimerem,  
 Omnes crucem peramantes  
 Atque illam venerantes  
 Semper tibi serviant.
54. Christus in ligno pependit,  
 Suo sanguine nos defendit  
 Ab ira diaboli,  
 Per virtutem sanctae crucis  
 Liberemur ab inimicis  
 Per aeterna saecula.



55. O Christe, mundi redemptor,  
Sis tuae gentis protector  
A morbo pestifero,

Christe, cum sit hic exire,  
Da nos per misericordiam venire  
Ad palmam victoriae.

56. Floremus ergo pariter,  
Clamemus omnes fortiter:  
Jesu Christe, miserere.

### 58. In Assumptione BMV.

1. Grande signum coelum pandit,  
Angelorum coetus clangit  
Occurrens cum laudibus,  
Se praefulgens lux expandit,  
Christi mater dum hoc scandit  
Vestita duplicibus.

2. Haec de mundo mater munda  
Mitis scandit ut columba,  
Super solem splendida,  
Omni laude laetabunda,  
Jam nec prima nec secunda  
Visa est tam candida.

3. Natus locum praeparavit  
Et festinus obviavit  
Coeli cum militia,  
Matrem suam honoravit,  
Cum se secum collocavit  
Dulci modulantia.

4. Ad hanc natus mox descendit  
Et cum matre mox ascendit  
Ad suprema gloriae,  
Nihil obstat, nil offendit,  
Sursum vadit, sursum tendit  
In signum victoriae.

5. Virgo mater exaltaris,  
Ubi laeta contemplaris  
Regnantem in gloria  
Et conregnans conregnanti  
Consedebis judicanti,  
Virgo plena gratia.

6. Carne sua non consumpta  
Virgo mater est assumpta  
Integre realiter,  
Collocata super cuncta,  
Dulci nato dulcis juncta,  
Tene sic non aliter.

Sic affirmant sancti patres,  
Sic tenete, mei fratres,  
Fortes unanimiter.

7. Elevata sedes poli,  
Praeparata nubes soli  
Ad suprema sidera,  
Oblivisci, virgo, noli,  
Tolle, mater, quod est doli  
Nostra pians scelera.

8. Incorrupta, tota viva  
Et innupta mater diva,  
Coeli tenens solium  
Exaltaris, coronaris,  
Dominaris, jucundaris  
Amplexando filium.

9. Qui praecepta legis dedit,  
Honorare matrem, pegit  
Et matrem prae ceteris;  
Ergo matris legislator  
Si non esset venerator,  
Hunc culpae poteris.

10. Non desperes trepidando,  
Perseveres affirmando,  
Non relicto corpore  
Mater Jesu quin assumpta  
Sit in coelum nato juncta  
Vivens sine tempore.

11. Ubi natus, sibi mater  
Trabeatus est et pater  
Sacro cum spiramine,  
Solidata carne pura,  
Verbi patris genitura,  
Munda nos a crimine.  
Erubescere, contremisce,  
Qui non credis, matrem esse  
Assumptam cum corpore.

12. Noli fari, quod ingratus  
Dulci matri fiat natus,  
Quem lactavit ubere,  
Cujus alyus hunc portavit,  
Quo fit salvus, quem damnavit  
Lapsus Evae miserae.
13. Dic tu mihi, rogo pie,  
Ubi corpus sit Mariae  
Sepulchro non inventum?  
Si tu dicis, quod ablatum  
A Judaeis nec relatum,  
Ab eis sit retentum;
14. Certe, dico, non est verum,  
Coronata tenet coelum  
Juxta nati brachium,  
In excelso throno sita,  
Natum colens est in vita  
Paradisi ostium.
15. Quod sic probo ratione  
Et aperta sanctione  
Potest verificari:  
Nonne vides in hac vita  
Multis fucis polimita  
A natis honorari  
Patrem, matrem reverenter  
Diligenter, excellenter  
Ab eis ministrari?  
Ergo matri minus gratus  
Non de jure fiet natus  
Altrici singulari.
16. Est assumpta virga Jesse,  
De qua vitae fluit esse  
Anima et corpore;  
Fides tenet sic professe,  
Quod affirmo verum esse.  
Nati fulta robore,
17. Transit ad aethera  
Virgo puerpera,  
Virgula Jesse,  
Non sine corpore,  
Sed sine tempore  
Tendit ad esse.
18. Vere scio, vere credo,  
Quod in carne non putredo  
Sit Mariae virginis,
- De qua natus est dulcedo  
Deus homo sine foedo  
Foetore putredinis.
19. Cum sanctorum visitantur  
Loca donis et ditantur,  
Ut aperte cernitur,  
O quid dicam, si Mariae  
Terrae datum matris piae  
Corpus sit nec colitur.  
Matrem natum, si sic esset,  
Contempisse, dici posset,  
Sed hoc nunquam creditur.
20. Caro namque Jesu cara  
Est Mariae caro clara,  
Matris praedulcissimae;  
Sic affirmat Augustinus,  
Fons abundans coelestinus  
Doctrinae clarissimae.
21. Aulam sacram virginalem  
Rex servare maternalem  
Cum pudore voluit,  
Ergo matrem incorruptam  
A foetore sibi nuptam  
Custodire debuit.
22. Deo lacu in leonum  
Danielem servum bonum  
Conservare placuit,  
Vestes trium puerorum  
In fornace positorum  
Non comburi pertulit;
23. Ventre ceti Jonae vita  
Est potenter custodita  
Deo placentissima,  
Ergo mater Jesu tanta  
Fari posset quisquam, quanta  
Laude sit dignissima?  
Nisi quod sit elevata,  
Secus natum collocata  
Corpore et anima.
24. Nomen matris lucis astrum  
Vel odoris alabastrum  
Sensu suavissimum,  
Corpus Dei, verbi castrum,  
Hortus clausus, patris rastrum,  
Fructum ferens optimum.

25. O regina, quam superni  
Cives laudant et inferni  
Tremat domicilium,  
Splendoris praebe paterni  
Nobis lucem et aeterni  
Flaminis solatium.  
O nomen dulce  
Mariae tristitiae mulce.

Clm. Monacem. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351.

59. In Assumptione BMV.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Gaude, Christus cum levavit<br>Te in carne et locavit<br>Super astra, obviavit<br>Tota coeli curia.<br>Gaude, virgo singularis,<br>Ut prae cunctis sublimaris,<br>Sic et digne plus laudaris<br>In coelesti gloria.  | 4. Gaude, summe coronata,<br>Carnis dotibus ornata,<br>Christi dextris sociata,<br>Regnans super omnia.<br>Gaude, semper quae frueris<br>His deliciis sinceris,<br>Ut in aevum jucunderis<br>Summa cum laetitia. |
| 2. Gaude, virgo, quae decore<br>Ornas coelum lucis more,<br>Velut cuncta sol splendore<br>Superat lucentia.<br>Gaude, cui angelorum<br>Chori parent et sanctorum<br>Ut reginae ac votorum<br>Exhibent obsequia.         | 5. A me mundi jam evelle<br>Gaudia permixta felle,<br>Immo me tuorum melle<br>Gaudiorum satia.<br>Veni, virgo, da laetari,<br>Me in te nunc consolari<br>Et in fine gratulari<br>Tua de praesentia.              |
| 3. Gaude, quod vis esse ratum,<br>Tuo nato exstat gratum,<br>Omnem tuumque precatum<br>Explet cum clementia.<br>Gaude, qui te venerantur,<br>Tua laude delectantur,<br>Hi per Christum munerantur<br>In superna patria. | 6. Dona mihi te videre,<br>Semper tibi congaudere<br>Ac laetanter possidere<br>Beatorum praemia.<br>Ecce, tibi congaudemus,<br>O Maria, ut amemus<br>Te in aevum et laudemus,<br>Duc nos ad coelestia.           |

Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacem. 7815.

60. De Gaudiis BMV.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Gaude, candens lilium,<br>Mater pietatis,<br>Nobile triclinium,<br>Summae trinitatis,<br>Forma, spes humilium,<br>Princeps castitatis,<br>Memor mei<br>Valde rei<br>Sis, flos pietatis. | 2. Gaude, legislatio<br>Dominam te clamat,<br>Humanaque ratio<br>Praeeptricem famat<br>Nati, id quo natio<br>Fidelis acclamat,<br>Nam ut patri<br>Proles matri<br>Sic parere amat. |
|--|--|

3. Gaude, Sion filia,  
Pacis reformatrix,  
Tu me reconcilia,  
Pauperum solatrix,  
Purgans in me vitia,  
Mundi reparatrix,  
Meum votum  
Tibi notum  
Audi, imperatrix.
4. Gaude, ab initio  
Prae saeculis creata,  
Miro privilegio  
In omnes ditata,  
Salubri consilio  
Es praedestinata,  
Mater Dei,  
Tutrix rei  
Ut sis, o beata.
5. Gaude, ut te decuit,  
Conceptam sacrauit  
Deus, post haec docuit  
Vita tis et pavit,  
Scelus vetus necuit  
Haeresesque stravit,  
Nam virtutem  
Et salutem  
Cunctis demonstravit.
6. Gaude, tibi nuntius  
E colo legatur,  
Juxta verba ocuis  
Sua humanatur  
In te Dei filius  
Et humiliatur,  
Tis ignotum  
Mundo votum  
Per quem approbatur.
7. Gaude, natum parere  
Dei meruisti,  
Lacte tua alere  
Quae digna fuisti,  
Angelos hunc canere  
Et magos vidisti,  
Te optante  
Post et ante  
Virgo permansisti.
8. Gaude, pneuma visitat  
Jesum baptizatum,  
Et hunc pater clamitat  
Fore suum natum,  
Eremum inhabitat,  
Dein mundi statum  
Verbis, signis  
Factis dignis  
Curat sauciatum.
9. Gaude, die tertia  
A morte surrexit,  
Suos cum solertia  
De limbo evexit,  
Christus prae inertia  
Errantes allexit,  
Caros tuos,  
Immo suos  
Parando respexit.
10. Gaude, suos penitus  
Patri committebat,  
Super coelos inclitus  
Rex cum ascendebat,  
Nobis vitae aditus  
Hinc patefiebat,  
Qua potenter,  
Qua gaudenter,  
Euge, praecedebat.
11. Gaude, mirabiliter  
Perfidos elisit  
Pater, visibiliter  
Quando flamen misit  
His, verbi quos dulciter  
Nomine arrisit,  
Tunc sincero  
Atque mero  
Dulcore te visit.
12. Gaude, dote varia  
Deus te dotando  
Assumpsit cum gloria  
Summa trabeando,  
Ad dextram in curia  
Coeli collocando,  
Trans cunctorum  
Angelorum  
Choros exaltando.

13. Quo inaestimabili  
Te felicitate  
Ditans ineffabili  
Ornat dignitate;  
Vale hinc, laudabili  
Vernans caritate,  
Ergo gaude,  
Gaudens plaude  
In jucunditate.
14. Hinc est, quod edicere  
Nulla creatura  
Valet nec elicere  
Laudis tua jura,  
Eja me conspicere,  
Mater, haec procura,  
Dans beatum  
Mihi statum  
Vita in futura.
15. Deus, summa trinitas  
Tibi nil recusat,  
Cujus ac benignitas,  
Ut vis, quaevis cusat,  
Ergo tis virginitas,  
Quam jam sic decusat,  
Pellat labem,  
Mortis tabem,  
Quae me, heu, incusat.
16. Precor te per tristia,  
Quae te hic laeserunt,  
Et per Christi gaudia,  
Quae et tua erunt  
Et sunt nunc in patria  
Sicut prae fuerunt,  
Sana cunctos,  
Veni, punctos,  
Qui me infecerunt.
17. Precor te per meritum  
Omnium sanctorum,  
Per tis nomen inclitum,  
Per temet, flos florum,  
Da ut non demeritum  
Scelerum meorum  
Me demergat,  
Quae abstergat  
Precamen sanctorum.
18. Precor te per sanguinem  
Et per poenas Christi,  
Per sacram propaginem,  
Ex qua prodiisti,  
Quae Deum et hominem  
Virgo genuisti,  
Hunc exora  
Absque mora  
Pro me, ut novisti.
19. Per patrem, piissima,  
Per verbum, per flamen,  
Quos credo firmissima  
Deum unum tamen  
Fide, te, sanctissima,  
Precor, ut solamen  
Mihi pia  
Sis Maria  
Hora mortis. Amen.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — „Incipit oratio de gaudiis quibusdam beatae virginis.“ — 17, 8 fehlt. —

### 61. De septem Gaudiis BMV.

1. Gubernantis superna patria  
Decantantur septena gaudia  
Primum dicens: tu plena gratia,  
Inquit Ave.

In excelsis cantatur gloria,  
Hoc secundum angelis nuntia,  
Deum noscunt tunc animalia  
In praesepe.

2. Ternum stellae regiae claritas  
Magos duxit, Bethlehem civitas  
Hos suscepit, Herodis pravitas  
Memoratur.

Quartum fuit sepulchri novitas,  
Dum surrexit Dei humanitas,  
Judaeorum prava societas  
Admiratur.

3. Virgo mater dum vidit filium  
Triumphando, parando praemium,  
Unde venit, ascendit iterum  
Coronatus.

Pater sanctum emittens spiritum  
Roboravit corda fidelium,  
Adest color ignis quemadmodum  
Coloratus.

4. Gloriosa virgo sanctissimae  
Post egressum carnis purissimae  
Elevatur choris altissime  
Angelorum.

Istis septem gaudiis optime  
Gaudeamus, Deus plenissime  
Nos reducat ad portum gloriae  
Et sanctorum.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351.

## 62. De septem Gaudiis BMV.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Militantis ecclesiae<br>Jubar in triumphante<br>Primatum tenet gloriae<br>Adae lapsu cessante,<br>Maria levante.<br>Fons salutis et gratiae,<br>Te nobis vitam dante<br>Captatur via veniae,<br>Messia nos juvante,<br>Te tamen procreante. | Ducatur maledictio<br>Defectus geniturae,<br>De nati benedictio<br>Cunctis est orta jure.<br>David regali gremio<br>Te fatentur scripturae,<br>Stella, virga, promissio,<br>Te signarunt figurae. |
| 2. Concepta privilegio<br>Supra jura naturae<br>De sterili conjugio<br>Joachim pulso dure  | 3. Virginalis conceptio<br>Te solam consecravit,<br>Cum Gabrielis nuntio<br>Paris, qui te creavit.<br>Fit pro nato purgatio,<br>Qui nihil maculavit,  |

Integralis assumptio  
Te cunctis praedotavit.  
Nec mirum, si collegio  
Coeli te praelocavit  
Nutritus tuo gremio,  
Te sibi sociavit.

4. Gaudes conceptu deico,  
Gaudes partu sacrato,

Gaudes adventu magico,  
Gaudes resurcitato,  
Gaudes Jesu levato.  
Gaudes igne mirifico  
Apostolis donato,  
Gaudes ascensu coelico,  
Perfecte juncta nato,  
Pro nobis supplicato. \*

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351. — Sequenzenform.

### 63. De septem Gaudiis BMV.

1. Plaude, prudentissima  
Parens plasmatoris,  
Piscina probatica,  
Pincerna pudoris,  
Propitiatorium  
Prisci promotoris,  
Precor, preces percipe  
Proni peccatoris.

2. Plaude, pudicitia  
Plena placuisti  
Prothonoi, parito  
Patris paruisti,  
Paracleti pluviam  
Plene percepisti,  
Perenne principium  
Pure praeclusisti.

3. Pange, perpiissima  
Praegnanda palaris,  
Paternale pallium  
Partu praestolaris,  
Pyropus pinnaculum  
Polo praesularis,  
Protectrix potissima  
Pauperum probaris.

4. Plaude, praegnans puera,  
Prolem peperisti,  
Positum praesepio  
Pannis praecinxisti,  
Papillarum pabulo  
Psastorem pavisti,  
Pot partum perpetuo  
Pura permansisti.

5. Pange, pigmentarium  
Praeservans pigmentum,  
Pupes pascens, populis  
Praedulce pulmentum,  
Pantheon perpetuum,  
Placens polimentum,  
Praesta postulantibus  
Praesto purgamentum.

6. Plaude, prodens parvulum  
Pastoribus pratum,  
Praecisum praeputio  
Pulchre propalatum,  
Principem principibus  
Palam praedicatum,  
Plasma pro piaculis  
Patri praesentatum.

7. Pange, promptuarium  
Plenum pietatis,  
Planta portans poculum  
Pretiositatis,  
Praelara progenies,  
Palmes prohibitatis,  
Praebe patrocinium  
Pollutis peccatis.

8. Plaude, pignus proprium  
Plagis perforatum  
Publice patibulo,  
Passum per Pilatum,  
Peremptis praedonibus  
Prospicis praelatum,  
Possidens perenniter  
Pacis principatum.

9. Pange, plausu placido  
Precibus precantum,  
Placatrix primipotens,  
Palus proeliantum,  
Pus periclitantibus,  
Pyr praevaricantum,  
Praevalens praesidium  
Pie proclamantum.
10. Plaude, promens pretium  
Praepotens piorum  
Praemium, palatium  
Penetrans polorum,  
Proportionaliter  
Permanet proborum  
Protector pacificus  
Pila perfidorum.
11. Pange, potentissima,  
Pons profectionis,  
Peritiae putens,  
Pes protectionis,  
Projice precamine  
Pus perditionis,  
Propulsa pericula  
Persecutionis.
12. Plaude, praedicantium  
Plana perlustrator  
Pentecoste plenius  
Processit purgator,  
Peccaminum praedocens  
Parvulos prostrator,  
Prava profitentium  
Promptus praemiator.
13. Pange, praeditissima  
Provisa prudenter,  
Poli porta pervia,  
Pessumdans potenter  
Profanus, praeconiis  
Praecluens pollenter,  
Pelle pestilentiam  
Praesentem patenter.
14. Plaude, praedulcissima,  
Petens puriorem  
Perlucide patriam  
Pretiosiore,  
Praelaturam percipis  
Praecellentiore,  
Placa peritissimum  
Propitiatore.
15. Pange, potentissima  
Princeps pennatorum,  
Patriarcharum palmula,  
Penna patronorum,  
Prophetarum prothesis,  
Pugil probatorum,  
Puellarum puritas,  
Portus perfectorum.
16. Plaude, praecelsissima,  
Protege praesentes,  
Postremos, praeteritos,  
Papam, praesidentes,  
Principatus, proceres,  
Principes potentes,  
Praesules, pontifices,  
Praelatos plectentes.
17. Paedagogos, pueros,  
Puellas placentes,  
Praesides, proconsules,  
Primates pollentes,  
Praesules, presbyteros,  
Professos, poscentes,  
Pusillos, prebiscitas,  
Polim, poenitentes,  
Pupillum, Parisius,  
Pauperes, pallentes,  
Pestem parcam perperam  
Prope pavescentes.

Cod. Parisien. 3639. saec. 15/16. — 17, 9 verrät, daß das Lied in Paris gemacht ist. Sämmtliche Wörter desselben beginnen mit dem Buchstaben P.



64. De septem Gaudiis BMV.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Plaude, potentissima<br/>         Parens plasmatoris,<br/>         Patrona piissima,<br/>         Puella pudoris,<br/>         Purgatrix potissima<br/>         Peccati prioris,<br/>         Procul pelle pondera<br/>         Prisci peccatoris.</p> <p>2. Plaude, plausus populi,<br/>         Portus prohibitatis,<br/>         Pallium paracliti,<br/>         Pera puritatis,<br/>         Praeparatrix praemii,<br/>         Plena pietatis,<br/>         Parce, precor, pauperi<br/>         Polluto peccatis.</p> <p>3. Plaude, privilegiis<br/>         Pulchris praeornata,<br/>         Promissis propheticis<br/>         Prisco praesignata,<br/>         Prole pii principis<br/>         Postmodum praegnata,<br/>         Praesis patrociniis<br/>         Petenti parata.</p> <p>4. Plaude, potestatibus<br/>         Praedita praeclaris,<br/>         Praecellentem penitus,<br/>         Praepotentem paris,</p> | <p>Pollet prout primitus<br/>         Pubes puellaris,<br/>         Pacem praestolantibus<br/>         Praesto praebearis.</p> <p>5. Plaude, porta patula,<br/>         Pons peregrinorum,<br/>         Piscina probatica,<br/>         Pannus parvulorum,<br/>         Praesidens perpetua<br/>         Patria polorum,<br/>         Percipe propitia<br/>         Preces punitorum.</p> <p>6. Plaude plangens proh dolor<br/>         Pignus praestigatum,<br/>         Palma, pede, pectore<br/>         Plagis perforatum,<br/>         Potitum potentia<br/>         Prospicis praelatum,<br/>         Possidentem postea<br/>         Poli principatum.</p> <p>7. Plaude, pulchritudine<br/>         Praemines potentes,<br/>         Prostratos promoveas<br/>         Placando plangentes,<br/>         Praevide pro posteris,<br/>         Protege praesentes,<br/>         Purgando praeteritos<br/>         Pestem patientes.</p> |
|---|--|

Orat. ms. S. Josephi Oenipont. 70 A. saec. 14. — Scheint eine Bearbeitung des vorhergehenden.

65. De Gaudiis BMV.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Gaude, virgo gratiosa,<br/>         Verbum verbo concepisti,<br/>         Gaude, tellus fructuosa,<br/>         Fructum vitae protulisti.</p> <p>3. Gaude fruens deliciis<br/>         Nunc, rosa juncta liliis,<br/>         Emunda nos a vitio<br/>         Et tuo junge filio.</p> | <p>2. Gaude, rosa speciosa,<br/>         Jesu vernans resurgente,<br/>         Gaude, mater gloriosa,<br/>         Christo coelos ascendente.</p> |
|---|---|

Cod. Lambacen. CLXXXVI saec. 14.

66. De Gaudiis BMV.

1. Lustrans orbem sol primus siderum,  
Gyrum coeli firmans in cardine,  
Virginalem sacravit uterum  
Sumpta carne  
Regens astra; Mariae puerum  
Collaudemus ipsum in virgine,  
Sumens sibi matris praeconium  
Digna laude.
2. Paranympus Dei archangelus  
Salutavit quam sancto flamine:  
Ave, inquit, plena dulcedine  
Gratiarum.  
Summa virtus mox sanctus spiritus  
Obumbrabit in te spiramine,  
Canticorum vallata carmine  
Prophetarum.
3. Consensu tradito homo perficitur,  
Qui carnis termino in ventre clauditur,  
Nec puerperio mater corrumpitur  
Manens virgo.  
In noctis medio pervigil nascitur,  
Miratur ratio, mater non laeditur,  
De solis radio jure progreditur  
Deus homo.
4. Novum sidus ortum denuntiat  
Christum natum regentem saeculum,  
Magi cernunt, et locum indicat,  
Proidentes adorant parvulum  
Vagientem.  
Trinum Deum figura reserat,  
Regem magnum, mortalem filium,  
Aurum, myrrha et thus insinuat.  
Obtulisti in templo genitum  
Nondum fantem.
5. Scripturarum formans eloquium  
Verbo vicit hostes est scelera,  
Mortem passus calcavit tartara,  
Post surrexit.  
Samson frangit inferni ostium,  
Gloriosus transcendit aethera,  
Rex immensus promisit munera  
Et ascendit.

6. Surgens, arca pellens diluvium,  
 Angelorum super fis agmina,  
 Cum assumpta per tuum filium  
 Contemplanis regna siderea  
 Gloriosa.

Novem chori canunt coelestium:  
 Mater Dei, coelorum domina,  
 Sic assume nostrum obsequium  
 Referentes septena gaudia  
 Gratiosa.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343, anni 1351. — 4, 2 regem saeculum. — 5, 2 Verbo venit hostes. — 6, 10 Gloriosa.

67. De Gaudiis BMV.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Gaude, virgo mater Christi,<br/>         Quae de sancto concepisti<br/>         Spiritu mirifice,<br/>         Gabrieli credidisti,<br/>         Praemunita quae fuisti<br/>         Caritatis indice.<br/>         Verbo sancto mox repleta<br/>         Spe conceptus eras laeta,<br/>         Propter hanc laetitiam,<br/>         Virgo pia, sic impleta,<br/>         Veniente vitae meta<br/>         Me ducas ad gloriam.</p> <p>2. Gaude, quia salvatorem<br/>         Naturalem contra morem<br/>         Peperisti, domina;<br/>         Tuae laudis ad honorem<br/>         Me praesenta peccatorem<br/>         Tua cum familia.<br/>         Tu de partu laeta tali<br/>         Mihi luce sis finali<br/>         Salus et solatium,<br/>         Ne sim flammae gehennali<br/>         Pro reatu criminali<br/>         Datus ad supplicium.</p> <p>3. Gaude, postquam te turbavit<br/>         Et dolorem provocavit<br/>         Sequens nati passio,<br/>         Te laetam post restauravit,<br/>         Laetiolem reformavit<br/>         Christi resurrectio.</p> | <p>Virgo plena pietate,<br/>         Refulgentis novitate<br/>         Laeta me laetifica,<br/>         Nec oppressum gravitate<br/>         Ne repelli sinas a te<br/>         Loca ad lucifera.</p> <p>4. Gaude, virgo, dum scandeat,<br/>         Quem scandentem subvehebat<br/>         Nubes super sidera,<br/>         Astra tenens eligeat<br/>         Sedem dignam, qua sedebat<br/>         Dei patris dextera.<br/>         Propter ejus elevamen<br/>         Atque tuum consolamen<br/>         Tua post gravamina<br/>         In extremis adjuvamen<br/>         Et ruinae relevamen<br/>         Confer mihi, domina.</p> <p>5. Gaude, quae tunc laetabaris,<br/>         Dum in coelum levabaris,<br/>         Spes salutis hominum,<br/>         Quorum noxam recordaris<br/>         Et pro quibus deprecaris<br/>         Incessanter Dominum.<br/>         Tu medela noxae dirae,<br/>         Mihi velis subvenire<br/>         Mortis in itinere<br/>         Et cum dies erit irae,<br/>         Quam quis nequit praeterire,<br/>         Noli me relinquere.</p> |
|---|---|

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Ar. 203. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. B. — Clm. Monacen. (ol.

Tegurin.) 19824. C. — AB schieben vor jeder Strophe eine Strophe des Liedes bei Mone II, 460 ein. — 1, 1 O Maria mater BC. — 1, 10 Cum qua salus est concreta BC. — 1, 12 Spem salutis sentiam BC. — 2, 1 Naturalem contra morem BC. — 2, 2 Genuisti genitorem BC. — 2, 3 Virgo, mater, filia AB. — 2, 4 Tuae prolis ad BC. — 2, 5 debitorem BC. — 3, 1 Mentem tuam conturbavit BC. — 3, 2 dolore BC. — 3, 3 Christi passio BC. — 3, 4 Sed te laetam restauravit BC. — 3, 10 Ne oppressum A. — 3, 11 Nec repelli BC. — 4, 1 Laetabundus ascendeat BC. — 4, 2 Corpus suum subvehat BC. — 4, 3 Coeli super BC. — 5, 1 Quantum in te laetabaris BC.

### 68. De Gaudiis BMV.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Gaude, virgo, mater Christi,<br/>Quae per aurem concepisti<br/>Gabriele nuntio.<br/>Quam prudenter respondisti:<br/>Ecce, sum ancilla Christi<br/>Hominem sed nescio;<br/>Sic serpentem contrivisti,<br/>Dei verbum implevisti<br/>Genesis principio.</p> <p>2. Gaude, quia Deo plena<br/>Peperisti sine poena<br/>Cum pudoris lilio.<br/>Casti lilium pudoris,<br/>Virga Jesse, flos odoris,<br/>Salvat puerperio,<br/>Quos damnavit dux erroris,<br/>Adam, Eva, fons moeroris,<br/>Colubris ingenio.</p> <p>3. Gaude, quia tui nati,<br/>Quem dolebas mortem pati<br/>Fulget resurrectio.<br/>Rex triumphans in agone<br/>Superato Pharaone<br/>Surrexit de proelio,<br/>Ab Aegypto, pastor bone,<br/>Educ nos victo dracone<br/>Ab ejus imperio.</p> | <p>4. Gaude, Christo ascendente,<br/>Qui in coelum te vidente<br/>Motu fertur proprio.<br/>Clara nube ferebatur,<br/>Galilaea mirabatur<br/>De tanto mysterio,<br/>Vox jucunda nuntiatur,<br/>Humanitas coronatur,<br/>Coeli throno regio.</p> <p>5. Gaude, quod post ipsum scandis<br/>Et est honor tibi grandis<br/>In coeli palatio.<br/>Coeli throno sublimata,<br/>Gemmis satis coronata<br/>Paradiso solio,<br/>O Esther inthronisata,<br/>Pro nobis sis advocata<br/>Coram rege filio.</p> <p>6. Ubi fructu ventris tui<br/>Per te nobis detur frui<br/>In perenni gaudio.<br/>Fructus floris virginalis,<br/>Fructus vitae spiritalis,<br/>Fructus sine folio,<br/>Flos florum, flos virginalis<br/>Et fructus universalis,<br/>Salus et redemptio.</p> |
|---|---|
7. Sic Zephyrus mittit rorem,  
Rore flora parit florem,  
Floris fit refultio;  
Flos ascendit in decorem,  
Flora sequitur odorem  
Amoris suspirio.  
Ergo floris mater flora,  
Nos defende mortis hora  
Finali supplicio.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19824. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. B.

69. De Gaudiis BMV.

Gaudia bis dena, mater dulcedine plena  
Virgoque sensisti, terris dum viva fuisti,  
Poplite quae flexo recitandoque pie texo.

1. Gaude, virgo mater Christi,  
Quae per aurem concepisti  
Gabriele nuntio,  
Gaude, praegnans absque luctu,  
Divino referta fructu,  
Carnis carens vitio.
2. Gaude, luminis lucerna,  
Cui congaudet interna  
Cognatae devotio.  
Gaude, lumen in te clausum  
Nosti per Johannis plausum  
Clausi ventris atrio.
3. Gaude, quia Deo plena  
Peperisti sine poena  
Cum pudoris lilio.  
Gaude, parens florem florum,  
Quem pastores tam decorum  
Norunt in praesepio.
4. Gaude, coetus quod coelestis  
Psallit gaudens et fit testis  
Tanto puerperio.  
Gaude, sacro lacte pascens  
Hunc, qui ab aeterno nascens  
Tuo ludit gremio.
5. Gaude, nova luce data,  
Novae stellae nuntiata  
Gentibus indicio.  
Gaude, natum regem poli  
Deum per tres reges coli  
Munere trifario.
6. Gaude, puerum divinum  
Munus acceptantem trinum  
Triplici mysterio.  
Gaude Christum, amplexatum  
Brachiis, Deum probatum  
Thuris ministerio.
7. Gaude, prolem nam ostendit  
Summum regem, quae prae-  
tendit,  
Auri praesentatio.  
Gaude, myrrha cum donatur  
Christus homo, qua signatur  
Hominis salvatio.
8. Gaude, Dei salutare  
Per te ferri ad altare  
Legis ex imperio.  
Gaude, quia tui nati,  
Quem dolebas mortem pati,  
Fulget resurrectio.
9. Gaude, quod omnipotentem  
Prima nosti resurgentem  
Fidei praesagio.  
Gaude Christo ascendente,  
Qui ad coelos te vidente  
Fertur motu proprio.
10. Gaude, te coelestem fecit  
Et omne triste abjecit  
Pneumatis infusio.  
Gaude, quod nec hic viventi  
Tibi nec mundo cedenti  
Obfuit tentatio.
11. Gaude, quod post Christum scandis  
Et est honor tibi grandis  
In coeli palatio,  
Ubi fructu ventris tui  
Per te nobis detur frui  
In perenni gaudio.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19824. — 2, 6 Clausum. —  
7, 1 prole. — 7, 2 Summam. — 10, 1 Gaude quia coelestem fecit. — 10, 2  
Te et omne triste.

70. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo Dei mater,  
ab angelo salutata,  
Gaude, sentiens infantem,  
virgo verbo gravidata.
2. Gaude, gaudens in montibus  
Elisabet visitando,  
Gaude, virgo salvatorem,  
sine poena pariendo.
3. Gaude, pastores intuens  
natum tuum adorantes,  
Gaude magos inspiciens  
trina dona offerentes.
4. Gaude, cum justus Simeon  
prophetavit de filio,  
Gaude, quando regressa es  
de Aegypti exsilio.
5. Gaude, cum inter Judaeos  
templi reperis filium,  
Gaude cernens aquam vino  
mutantem ad convivium.
6. Gaude, cum sanat languidos  
mortuosque resuscitat  
Et quinque mille hominum  
expensis escis visitat.
7. Gaude, quando vides eum  
a mortuis resurgere,  
Gaude, cum vidisti natum  
ad coelos ascendere.
8. Gaude, quando discipulis  
sanctum transmisit spiritum,  
Gaude, secum stans in coelis  
habens coronae meritum.
9. Virgo, regina coelorum,  
tanta possidens gaudia,  
Fac tuorum gaudiorum  
nos consortes in gloria.

Brev. ms. Fiscannense saec. 14. Cod. Rotomagen. 206.

71. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo, de gaudio,  
Quod habebas plenissimo,  
Cum primo Deum cerneres  
Et hunc velut in speculo  
Auctorem, qui a saeculo  
Elegit te, agnosceres.
2. Gaude, virgo, de gaudio,  
Quod habebas plenissimo,  
Cum te Deus susciperet  
Amplexando tenerrime,  
Salutando dulcissime  
Et Ave tibi diceret.
3. Gaude, virgo de gaudio,  
Quod habebas in osculo,  
Quod tibi dedit trinitas,  
In quo suae dulcedinis  
Gustu tu sic infunderis,  
Ut coelum terram repleas.
4. Gaude, virgo de gaudio,  
Quod habebas plenissimo,  
Cum divino succenderis  
Sic amore plenissime,  
Quantum fuit possibile,  
Ut et sanctos ignieris.
5. Gaude, virgo, de gaudio,  
Quod habebas plenissimo,  
Dei splendor cum penetrat  
Te clarissimo lumine,  
Quo coelum lucet splendide  
Et justorum plebs jubilat.
6. Per haec virgo tripudia,  
Quae tunc tua praecordia  
Susceperunt cum júbilo,  
Deum teque da gnaviter  
Collaudare perenniter  
Nos in futuro saeculo.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001.

72. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, per quam angelorum  
Gaudet chorus et sanctorum  
Perenni laetitia,  
Quos praecellis, gratiosa,  
Super omnes gloriosa  
Speciali gloria.
2. Gaude, gemma, templum Dei,  
Per quam datur lux diei  
Solis de praesentia;  
Per te magis illustratur,  
Illustrata jucundatur  
Tota coeli curia.
3. Gaude, lampas saeculorum,  
Cui parent supernorum  
Omnes coeli curiae,  
Vultum tuum deprecantes,  
Tamquam matrem venerantes  
Sui regis gloriae.
4. Gaude, cella fluens melle,  
Cujus voto Christi velle  
Sociavit caritas,  
Quidquid tuae pietati,  
Placet summae trinitati,  
O pura virginitas.
5. Gaude, virgo, quae decoras  
Servos tuos et honoras  
Hic et in coelestibus,  
Nos cum ipsis ad amoena  
Paradisi laude plena  
Transfer tuis precibus.
6. Gaude, rosa, princeps florum,  
Super thronos angelorum  
Gloriosis laudibus  
Exaltata jucundaris,  
Trinitati sociaris  
Et sanctorum milibus.
7. Gaude, cujus non marcescit  
Laus et honor, nec decrescit  
Gaudiorum gaudium;  
Jam secunda gloriaris,  
Juncta Christo coronaris  
Super regni solum.
8. Omni laude mater digna,  
Te laudanti sis benigna  
In hac vita misera;  
Imperatrix gloriosa,  
Consolatrix viscerosa,  
Nos a peccatis libera.
9. Quando dies erit irae,  
Fac tormenta non sentire  
Tua colentes gaudia,  
Fac ut tecum nos laetemur  
Et securi jucundemur  
In coelesti patria.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

73. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, mater, semper gaude,  
Vere summa digna laude,  
Gaude, mater luminis;  
Eja, nimis speciosa,  
Potens et imperiosa,  
Larga fonte numinis.
2. Gaude, Deum virgo paris  
Et per rubum designaris  
Non passum incendia,  
Verbi pignus incarnati  
Tuae datur caritati  
In pacis stipendia.

3. Gaude, mater novi regis,  
Per te dantur novae legis  
Certa privilegia,  
Imperatrix concordiae,  
Mater misericordiae,  
Flos de stirpe regia.
4. Gaude, tu praedestinata,  
Ab aeterno dedicata,  
Triclinium Domini,  
Astra, solum, maria  
Laudem promunt, o Maria  
Tuo sancto nomini.
5. Gaude, libri prophetarum,  
Figurae patriarcharum  
Te diu praedicaverant,  
Mater gratiae coelestis,  
Medelam morbi scelestis  
Te desideraverant.
6. Gaude, gaudium sanctorum,  
Thesaurus apostolorum,  
Martyrum victoria,  
Confessorum laudis thema  
Virginumque diadema,  
Angelorum gloria.
7. Gaude, florens virgo Jesse,  
Ecce Deus fecit esse  
Florem et amygdalum,  
Vas insigne plenum melle,  
Omne malum procul pelle,  
Aufer omne scandalum.
8. Gaude, regni vitae clavis,  
Quam praeclara, quam suavis  
Lucerna justitiae,  
Vitae spes, dulcedo, salus,  
Qua fugatur draco malus,  
Organum laetitiae.
9. Gaude, quam mundus adorat,  
Sanctorum chorus honorat,  
Laudat universitas,  
Omnibus nam profuisti,  
Solatium contulisti,  
Spe cadit adversitas.
10. Gaudet coelum, quod te videt,  
Serenius totum ridet  
De tua praesentia,  
Omnis terra jucundatur,  
Daemon tremit, mors fugatur  
De tua potentia.
11. Gaude, rosa sine spina,  
Peccatorum medicina  
Lapsis dans remedium,  
Eja, digna mediatrix  
Et benigna consolatrix,  
Pacis ferens medium.
12. Gaude, virgo mater Christi,  
Gaudium quae genuisti,  
Patris unigenitum,  
In quo semper jucundaris  
Et prae cunctis gratularis  
Felix in perpetuum.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 10, 1 Gaude coelum. — 10, 2 Serenius en totum.

#### 74. De Gaudiis BMV

In Nativitate BMV.

1. Tua, virgo, nativitas  
Est miseris felicitas,  
Peccatoribus sanitas  
Et angelis festivitas.
2. Maria, coelo serenior,  
Et sole es splendidior,  
Nec non et luna pulchrior  
Cunctisque astris clarior.





- |   |  |
|---|--|
| 3. Angelis amabilior,<br>Adspectu es venustior,<br>Gratia elegantior,<br>Cunctis creatis dulcior.                       | 6. Ave, per hoc eulogium,<br>Concipis Dei filium,<br>Virginitatis lilium<br>Habens et matris gaudium.    |
| 4. Ergo, virgo, egregia,<br>Nata de stirpe regia,<br>Per te donetur venia<br>Supplicibus et gratia.                     | 7. O cella pigmentaria,<br>Vas plenum sapientia,<br>Virtutibus et gratia,<br>Nos gustu vitae satia.      |
| 5. Melleum jam coeli rorem<br>Pluunt, ros infundit florem,<br>Flos mel stillat, mel odorem<br>Vitae spargit et saporem. | 8. Ave, felix hospitium,<br>Nullius sordis conscium,<br>Thalamus et palatium<br>Thronusque regis omnium. |
| 9. Per illud, mater, gaudium,<br>Quod sensisti, dum filium<br>Gestabas, sis humilium<br>Spes salus et solatium.         |  |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

#### 75. In Annuntiatione BMV.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Flos in flore exoritur,<br>In Nazareth dum nascitur<br>Rosa, de qua egreditur,<br>Flos, per quem salus redditur. | 2. Hunc ortum cum laetitia<br>Laudemus et melodia<br>Dicentes: Ave, Maria,<br>Prae cunctis plena gratia. |
| 3. Te Dei sapientia<br>Elegit super omnia,<br>Ut esses sibi propria<br>Sponsa, mater et filia.                      |  |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

#### 76. In Partu Virginis.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Ave, de qua nascitur<br>Puer, qui Jesus dicitur,<br>Per quem reus redimitur,<br>Dum innocens hic moritur. | 3. Tu Christi tabernaculum,<br>Angelo es spectaculum,<br>Virtutum habitaculum,<br>Miserorum umbraculum. |
| 2. Patrem paris, o filia,<br>Quis unvidit quam talia?<br>Sunt tamen permanentia<br>Castitatis insignia.      | 4. Tu castitatis lilium,<br>Viola es humilium<br>Rosaque patientium<br>Et flos sanctorum omnium.        |

5. Ergo, mater genitoris,  
Flos, amore creatoris  
Et sub alis salvatoris  
Intus pasce, muni foris.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

77. In Circumcisione.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Gaude, dum circumciditur<br>Puer, qui Jesus dicitur,<br>Qui legi sponte subditur,<br>Sed lege nulla stringitur. | 2. Illius circumcisio<br>Est nobis admonitio,<br>Ut caveamus vitio<br>Et peccati contagio. |
| 3. Ergo, Maria, precibus<br>Tuis detur humilibus<br>Circumcidi a sordibus<br>Peccatorum et funibus.                |  |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

78. In Epiphania.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Gaude, cujus uberibus<br>Nutritur, qui a regibus<br>Honoratur tam precibus<br>Quam mysticis muneribus. | 3. Rore coeli nos rigari<br>Lacrimisque baptizari,<br>Trinitatem contemplari,<br>Fac amore debriari.          |
| 2. Da nobis, mater gratiae,<br>Thus bonae conscientiae<br>Myrrhamque patientiae<br>Et aurum sapientiae.   | 4. Aquam nostram fac mutari,<br>Vinum novum nobis dari,<br>Ut possimus epulari<br>Sic cum Christo et laetari. |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

79. In Purificatione.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Gaude, mater, prae ceteris,<br>Quae cum Dominum peperis,<br>Nulla lege constringeris,<br>Licet legem impleveris. | 3. Turtures castimoniae,<br>Devotionis et gratiae,<br>Columbas innocentiae<br>Fers, pacis et concordiae. |
| 2. Par avium pro filio<br>Offers in sacrificio,<br>Quem Simeon prae gaudio<br>Fovet ulnis ac gremio.                | 4. Da nobis sanctimoniam,<br>Compunctionis gratiam,<br>Columbae innocentiam<br>Et mutuam concordiam.     |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883, saec. 14/15.

80. In Passione.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Filiae Sion, cernite,<br>Natum meum et plangite,<br>Qui pro vobis in stipite<br>Pendet demisso capite. | 3. Prae dolore deficio,<br>Quod torqueri conspicio<br>Filium, cujus passio<br>Est cordi meo scissio.                |
| 2. Homo, mihi compatere,<br>Tam infelici, tam miserae,<br>Videnti natum deficere<br>Atroci mortis genere. | 4. O mater cui viscera<br>Sputa torquent et verbera,<br>Probra, clavi, crux, vulnera,<br>Fel, spinæ et mors aspera; |
| 5. Pro nobis ora filium,<br>Pro quibus hoc supplicium<br>Tulit, ut simus civium<br>Cohaeredes coelestium. |   |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15. — 2, 3 lies Vide natum?

81. De Resurrectione.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Mater Christi, noli flere,<br>Cesset dolor quia vere,<br>Jam surrexit, hoc dixere<br>Angeli, qui adfuere. | 2. Gaude plene, cesset fletus,<br>Redit victor leti laetus<br>Et sanctorum secum coetus<br>Immortali dote fretus. |
| 3. Fac nos ergo resurgere<br>Cum electis et sapere<br>Deum frui et cernere,<br>Quod erit vere vivere.        |   |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

82. In Ascensione.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Gaude, quae vides filium<br>In summitate nubium<br>Patris petentem solium,<br>Per quem fit iudex omnium. | 3. Terra, pontus, astra, caeli<br>Adorant hunc et angeli,<br>Mente pura et fideli<br>Collaudant et archangeli. |
| 2. Super coelos exaltatur<br>Et a patre coronatur,<br>Coequalis adoratur,<br>Coelo, terrae dominatur.       | 4. Sponsa, parens et filia<br>Tanti regis, qui omnia<br>Gubernat, nos ad gaudia<br>Perduc de hac miseria.      |

Cod. Palatin. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

83. In Assumptione.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Gaude, felici gaudio<br>Assumpta jam a filio,<br>Quae frueris colloquio,<br>Amplexu et obsequio. | 2. Tota coelestis curia<br>Procedit tibi obvia,<br>Sede locaris regia,<br>Praecellis omni gloria. |
|---|---|

- |  |  |
|--|--|
| 3. Jam dilectum contemplaris,<br>Contemplando veneraris,<br>Venerando oscularis,<br>Osculando jucundaris.      | 5. Maria, mater gratiae,<br>Mater misericordiae,<br>De lacu nos miseriae<br>Transfer ad regnum gloriae.    |
| 4. Porta coeli, stella maris,<br>Mundi portus salutaris,<br>Gemma coeli singularis,<br>Margarita expers paris. | 6. O Maria, considera,<br>Quod propter nos puerpera<br>Sis, et quod tua ubera<br>Suxit, qui regit aethera. |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

#### 84. De Trinitate.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Gaude, felix et beata,<br>Deo patri consecrata,<br>Verbo Dei impregnata,<br>Sancto spiritu dotata. | 2. Tu patris es solatium,<br>Christi regale solium,<br>Parachiti sacrarium,<br>Trinitatis triclinium. |
| 3. Nos commenda trinitati,<br>Sanctae patris bonitati<br>Filiique pietati,<br>Spiritus benignitati.   |   |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

#### 85. De sancto Spiritu.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Gaude, quam sanctus spiritus<br>In ventre matris primitus<br>Consecravit divinitus<br>Et sic replevit penitus. | 5. Ex te carnem assumere<br>Elegit, ut redimere<br>Posset nos et educere<br>Christus de mortis carcere.  |
| 2. Hinc devota humilitas,<br>Hinc tibi flagrans caritas,<br>Hinc fecunda virginitas,<br>Hinc virtutum fecunditas. | 6. Mater Dei hinc vocaris<br>Et regina appellaris,<br>Coelo, terrae dominaris<br>Et a cunctis veneraris. |
| 3. Nos purgatos a peccatis<br>Rore riga sanctitatis,<br>Gratia sancti pneumatis<br>Et ardore caritatis.           | 7. Nobis pro tanto munere<br>Debes jure succurrere<br>Et contritos suscipere<br>Deoque restituere.       |
| 4. Memento, cur eligeris<br>Vel cur mater efficeris,<br>Quod vere si perpenderit,<br>Homini misereberis.          | 8. Te ergo flexis genibus<br>Oramus ac gemitibus,<br>Ut in supernis sedibus<br>Jungamur coeli civibus.   |
| 9. Ubi felici gaudio<br>Dei ac tuo filio<br>Fruamur et haec actio<br>Nostra sit laus et visio.                    |  |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

86. Missa Sanctae Mariae Virginis.

Introitus.

1. Matrem Christi salutemus,  
Opem ejus imploremus,  
    Adsit ad introitum;  
Benedictam hanc dicemus,  
Trinitati inclinemus,  
    Nobis det auxilium.

Kyrie eleison.

2. Jubilantes hinc angeli  
Ordines novem coelici  
    Laudent Deum in Sion,  
Devoti quoque famuli  
Alternatim et singuli  
    Dicant Kyrie eleison.

Laus angelica.

3. Sit gloria altissimo,  
Pax quoque in hoc saeculo  
    Bonis voluntatibus,  
Cum cantico angelico  
Patri, nato, paraclito  
    Detur laus ab omnibus.

Collecta.

4. Sanitatem hinc famulis  
Det mentis atque corporis  
    Per virginis precamen,  
Soluti a tristitiis  
Fruamur coeli gaudiis,  
    Ad quod dicamus Amen.

Epistola.

5. Ab initio saeculi  
Creandam matrem Domini  
    Prophetae praedixerunt,  
De Sion monte fertili  
Fructus est datus virgini,  
    Quem omnes gustaverunt.

Gradale.

6. Sancta et venerabilis,  
Virgo inviolabilis,  
    Intacta permanseras,

Es mater generabilis,  
Qui est interminabilis,  
    Deum in te clauseras.

Alleluja.

7. Alleluja hinc resonat,  
Virga Jesse floruerat,  
    Castum germen cum flore,  
Ima summis conciliat,  
Quae virgo sancta generat  
    Virgineo virore.

Tractus.

8. Nunc virgo mater gaudeat,  
Quod haereses interimat  
    Verbis credens angeli;  
Post partum virgo manserat,  
Pro nobis interveniat  
    Prece sua supplicii.

Evangelium.

9. Constat, quod evangelium  
Ventrem, qui gessit Dominum,  
    Beatum clamat esse;  
Quicumque audientium,  
Verbum Dei tenentium,  
    Beati sint, necesse.

Credo.

10. Tenentes fidem fortiter,  
Per quam credimus firmiter  
    Deum natum virgine,  
Passum pro nobis acriter,  
Surgens scandit alacriter  
    In coelorum culmine.

Offertorium.

11. Es Mariavirgo grata,  
Quae portasti illibata  
    Ipsam, qui te fecerat,  
A quo cuncta sunt creata,  
Per incensum illum placa,  
    Veniam ut tribuat.

*Secreta.*

12. *Mariae intercessio,*  
Dei propitiatio  
Proderit fidelibus,  
Pia nostra oratio,  
Exigua oblatio  
Volet in coelestibus.

*Praefatio.*

13. Alte libet exclamare,  
Deum semper collaudare  
In honore virginis,  
Voluit hanc obumbrare  
Dono sancti flatus clare  
Matrem veri luminis.

*Sanctus.*

14. Rite inde subsequatur  
Terque Sanctus decantatur  
Sabaoth Deo summo,  
Benedictus acclamatur,  
Nomen Dei invocatur,  
Hosanna alto sono.

*Canon.*

15. Igitur patrem omnium  
Per Jesum Christum Dominum  
Suppliciter rogemus,  
Pro statuque fidelium  
In terris hic viventium,  
Memoriam tenemus.

*Communicantes.*

16. Et Maria eximia,  
Sanctorum quoque agmina  
Intercedant sedule,  
Ut nostra sint servitia  
Accepta et familia  
Ne damnetur misere.

*Silentium.*

17. Verbo panis conficitur,  
In corpus Christi vertitur  
Vinumque in sanguinem;  
Hinc passio recolitur,  
Christus surgens regreditur  
Ad coelorum apicem.

*Supra quae.*

18. Intuere, pater clare,  
Et dignare acceptare  
Puram nostram hostiam,  
Quondam patres immolare  
Solent et sacrificare,  
Hanc signabant victimam.

*Supplices.*

19. Rogamus omnes supplices,  
Per angelum suscipies  
Vota tui populi  
In sublimi, quo resides,  
Altaris fac participes  
Corporis dominici.

*Memoria defunctorum.*

20. Gementes quoque petimus  
Memoriamque facimus  
Pio desiderio  
Pro animabus omnibus  
In Christo quiescentibus,  
Sint in refrigerio.

*Nobis quoque.*

21. Insuper peccatoribus  
Pie in te sperantibus  
Dona partem gratiae  
Cum sanctis tuis omnibus,  
Apostolis, martyribus,  
Hos cum illis insere.

*Oratio Dominica et Agnus.*

22. Nunc pater coelis residens  
Et regnum suum tribuens  
Nos a malis liberet,  
Agnus peccata auferens,  
Et pacem nobis largiens  
Sibi nos incorporet.

*Communio.*

23. Intret nostra praecordia,  
Quem portaverunt viscera  
Gloriosae virginis,  
Expellat cuncta crimina  
Et maneat cum gratia  
Donis replens coelicis.

Complenda.

24. Sumpta tanta subsidia  
Per virginis precamina  
Nostrae prosint salutē,  
Ad coelos missa hostia  
Nos protegat per omnia  
Sic erimus securi.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — Dies Lied ist keine liturgische Messe, nicht ein Messformular für den Celebrans, sondern ein solches für den der Messe Anwohnenden. Wäre es statt für die stille Andacht für den Gesang bestimmt gewesen, so hätten wir in ihm das älteste Beispiel einer sg. Singmesse.

87. Alphabetum archangelicum

in laudem BMV.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Arca deitatis,<br>Aula summae majestatis,<br>Fons totius bonitatis.          | 10. Karitate plena,<br>Fons signatus, vitae vena,<br>O quam dulcis et serena.   |
| 2. Balsamo suavior,<br>Angelis laude dignior,<br>Tu cunctis sanctis sanctior.   | 11. Lumen angelorum,<br>Expugnatrix vitiorum,<br>Miseratrix miserorum.          |
| 3. Convallis lilium,<br>Nobis post hoc exsilium<br>Ostende tuum filium.         | 12. Mater Jesu Christi,<br>Verbum verbo concepisti,<br>Serva me a morbo tristi. |
| 4. Dulcis mellis unda,<br>Duc de faecis me profunda,<br>O fecunda, me fecunda.  | 13. Nubes pluviosa,<br>Coeli porta, lux jocosa,<br>Imperatrix gloriosa.         |
| 5. Evae liberatrix,<br>Creaturae reparatrix,<br>Cordium illuminatrix.           | 14. Ortus voluptatis,<br>Flos et fructus suavitatis,<br>Radix immortalitatis.   |
| 6. Fulgens solis cella,<br>Tu splendida maris stella,<br>Mater simul et puella. | 15. Parens absque pari,<br>Ne in mortis torculari<br>Me permittas condemnari.   |
| 7. Gemma pretiosa,<br>Gelu non attrita rosa,<br>Virga Jesse fructuosa.          | 16. Quae es vitae via,<br>Dulcis, clemens, casta, pia,<br>Spes reorum, o Maria. |
| 8. Hamus caritatis,<br>Plenitudo pietatis,<br>Tu me munda a peccatis.           | 17. Rubus visionis,<br>Vellus madens Gedeonis,<br>Sponsa prudens Salomonis.     |
| 9. Inventrix gratiae,<br>Et genitrix laetitiae,<br>Tu speculum munditiae.       | 18. Stella luminosa,<br>Caritate radiosa,<br>Florens vitis generosa.            |

- |   |   |
|---|---|
| 19. <b>Templum trinitatis,</b><br>Tu sigillum castitatis,<br>Tu lucerna claritatis. | 22. <b>Yesse flos pudoris,</b><br>Florens vitis, vas honoris,<br>Fons dulcoris, stilla roris. |
| 20. <b>Virginum regina,</b><br>Rosa sine culpa spina,<br>Es doloris medicina.       | 23. <b>Zyma veri David,</b><br>Auster lenis te perflavit<br>Et perflando fecundavit.          |
| 21. <b>Xristi praenotata,</b><br>Virgo mater illibata,<br>Super coelos exaltata.    | 24. <b>Et hoc alphabetum</b><br>Tuae laudi est completum,<br>Fac me, virgo, semper laetum.    |
| 25. <b>Mihi fer ducatum,</b><br>Plasmatorem fac placatum<br>Faciendo me beatum.     |   |

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 1, 1 Ave  
arca deitatis gegen das sonst beobachtete Versmaß; vermutlich ist dies „Ave“  
vor jeder Strophe zu ergänzen. — 1, 3 Et fons totius.

### 88. Aliud Alphabetum.

- |  |  |
|--|--|
| 1. <b>Ave, rosa vernans flore,</b><br>Virgo praegnans coeli rore,<br>Byssus candens plus nitore,<br>Mater facta miro more. | 7. <b>Nunc justorum adsis laudi,</b><br>Peccatorum fletus audi,<br>Opem ferens nos exaudi,<br>Ne mens ulli cedet fraudi.   |
| 2. <b>Condito rem per suave,</b><br>O Maria, gignens Ave,<br>Dextram tende, votis fave,<br>Culpa e tollens onus grave.     | 8. <b>Pelle moesta, confer laeta,</b><br>Mundi regna sint quieta,<br>Quo letali cura spreta<br>Sit vitalis vitae meta.     |
| 3. <b>En ab uno vix respiro,</b><br>Bino fixus morsu diro,<br>Forma vitae, quam suspiro,<br>Me intende, te requiro.        | 9. <b>Reple sancto nos timore,</b><br>Fide recta, spe, amore,<br>Sis tutela mortis horae<br>Acherontis a terrore.          |
| 4. <b>Gemens precor sub peccatis</b><br>Nudus veste caritatis,<br>Horrens formam foeditatis<br>Fontem peto puritatis.      | 10. <b>Tuum nomen mihi foedo</b><br>Perpes mentis sit dulcedo,<br>Vitiu r u m nam, ut credo,<br>Omnis cedet sic nigredo.   |
| 5. <b>In te cunctis, o Maria,</b><br>Exoranda mente pia,<br>Karitatis patet via,<br>Lex virtutum et sophia.                | 11. <b>Xristi luce me beari</b><br>Da, quam lingua nequit fari,<br>Ymmo jungens laude pari<br>Fac electis conlaetari.      |
| 6. <b>Laxa nodos peccatorum,</b><br>Christi causa miserorum<br>Mater facta, quo reorum<br>Sis asy lum, laus bonorum.       | 12. <b>Zelo pestis crucietur,</b><br>Homo per te quod salvetur,<br>Et ut Deus hinc laudetur,<br>Perpes nobis regnum detur. |



89. Meditatio de BMV.

1. Ave, sacrum vitae flumen,  
Paradisi purum lumen,  
Nos clementer respice,  
Intra domum ubertatis  
Nos torrente voluptatis  
Abundanter refice.
2. Ave, clara stella maris,  
Disciplina salutaris,  
Nos emunda vitio,  
Te permittas nunc apprehendi  
Per exemplum te sequendi,  
Ne nos tangat ultio.
3. Ave, domus castitatis,  
Templum purum sanctitatis,  
Dei plena gratia,  
Nostram offer Deo precem,  
Cordis nostri munda faecem  
Delictorum venia.
4. Ave, virgo mons electus,  
In quo Deus carne tectus  
Elegit quiescere,  
Qui nec dolum unquam egit,  
Nec pudoris claustra fregit,  
Cum te fecit parere.
5. Ave, virgo quam invenit  
Puram Deus et praevenit  
Benedictionibus,  
Cujus caput pater unxit  
Et ornavit et distinxit  
Virtutum lapidibus.
6. Ave, virgo, fructu cujus  
Et sapore fructus hujus  
Recreatur populus,  
Facta virga florem dando,  
Mortem hostis effugando  
Facta tamquam baculus.
7. Ave, virgo, fons signatus,  
Quam signavit Christus natus  
Vultus sui lumine,  
Dum in ortu salvatoris  
Stat illaesus flos pudoris  
Obumbrante flamine.
8. Ave, virgo, pro me roga,  
Te produxit synagoga  
Sicut spina liliū,  
Dereliquit te Judaeus  
Et assumpsit sponsus Deus  
In throni consortium.
9. Ave, templum Dei sanctum,  
Peccatoris audi planctum  
Et cordis suspiria;  
Dei coelum, Dei sedes,  
Duc et rege nostros pedes  
Ad coeli sedilia.

Orat. ms. Tegrinsense saec. 15. Clm. Monacen. 20110 A. — Orat. ms. Eberspergense saec. 15. Clm. Monacen. 6053. B. — 1, 1 vitae lumen B. — 6, 1 fructus AB.

90. Jubilus de singulis membris BMV.

1. Ave, Maria, virgo pia,  
Vita dia, lux et via,  
Omni plena gratia,  
Angelorum imperatrix,  
Coeli, terrae dominatrix,  
Tu sola dans solatia.
2. Salve, sacrum Dei templum,  
Tu virtutis es exemplum  
Et speculum munditiae,  
Tu liliū castitatis,  
Viola humilitatis,  
Flos candens pudicitiae.

3. Te saluto corde laeto,  
Opem tuam supplex peto,  
O mater benignissima,  
Me dignare te laudare,  
Laudes tuas decantare  
Mente sincerissima.
4. Scio, quodsi lingua foret  
Omne, quod sub coelo floret,  
Te digne non exprimeret,  
Omnis quoque creatura  
Corporalis atque pura  
Laudare non sufficeret.
5. Tu coelorum ornamentum,  
Tu virtutum documentum,  
Tu decus es ecclesiae,  
Tu fidei firmamentum,  
Vere pacis condimentum,  
Tu firma es spes veniae.
6. Nulla pars est caritatis  
In te neque pietatis,  
Sed es tota caritas;  
Fons tu vivus pietatis,  
Fons totius amoenitatis  
Atque omnis pietas.
7. Tu mater integerrima,  
Tu virginum pulcherrima,  
Tu prole fecundissima,  
Tu corpore sanctissima  
Et spiritu mundissima  
Ac mente lucidissima.
8. Nulla virgo tam formosa  
Fuit nec est speciosa  
Ut Hierusalem filia,  
Quae verum regem generavit,  
Deum et hominem pavit  
Decorum super lilia.
9. Tu, Maria, stella maris,  
Medicina salutaris  
Es corporum et cordium.  
Fons signatus, clausus hortus,  
Via pacis, vitae portus,  
Pauperum refugium.
10. In hac valle lacrimarum,  
In hoc loco tenebrarum  
Contra fraudes hostium  
Nos custodi et defende,  
Sis adjutrix et impende,  
Quod est utilissimum.
11. Gloriosa Dei mater,  
Cujus natus est et pater  
Patris unigenitus,  
Cujus alvum fecundavit,  
Praeaptavit, praeoptavit  
Virtus sancti spiritus,
12. Intercede pro peccatis  
Apud fontem pietatis  
Atque misericordiae,  
Fac nos vere poenitentes  
Commissa nec non defentes,  
Dum tempus est veniae.
13. Jesu, fili summi patris,  
Christe, nate sanctae matris  
Et intactae virginis,  
Qui de coelo descendisti  
Et descendens induisti  
Veri formam hominis,
14. Genitricis pia prece  
Nos a luto et a faece  
Peccatorum ablue  
Et largire vitam puram  
Atque pacem permansuram  
Et salutem animae.
15. Salve, thorus virginalis,  
Cella flagrans et regalis,  
Thronus sapientiae,  
Lectus florens Salomonis,  
Vellus madens Gedeonis,  
Thalamus justitiae,
16. De quo Christus tamquam sponsus  
Carne tectus et absconsus  
Processit temporaliter,  
Sumens illud, quod non erat,  
Manens semper perseverat,  
Quod fuit aeternaliter.
17. O quam felix et quam mundus  
Custus simul et fecundus  
Uterus est virginis,  
In quo mira commixtura  
Fit cum deitate pura  
Carnis atque sanguinis.

18. In hac reconciliata  
Atque sic confoederata  
Terrigenis coelestia,  
In hac vera justitia  
Atque misericordia  
Dederunt pacis oscula.
19. O Maria, mater pia,  
Tu coelestis hierarchia  
Immensae deitatis,  
Mundissimum tu serinium  
Et nobile triclinium  
Totius trinitatis.
20. Tu arca munda beatorum,  
Ferens panem angelorum  
Verae satietatis,  
In quo candor atque sapor,  
In quo decor atque odor  
Omnis jucunditatis.
21. Nobis ventris tui florem,  
Nostrum pium redemptorem  
Festina mitigare,  
Ne pro commissis vitiis  
Tartareis suppliciis  
Nos velit commendare.
22. Ave, salve, cor insigne  
Matris piaae ac benignae,  
Mariae semper virginis,  
In quo mellis est dulcedo,  
Lactis candor nec nigredo  
Nec ulla nota criminis.
23. Virgo mater et regina  
Coeli, nobis hic proprina  
Tui cordis dulcedinem;  
Cordi meo fer medelam,  
Contra hostes da tutelam,  
Da mentis aptitudinem.
24. Ave, cor immaculatum,  
Cor dilectum, cor beatum,  
Cor plenum omnis gratiae;  
Salve, vera salus mundi,  
Tollens carmen pereundi,  
O vas misericordiae.
25. Vas repletum cunctis donis,  
Patens malis atque bonis,  
Dans pacis beneficia,  
In hoc vase me concludere,  
Dulcis mater, nec excludere  
A tua grata gratia.
26. Ave, cor, quod Simeonis  
Esis transit passionis  
Mortis in articulo  
Jesu Christi salvatoris,  
Mundi omnis qui moeroris  
Nos solvit a periculo.
27. Ave, pectus venerandum,  
Ad quod nunquam deflorandum  
Peccantis manus subiit,  
Semper manet illibatum  
Pectus sacrum, Deo gratum,  
Pudoris munus obtulit.
28. Salve, felix puerpera,  
Cujus sacra ubera  
Praedulci plena lacte  
Dei lactarunt filium,  
Qui venit in exsilium  
Sed sponte non coacte.
29. Maria, tua ubera  
Felicia sunt munera,  
Cum quibus decoratur  
Humilitas et castitas,  
Sanctorum his societas  
Plus vino delectatur.
30. Hae sunt gemelli hinnuli,  
Duo conversi populi  
Ad fidem trinitatis,  
Quos virgo lacte debrias,  
Dum ab errore revocas  
Ad fidem veritatis.
31. O Maria, mater pia,  
Nos certantes in hac via  
Materno vultu respice;  
Dulcis Jesu, per mamillas,  
Quas suxisti, me per illas  
In hora mortis adscipe.
32. Caput tuum ut Carmelus,  
In quo verus Helisaeus,  
Aeterna salus, scanderat,  
Dum te matrem pietatis,  
Caput omnis sanctitatis  
Virtutibus repleverat.

33. Ave, caput delicatum,  
 Membris sacris decoratum,  
 Quae digna sunt praeconio;  
 Salve, dulcis et benigna,  
 Mater pia, sola digna  
 Coeli testimonio.
34. Salve, vultus generosus,  
 Quem rex forma speciosus  
 Prae cunctis adamavit,  
 Omnes jure venerantur  
 Vultum hunc et deprecantur,  
 Quos Christus liberavit.
35. Morte sua tam amara,  
 Quam in sancta crucis ara  
 Pro nobis sponte pertulit,  
 Dum se ipsum munus gratum,  
 Sacrosanctum, illibatam  
 Aeterno patri obtulit.
36. O regalis tuus vultus,  
 Mater pia, quam incultus  
 In illa hora cernitur,  
 Dum ex crebris lacrimarum  
 Guttis a te effusarum  
 Flebiliter perfunditur.
37. O imago trinitatis,  
 Fons totius bonitatis,  
 Tuere me propitius,  
 Pia mater, me defende  
 Tuum vultum et ostende  
 In hora mei exitus.
38. Manus sanctae, vos avete,  
 Cunctis donis adimpletae,  
 Nunquam reclusae miseris,  
 Sed apertae et extentae  
 Semper manent et repente  
 Dant dulces opes muneris.
39. O quam plures sunt referti  
 Donis tuis et experti,  
 Maria dulcissima,  
 Quos a justa Dei ira  
 Opem ferens arte mira  
 Nam trahis promptissima.
40. O dextera manus, ave,  
 Genitricis Dei, qua vae  
 Mundi sublatum creditur;  
 Holofernes hac truncatur  
 Dextra, Satan debellatur,  
 Serpentis caput teritur.
41. Haec est sacra manus ista,  
 De qua rex atque psalmista  
 Dulci psallit cithara:  
 Meam manum tenuisti  
 Dextram et sic assumpsisti  
 Me in tua gloria.
42. Salve, manus o sinistra  
 Dulcis matris, quae ministra  
 Aeterni regis exstitit,  
 Dum hunc parvum contrectavit,  
 Lavit, pavit, bajulavit  
 Ac dona quaeque praestitit.
43. Jesu Christi mater clemens,  
 Qui sub tuas flens et gemens  
 Palmas prorsus fugio,  
 Suavis mater, non evellas  
 Me a te neque repellas  
 A dulci tuo gremio.
44. Mundi salus et dulcede,  
 O Maria, nunc accedo  
 Ad tuos pedes propere;  
 Pedes sancti, vos saluto  
 Genu flexo, corde tuto,  
 Prostratus toto corpore.
45. O quam pulchri tui gressus,  
 Quam pudicus et incessus,  
 Aeterni nata principis,  
 Cui vere te amanti  
 Et nil tibi deneganti  
 Materno jure praecipis.
46. Ergo sacros tuos pedes,  
 Quae in summo throno sedes,  
 Complector cum fiducia,  
 Petens, ut in mortis hora  
 Me defendas absque mora  
 Ab hostium astutia.
47. O solamen singulare,  
 Noli pia tunc tardare  
 Ad protegendum propera,  
 Funde preces salvatori  
 Et concede bene mori  
 In hujus vitae vespera.

Conclusio.

48. O Maria, mater lucis,  
Quae ad lumen caecos ducis  
Esto mihi praeuia,  
Peccatoris preces audi,  
Fac intentum tuae laudi,  
Christo reconcilia.
49. Ora regem ex te natum,  
Ut me multis implicatum  
Curis et erroribus  
Mundum reddat a peccatis  
Et infundat veritatis  
Lumen meis sensibus.

50. Cum virtute caritatis  
Det amorem paupertatis  
Et spiritum humilem,  
Sanae legis intellectum  
Spiritalem atque rectum  
Animumque docibilem;
51. Mores pios ac jucundos,  
Hos ab omni sorde mundos,  
Quos exornet castitas,  
Appetitum aeternorum  
Et contemptum terrenorum,  
In quibus est vanitas.

52. Ut agendi donet nosse,  
Velle simul atque posse,  
Pro me simul postula,  
Ut cum mortis solvam jura,  
Vivam liber a pressura  
Per aeterna saecula.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. — „Explicit jubilus S. Bernhardi abbatis ad beatam Mariam de singulis ejus membris.“ — 9, 3 Esto corporum. — 32, 3 scenderat. — 43, 5 nec repellas. — Str. 1—8 stehen als eigenes Lied bei Mone II, 403.

91. Super „Magnificat“.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Ave, nostra spes in vita,<br/>Maria sanctificata,<br/>Digne appellaris ita,<br/>Virgo mater ter beata,<br/>Vera mundi margarita,<br/>Nobis pro salute data,<br/>Indulge nobis debita,<br/>Cuncta largire rogata.</p> <p>2. Magnificas propaginem,<br/>Quae simul cuncta creavit,<br/>Te ad similitudinem<br/>Suam propriam formavit,<br/>Te praelegit virginem<br/>In matrem et consecravit,<br/>Ut hominum propaginem<br/>Redimeret, quae peccavit.</p> <p>3. Et merito et numero<br/>Tu sola sanctificata<br/>Atque a matris utero<br/>Virgo semper conservata,</p> | <p>Castitatem Deo vero<br/>Voves sibi consecrata<br/>Ejusque salutifero<br/>Dono gaudens es laetata.</p> <p>4. Quia Deus munditiae<br/>Tuae et humilitatis<br/>Cernens, carnem miseriae<br/>Sumpsit et humanitatis,<br/>Portasti regem gloriae<br/>Nil habens anxietatis,<br/>Manente pudicitiae<br/>Floreque virginitatis.</p> <p>5. Quia mater genuisti,<br/>Dicta es, virgo, heata,<br/>Generosa exstitisti,<br/>Quamvis ancilla vocata,<br/>Vere digna tu fuisti,<br/>Olim stirpe David nata,<br/>Virgo, mater Jesu Christi,<br/>Esto nostra advocata.</p> |
|---|--|

6. Et nunc summe creatoris  
Sponsa gloriosissima  
Atque mundi salvatoris  
Mater pretiosissima,  
Virgo insignita moris,  
Stirpe generosissima,  
Omnis laudis et honoris  
Ex merito dignissima.
7. Fecit te, qui per te natus  
Deus de Deo filius,  
Sed pro nobis generatus  
Apparuit propitius,  
Circumcisis, tumulatus,  
Surgens ascendit altius,  
Ipse, mater, advocatus  
Per te fiat atque pius.
8. Deposuit et posuit  
Omnium iniquitates  
Super se atque tribuit  
Aeternas felicitates,  
Sic erit, ut est et fuit,  
Quando creans potestates,  
In tempore dum induit  
Nostras imbecillitates.
9. Esurientes cibavit  
Ferculo substantiali  
Atque corda illustravit  
Lumine spirituali,  
Verum panem se donavit  
Suis more filiali,  
Tua prece, quos creavit,  
Salvet dono speciali.
10. Suscepitque supplicia  
Propter hominum peccata,  
Ut ejus beneficia  
Sanarent mortificata,  
Donarent quoque praemia  
Nobis olim heu ablata,  
Hunc placare, virgo pia,  
Vera mater, cujus nata.
11. Sicut jam es in copia  
Omnium deliciarum  
Et larga das suffragia  
Hac in valle lacrimarum,  
Nostra dele contagia  
Atque genera poenarum,  
Ut pariter in patria  
Te fruamur, jubar clarum.
12. Tibi honor et gloria  
Nobis tuumque juvamen  
Detur, virtus, victoria  
Contra hostium conamen,  
Ut sumptis a miseria  
Pater, natus atque flamen  
Nobis concedat gaudia  
Hic et in aeternum. Amen.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. mit der Schlussbemerkung: „Explicit laus angelica super Magnificat.“ — 5, 2 virgo ergänzt. — 6, 6 Stirpte. — 9, 8 Saltem dono. — 12, 4 hostium citamen.

92. Super „Ave Maris stella“.

1. Ave maris stella,  
Gloriosa puella,  
Dei mater alma,  
Florens velut palma,  
Atque semper virgo  
Pariens cum gaudio,  
Felix coeli porta,  
Ex qua lux est orta.
2. Sumens illud ave  
Jucundum et suave  
Gabrielis ore  
Cum magno honore,  
Funda nos in pace  
Tua sancta prece,  
Mutans nomen Evae  
Ne dicamus: vae, vae.

3. Solve vincla reis  
Culpam lavans eis,  
Profer lumen caecis,  
Mater verae lucis,  
Mala nostra pelle,  
Carens omni felle,  
Bona cuncta posce,  
Delictis ignosce.
4. Monstra te esse matrem  
Placans Deum patrem,  
Sumat per te precem  
Donans nobis pacem,  
Qui pro nobis natus  
Nostros solvens reatus  
Tulit esse tuus  
Semper manens Deus.
5. Virgo singularis,  
Mater salvatoris,  
Inter omnes mitis,  
Nostrae spes salutis,  
Nos culpis solutos,  
Tua prece adjutos  
Mites fac et castos  
Tibique devotos.
6. Vitam praesta puram,  
Deo placituras,  
Iter para tutum  
Atque impollutum,  
Ut videntes Jesum  
Placatum et laetum  
Semper collaetemur,  
Ipsamque veneremur.
7. Sit laus Deo patri,  
Sit laus virgini matri,  
Summo Christo decus  
Cum genitrice ejus,  
Spiritu sancto  
Laus et benedicto,  
Honor trinus et unus,  
Quem unum colimus.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Colonien. 18. — 3, 2 lavans ejus. — 3, 8 Et delictis. — 6, 6 Placantem. — 7, 8 Quem unum Deum.

### 93. Super „Regina Coeli“.

1. Regina coeli, laetare,  
Si quaeras, o virgo, quare,  
Vox respondet angelica:  
Quod meruisti portare  
Passum Dei salutare,  
Tuba psallens harmonica,  
Cod. Parisien. 3639. saec. 15/16.
2. Jam a morte suscitatum,  
Sicut erat praelibatum  
Sua voce prophetica.  
O mi mater, ora natum,  
Ut per tuum nos rogatum  
Ad regna ducat coelica.

### 94. Acrostichon super „Ave Maria“.

1. Ave, coeleste lilium,  
Ave, rosa speciosa,  
Ave, mundi praesidium,  
Ave, mater gloriosa,  
Superis imperiosa,  
Trinitatis triclinium,  
Hac in valle lacrimosa  
Da robur, fer auxilium.
2. Virgo pia sine pare,  
Gabriele nuntiante  
Quae meruisti portare  
Jesum, sacro flatu flante,  
Virgo partu, post et ante,  
Refugium singulare,  
Hac in valle vacillante  
Tuos servos consolare.

3. **Ecce, stupet humanitas,**  
Quod sis virgo puerpera,  
Scire nequit fragilitas  
Tantae virtutis opera,  
Fides transcendens opera  
Confitetur et veritas,  
Ex te, mater Christifera,  
Carnem sumpsit divinitas.
4. **Mater natum, patrem nata,**  
Stella solem genuisti,  
Creatorem res creata,  
Fontem rivus emisisti.  
Vas figulum peperisti,  
Virgo manens illibata,  
Per te nobis, mater Christi,  
Est perdita vita data.
5. **Almissima sunt viscera,**  
Quae Domini sunt conclave,  
Sanctissima sunt ubera,  
Quae suxit, et lac suave,  
Quo lactatur; mater, ave,  
Quae regnas super sidera,  
Perpetuae mortis a vae  
Nos et a morte libera.
6. **Rosa decens, rosa munda,**  
Rosa recens sine spina,  
Rosa florens et fecunda,  
Rosa, gratia divina  
Facta coelorum regina,  
Non est nec erit secunda  
Tibi; reis medicina,  
Nostris coeptis obsecunda.
7. **In scripturis figurata**  
Multis locis ostenderis,  
Aenigmatibus monstrata,  
Sacris ut patet literis  
Testamentorum veteris  
Et novi; jure praelata  
Mulieribus ceteris,  
Super omnes elevata.
8. **Ante mundi originem**  
Te Dominus ordinavit,  
Coeli dum latitudinem  
Sapienter fabricavit;  
Ex tunc mente sancta cavit  
Per te matrem et virginem  
Protoplasti, quo peccavit,  
Expiare voraginem.
9. **Gaude, virgo mater, gaude,**  
Per te mundus restauratur,  
Cum civibus coeli plaude,  
Quibus honor tibi datur,  
Decus decens exsolvatur  
Tibi, majus omni laude,  
Quia per te liberatur  
Omnis homo victa fraude.
10. **Rigans mundum novo rore,**  
Novae prolis novitate  
Nova facis novo more  
Cuncta, mira claritate  
Ex divina bonitate,  
Fons ascendens in honore,  
Rigans terram caritate,  
Dei crescens in amore.
11. **Arbor et lignum vitale,**  
In paradisi medio  
Plantaris spirituale,  
Cujus fructus fruitio  
Replet omnia gaudio,  
Nunquam fuit nec est tale,  
Nec erit sine dubio  
Lignum ita commodale.
12. **Casta virgo, te fluvius**  
Voluptatis irrigavit  
Paradisi, dum filius  
Dei corpus habitavit  
Tuum; terra tunc donavit  
Nostra fructum uberius,  
Et naturam reformavit  
Nostram Deus in melius.
13. **In paradisum posuit**  
Deus hominem filium,  
Suum custodem tribuit,  
Tuum corpus egregium.  
Per Gabrielem nuntium  
Dum visitare voluit,  
Redemptorem eximium  
Nobis eum exhibuit.



14. Arcam Noe fabricavit  
Sed de lignis levigatis,  
Fabricatam subintravit  
Cum uxore et cum natis,  
De parentibus beatis  
Sibi matrem te formavit  
Dominus et a peccatis  
Te subintrans conservavit.
15. Pactum suum antiquitus  
Deus promisit patribus,  
Arcum suum divinitus  
Ostendendum in nubibus,  
Qui foederis est omnibus  
Signum promissum coelitus,  
A Deo pax hominibus  
Datur in eo penitus.
16. Labor et timor fugiunt  
Arcu monstrato foederis,  
Spes et gaudium veniunt  
Peccatoribus miseris,  
Qui de reatu sceleris  
Flentes arcum conspiciunt,  
Per promissum de superis  
Se consolatos sentiunt.
17. Est in arcu caeruleus  
Color, qui virginitatis  
Typum gerit et rubeus  
Etiam, qui caritatis  
Formam notat, puritatis  
Tuae demonstrat aqueus  
Notam et humanitatis,  
Quam elegit in te Deus.
18. Nubibus coeli cerneris  
Arcus, qui nos illuminas,  
Refulgens morum miseris  
Exempla cunctis seminas,  
Haereses omnes terminas  
Et haereticos conteris,  
In Christo quando geminas  
Naturas simul congeris.
19. Arcus insuperabilis,  
Arcus potens, arcus fortis,  
Arcus dulcis, amabilis,  
Arcus patens coeli portis,  
Post praesentis metam mortis  
Nobis inevitabilis,  
Fac consortes tuae sortis  
Nos, virgo venerabilis.
20. Dormiens Jacob somnio  
Scalam vidit contingentem  
Coelum, cujus confinio  
Deum vidit imminentem,  
Angelorum descendentem  
Coetum vidit, promissio  
Terrae sanctae per potentem  
Datur et benedictio.
21. O Maria, figuraris  
Scala, sed scalam superas,  
Ab angelo salutaris,  
Deum hominem generas,  
Super virtutes superas  
Per angelos collocaris,  
Genus hominum liberas,  
Ergo longe plus bearis.
22. Mater, tua virginitas  
Rubo montis ostenditur  
Horeb, cujus viriditas  
Per ardorem non uritur,  
Sic nec tua corrumpitur  
Virginalis integritas,  
Dum ventre tuo jungitur  
Humanitati deitas.
23. In vase manna positum,  
Ut servaretur, legitur,  
Israelitis traditum,  
Neque vas manna frangitur;  
In te Christus concipitur  
Virgo per sanctum spiritum  
Neque tuae minuitur  
Virginitatis praemium.
24. Nobis manna mirificum  
Servasti mirabiliter,  
Manna terminans typicum,  
Figuratum veraciter,  
In te misericorditer  
Per illud manna coelicum,  
Quod dabatur communiter  
Israel in viaticum.

25. **Vetustum manna novitas**  
 Tuæ gratiæ terminat,  
 Figurarum antiquitas  
 Fugit et lux illuminat  
 Nova, quos lex discriminat  
 Nova, cessat obscuritas,  
 Purgat, mundat, illuminat  
 Antiqua nova claritas.
26. **Summus artifex omnium**  
 Te providet, vas nobile,  
 Vas dignum, vas egregium,  
 Vas gratum, vas laudabile,  
 Vas cunctis venerabile  
 Famulis, ut edulium  
 Ministres delectabile  
 Panemque coeli civium.
27. **Tu ministras hominibus**  
 Verum panem angelorum,  
 Tuis natum visceribus  
 Pro salute peccatorum,  
 Hic est panis viatorum  
 Solis datus fidelibus  
 Hic est panis filiorum,  
 Qui non est dandus canibus.
28. **Ecce, panis dulcissimus,**  
 Ecce, panis amplectendus,  
 Ecce, panis pinguissimus,  
 Ecce, panis diligendus,  
 Ecce, panis recolendus,  
 Ecce, panis peroptimus,  
 Cibus cunctis praeferendus  
 Et prae cunctis gratissimus.
29. **Cibus iste nos reficit,**  
 Recreat et regenerat  
 Sibique mentem allicit,  
 Dirigit et confoederat,  
 Omne bonum exagerat  
 Et omne malum abjicit,  
 Vincit, regnat et imperat,  
 Auget, alit et perficit.
30. **Vivus panis et vitalis,**  
 Via veritas et vita,  
 Est hic panis immortalis  
 Et bonitas infinita,
- Quo refulget praemunita  
 Nova sponsa spiritalis,  
 Synagoga definita  
 Perit et umbra legalis.
31. **Manna cessat et coelicus**  
 Nobis panis proponitur,  
 Panis verus vivificus  
 Nobis de coelo mittitur,  
 Christianis conceditur  
 Solis panis hic pisticus,  
 Quibus communis traditur  
 Verus panis angelicus.
32. **Beatus tabernaculo**  
 Moyses virgam posuit  
 Aaron, sed pro titulo  
 Sacerdotis quae fronduit,  
 Floruit, fructum habuit  
 Evidenti miraculo,  
 Sacerdotis obtinuit  
 Jus Aaron in populo.
33. **Ecce, valde mirabilis**  
 Res et miranda penitus,  
 Floret siccitas sterilis,  
 Gignit sicca sterilitas,  
 Parturit virgae siccitas,  
 Fructum portat et fertilis  
 Efficitur sterilitas,  
 Non fuit ante similis.
34. **Notat virga florifera,**  
 Quae naturae non opere  
 Efficitur fructifera,  
 Sed puro Dei munere,  
 Quod debebas concipere,  
 Virgo, nova puerpera,  
 Novum fructum et parere,  
 Post partum virgo libera.
35. **Ecce, vere virgo parens**  
 Germinasti campi florem,  
 Dei patris verbo parens  
 Mundi panis salvatorem  
 Puritatisque decorem  
 Non amittis, sorde carens,  
 Caritatis fundis rorem,  
 Quo rigatur mundus arens.

36. De Jacob nam oritura  
Nova stella praedicatur,  
Ex Israel nascitura  
Virga nobis ostenditur,  
Per quam Moab percuitur;  
Te praesignat haec figura,  
De qua virga producitur  
Christus mirante natura.
37. Ista stella clarissima,  
Quam non violat radius,  
Luce nitens purissima,  
Crystallo fulgens clarius,  
Te significat verius,  
Virgo semper castissima,  
Quam non violat filius  
Nascens ex te, purissima.
38. Consurgens virga florida  
Ex Israel, propheticè  
Promissa, virgo nitida,  
Diceris virga mystice,  
Egrederis de radice  
Jesse, potens et valida,  
Florem profers mirifice  
Virgo materque gaudia.
39. Tu es virgo, tu es stella,  
Tu es gratiae fluvius,  
Deitatis munda cella,  
Genitrix, cujus filius  
Flos dicitur et radius  
Caritatis fundens mella,  
Coelo lucens superius,  
Mundum servans a procella.
40. Ave, virgo, fertilior  
Universis arboribus,  
Ave, stella, fulgidior  
Universis sideribus,  
Factis, dictis, operibus  
Universis praestantior  
Creaturis, hominibus  
Custos et quies tutior.
41. Tu Gedeonis rorida  
Concha coelestis diceris,  
Rore manens et florida  
Lana compressa velleris,  
Divini dono muneris  
Tu semper manens madida,  
Solatium das miseris,  
Sed terra manet arida.
42. Verus coelestis luminis  
Tuam concham munditiae  
Ros replevit, dum numinis  
Sacri munere gratiae  
Plena solis justitiae  
Mater Dei et hominis  
Fis, flore pudicitiae  
Vernans matris et virginis.
43. Implevit domum Domini  
Superni regis gloria  
Suo sacrata nomini  
Salomonis industria,  
Dum te superna gratia  
Gabrielis affamini  
Paventem, virgo Maria,  
Replet dicatam numini.
44. Notat hic Dei filium  
Salomon, rex pacifixus,  
Qui fecit thronum regium,  
Ut hic artifex coelicus  
Et nuntius angelicus  
Praeparavit hospitium,  
Nostrae salutis pisticus  
Verna deferens gaudium.
45. Maria, mater gratiae,  
Mater et fons bonitatis,  
Mater misericordiae,  
Fons et fomes pietatis,  
Triclinium deitatis,  
Mater solis justitiae,  
Perpetuae claritatis  
Confers lumen et gratiae.
46. Uxor Nabal cum Davide  
Pacem datis muneribus,  
Nabal reformat solide  
Benignissimis precibus,  
Licet Nabal sermonibus  
Dictis factisque stolidè  
Meruisset doloribus  
Vitam finire turbide.

47. **Larga** Nabal convivia  
 Suo faciens tonsori,  
 Quaerendo temporalia,  
 Gulae vacans et honori,  
 Comparatur peccatori,  
 Dei danti convicia  
 Servis, unde morte mori  
 Debet propter haec vitia.
48. **Iste** desiderabilis  
 Vultu, David gratosus,  
 Rex nulli comparabilis,  
 Manu fortis, bellicosus,  
 Clemens, purus, amarus,  
 Christus est immutabilis,  
 Qui semper est gloriosus  
 In sanctis et mirabilis.
49. **Es** Abigail sapiens,  
 David deferens munera,  
 Nabal et David faciens  
 Precibus tuis foedera,  
 Dum pia lactis ubera  
 Christo dedisti nutriens,  
 Peccatoribus scelera  
 Tuis meritis leniens.
50. **Regina**, virgo regia,  
 De genere David regis,  
 Dei mater et filia,  
 Christiparens Christum regis,  
 Nostra mater, nostrae legis  
 Gaudium et laetitia,  
 Peccatorum fortis Aegis,  
 Decus, honor et gloria.
51. **In** te sola spes figitur  
 Omnis humani generis,  
 Per te solam destruitur  
 Adae peccatum veteris,  
 Vitae portus es miseris,  
 Per te salus acquiritur,  
 Nescit reatum sceleris,  
 Qui te devote sequitur.
52. **Bonum** est ergo subdere  
 Sese tuae servituti,  
 Secundum te se regere  
 Disponendo se virtuti,
- Namque tui servi tui  
 Per te possunt ascendere,  
 Coelum, vitam assecuti  
 Tecum semper et vivere.
53. **Volens** mundum saevitia  
 Principis Assyriorum  
 Subjicere nefaria  
 Manu collecta virorum,  
 Magnam plebem Judaeorum  
 Obsedit in Bethulia,  
 In mortem moestam eorum  
 Mente delirans impia.
54. **Sancta** Judith pro populo  
 Salvando se praeparavit,  
 Nocte surgens de lectulo  
 Vocans abram praeparavit,  
 Holoferni praesentavit  
 Se pro gentis periculo,  
 Necans eum liberavit  
 Cives a mortis jaculo.
55. **Est** civitas Bethulia,  
 Quam obsidet dissensio  
 Daemonisque perfidia  
 Et haeresis deceptio,  
 Conjuncta tuo filio  
 Nostra mater ecclesia,  
 Tuo tuta subsidio,  
 Munita tua gratia.
56. **Tu** es Judith pulcherrima,  
 Quae liberas ecclesiam  
 Holoferni acerrima  
 Vi per divinam gratiam,  
 Haeresisque perfidiam  
 Confutans spe certissima,  
 Fundens super familiam  
 Gaudia beatissima.
57. **Benignus** sapientiae  
 Spiritus et dulcedinis,  
 Consilii, scientiae,  
 Timoris, fortitudinis,  
 Lumen divini numinis,  
 Omnis generis gratiae,  
 Te replevit, ut hominis  
 Causa sis indulgentiae.

58. **Edissa per connubium**  
 Assuero conjungitur,  
 Thalamum subit regium,  
 Coronatur, praeficitur;  
 Suspecta Vasthi tollitur,  
 Esther habet dominium  
 Cunctis, Vasthi deponitur,  
 Amittit regni solium.
59. **Notat Esther cor humile,**  
 Cor contritum humiliter,  
 Cor dulce, cor amabile,  
 Cor diligens veraciter,  
 Cor contemplan sublimiter;  
 Vasthi notat, cor fragile,  
 Exaltans se perniciter,  
 Superbum et indocile.
60. **Et te quid est humilius**  
 Per cuncta mundi climata,  
 Dulcius, amabilius,  
 Destruens cuncta schismata?  
 Te, sacra probant dogmata,  
 Nil esse generosius,  
 Sacra probant aenigmata,  
 Et te nil esse mundius.
61. **Designat Esther igitur**  
 Te, qua nunquam humilior  
 In creaturis legitur  
 Fuisse nec suavior,  
 Pulchrior, amabilior,  
 Dulcior nulla dicitur,  
 Et propter hoc sublimior  
 Esse te nulla noscitur.
62. **In Judaeos invidia**  
 Saevit Aman perversitas,  
 Damnat eos perfidia  
 Crudelisque dolositas,  
 Mardochei benignitas  
 Esther scribit euprepia,  
 Mutetur ut crudelitas  
 Decreti regis impia.
63. **Condolet Esther fratribus**  
 Totius sui generis,  
 His auditis rumoribus  
 Regem adit, qui foederis
- Signum dedit pestiferis  
 Morti datis complexibus,  
 Damnatur Aman sterilis  
 Ejus notis criminibus.
64. **Tu es Esther, perfidiam**  
 Aman reprimens gnaviter,  
 Famulorum miseriam  
 Exterminans benigniter,  
 Regi summo feliciter  
 Desponsata per gratiam,  
 Coronata perenniter,  
 Regni tenens potentiam.
65. **Vere notat inimicum**  
 Aman humani generis,  
 Dirum serpentem lubricum,  
 Jure pulsum de superis,  
 Condemnatum in inferis,  
 Accusatorem iniquum,  
 Quem tu calcas et conteris,  
 Deum reddens pacificum.
66. **Sicut pupillam oculi**  
 Salvos servas servos regis,  
 Tu solamen es saeculi,  
 Refugium tui gregis,  
 Summa sponsa summi regis,  
 Caput conteris zabuli,  
 Tu es verus liber legis  
 Et arcae tabernaculi.
67. **Flos vernalis, flos lilii,**  
 Flos florum, decus virginum  
 Diceris et auxilii  
 Fons plenus, custos hominum,  
 Cujus attraxit Dominum  
 Et angelum consilii  
 Dulcis odor, ut terminum  
 Nobis daret exsilii.
68. **Ramum ferens viventibus**  
 Ore columba proprio  
 Foliis fluctuantibus  
 Generali diluvio,  
 Quos turbarat undatio  
 Noe natis, conjugibus,  
 Refovit eos gaudio  
 Salutis intuitibus.

69. Una serpentem partica  
 Deserto tulit aeneum,  
 Ut si virus, vis toxica  
 Quemquam laeserat Hebraeum,  
 Sanaretur videns eum,  
 Ope Dei mirifica  
 Propellente vipereum  
 Virus virtute deica.
70. Columba tu simplicior  
 Omni, turtur humilium,  
 Salus hominum tutior,  
 Mundo tulisti gaudium  
 Enixa Dei filium,  
 Omni veneno fortior  
 Medicina peccantium,  
 Signo serpentis promptior.
71. Tu es porta, quae clauditur  
 Apertionis nescia,  
 De qua propheta loquitur,  
 Homini nulli pervia,  
 Qua Dei sapientia  
 Ingreditur, egreditur,  
 Semota violentia  
 Per egressum non frangitur.
72. Virginitas est janua,  
 Qua coelo fulgens altius  
 Coeli non linquens ardua  
 Messias, Dei filius,  
 Conceptus est, exterius  
 Carne tectus exigua,  
 Corpus sumens perfectius  
 Ex te, virgo praecipua.
73. Sicut sidus perluitur  
 Infuso solis lumine,  
 Et ex eo lux mittitur  
 Sine sideris fragmine,  
 Sic sine carnis crimine  
 Christus in te concipitur  
 Et te manente virgine  
 Supernaliter oritur.
74. Vidit Johannes mysticum  
 Signum quoddam mirabile,  
 Quod in coelo propheticum  
 Apparuit notabile,  
 Nunquam fuerat simile  
 Prophetis aenigmaticum  
 Signum datum, quid utile  
 Praetendens et mirificum.
75. Erat parens coelestibus  
 Amicta solis lumine,  
 Mulier lunam pedibus  
 Supponens, cujus culmine  
 Capitis pro tegumine  
 Duodecim sideribus  
 Sertum fulgebat lumine,  
 Suis plenis visceribus.
76. Nihil te magis proprie  
 Per istam intelligitur  
 Mulierem, quae serie  
 Prophetae nobis panditur,  
 In te namque concipitur  
 Et oritur justitiae  
 Verus sol, unde sequitur  
 Regnum coelestis curiae.
77. Tuis luna supponitur  
 Pedibus et militia  
 Coeli tota protegitur,  
 Caput duodenaria  
 Patriarcharum gloria,  
 Quae per te benedicitur,  
 Et bis sena victoria  
 Apostolorum textitur.
78. Repletis plenitudine  
 Generis omnis gratiae  
 Totaque multitudine  
 Virtutum et potentiae,  
 Tu decus excellentiae,  
 Tu lux carens fuligine,  
 Culpae tu splendor gloriae,  
 Decorans mundum lumine.
79. In te totum perficitur,  
 Quidquid verbis propheticis  
 De te, virgo, praedicatur  
 Et legis aenigmaticis,  
 Sive quidquid angelicis  
 Tibi verbis exprimitur,  
 Finitis verbis typicis  
 Res manifesta cernitur.

80. Salve, solamen hominum,  
 Salve, munda stella maris,  
 Salve, purgatrix criminum,  
 Salve, virgo singularis,  
 Consortio carens maris  
 Concipis, paris Dominum,  
 Tu lapis es angularis,  
 Quae das figuris terminum.
81. Tu supra coeli solium  
 Ad dextram Dei sedes,  
 Juxta proprium filium  
 Coeli regina praesides,  
 Confirmans mentes desides,  
 Praestans eis auxilium  
 Et tuis servis provides  
 Impetrando subsidium.
82. Ubi namque sanctissima  
 Caro, quam Dei filius  
 Sumpsit ex te, mundissima,  
 Inthronizatur celsius,  
 Creatis gloriosius,  
 Ratio vult certissima  
 Esse te non inferius  
 Vel sede magis infima.
83. Ibi mater cum filio  
 Gaudes coelesti patria  
 Trinitatis consortio  
 Creata super omnia;  
 Tua benigna gratia  
 Felicitatis gaudio  
 Nos coronet et gloria  
 Beatorumque praemio.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571.

#### 95. De M. Maria V.

1. Quot volucrum pennae, quot sunt super aethera stellae,  
 Quot fluvii pisces, volucres quot coeli habet arcus,  
 Quot flores prati et quot sunt gramina campi,  
 Quot glandes quercus, quot gestat semina tellus,
5. Quot frondes silvae, quot stillant igne favillae,  
 Quot mundi fontes, quot continet arida montes,  
 Quot species rerum quot sunt momenta dierum:  
 Tot tibi, sancta dei genitrix, nunc dico salutes,
9. Suppliciter rogitans, filii mihi stringe furorem.

Cod. S. Floriani XI 196. saec. 16. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b. VII 10. anni 1470. B. — 3. sunt fehlt AB. — 5. silvae, scintillas quot habet ignis A. — 7. sunt minuta dierum A. — Nach 7 schaltet B ein: Mille duodenas et quot mare fudit harinas. — 8. Totidem et plures tibi mando virgo salutes B.

#### 96. De B. Maria V.

1. Quot coelum stellas, retinet quot terra lapillos,  
 Quot saltus ramos, folia, quot pontus arenas,  
 Quot pluviae stillas, quot fundunt nubila guttas,  
 Quot fluvii pisces, quot sunt in orbe volucres,
5. Quot flores prati et quot sunt gramina campi:  
 Tot, virgo beata pango tibi laudum salutes,  
 At tu me subleva mitis, quem premunt angores.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. anni 1470. — 1. terrae. — 5. sunt fehlt.

97. De B. Maria V.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Quot sunt horae et quot morae,<br>Quot annorum spatia,<br>Quot sunt laudes et quot fraudes,<br>Quot in coelis gaudia,<br>Quot sunt visus et quot risus,<br>Quot virorum studia;      | 6. Quot sunt stellae et quot velle,<br>Quot in castris milites,<br>Quot sunt rura et quot jura,<br>Quot in orbe divites,<br>Quot sunt fures et quot mures,<br>Quot in agris limites; |
| 2. Quot sunt montes et quot fontes<br>Et quot ignes aetheris,<br>Quot sunt apes et quot dapes<br>Et quot aves aëris,<br>Quot sunt metus et quot fletus,<br>Quot labores miseris;        | 7. Quot sunt patres et quot matres<br>Et quot matrum pueri,<br>Quot sunt rogi et quot logi,<br>Quot metrorum numeri,<br>Quot sunt poenae et catenae,<br>Quot in Orco miseris;        |
| 3. Quot sunt lares et quot pares,<br>Quot per mundum fluvia,<br>Quot sunt boves et quot oves,<br>Quot in pratis gramina,<br>Quot sunt stillae et quot villae,<br>Quot villarum nomina;  | 8. Quot sunt mores, quot colores<br>Et quot rerum species,<br>Quot sunt vites et quot lites,<br>Quot bellorum acies,<br>Quot sunt mortes et quot sortes,<br>Quot malorum rabies:     |
| 4. Quot sunt leges et quot greges<br>Et quot frondes arborum,<br>Quot sunt valles et quot calles<br>Et quot umbrae nemorum,<br>Quot sunt manes et quot canes,<br>Quot momenta temporum; | 9. Tot honores, tot favores<br>Et tot laudum titulos<br>Matri demus et cantemus<br>Dulces illi modulos,<br>Quae ut bona nos patrona<br>Recognoscat famulos.                          |
| 5. Quot sunt formae et quot normae,<br>Quot in terris homines,<br>Quot sunt luctus et quot fluctus,<br>Quot in mari turbines,<br>Quot sunt grues et quot sues<br>Et quot vitae ordines; | 10. Voce rauca dixi pauca,<br>Virgo grata, sumito<br>Meque Deo gratum meo<br>Tua prece facito,<br>Ne in necem vel in faecem<br>Mentis ruam subito.                                   |

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. saec. 15. B. — 9, 3 Mariae demus AB.

98. Ad B. Mariam V.

1. Mater sancta Dei, fuga noctis, origo diei,  
Luminis aetherei stella, memento mei.  
Per te de sede sophia venit ad ima,  
Hinc rursum sursum trahis infima tu, via prima.
2. Tu requies, species, facies et manna saporis,  
Nutrix, adjutrix, tutrix in agone laboris.  
Tu libanus, platanus, clibanus per flamen amoris,  
Balsamus et calamus, thalamus, spiramen odoris.



3. Hortus conclusus, perfusus, messis abundans,  
Fons illibatus, signatus, flumen inundans,  
Fons saliens, indeficiens, stillans bonitate,  
Praesidium, pia virgo, tuum tribui precor a te.
4. Stella decoris, cella pudoris, mater honoris,  
Stella nitoris, gemma valoris, lima doloris,  
Ad venam veniae venio, veniam mihi quaero,  
Te portum, portans portantem sportula, spero.
5. Summe decor, te corde precor demissus in aequor,  
Mente nitor te, virgo, sequor, languentibus aequor,  
Cunctis sis grata, cunctis sata, non tibi nata,  
Gemmis gemmata, tua sunt sata cantica lata.
6. Tu Jaspis grata, cristallus, ebur, therebinthus,  
Chrysolynthi pretium servans, pretiosa jacinthus,  
Cujus ad obsequium Cherubim dant et Seraphim thus,  
Cunctis praelata tu filia regis ab intus.
7. Sancta Dei genitrix, tu lapsorum relevamen,  
Taedia ne pariam, dabo sermoni moderamen,  
Quamvis peccator tibi fecerit hoc modulamen,  
Tu tamen esto sibi tutamen in omnibus horis.

Psalt. ms. saec. 11/12. Cod. Princ. de Arenberg 4. add. saec. 14. A. — Cod. Londinen. Faust. A VI. B. — 2, 3 Tu fehlt B; libanus et platanus B. — 3, 4 tuum mihi quaeso para te B. — 4, 2 Stilla liquoris B. — 5, 4 cantica laeta B. — 7, 4 steht vor 7, 1 B. — A enthält folgende Angabe: „Infra scriptos versus in laudem gloriosissimae virginis Mariae [edidit?] illustris rex Siciliae Rupertus tercius.“ Damit ist Robert von Anjou, zubenannt der Weise oder der Gute, König von Neapel, Jerusalem und Sicilien, gemeint, der den 19. Januar 1343 starb. Da dieser Fürst Dichter war, ist die Angabe wohl vertrauenswürdig.

#### 99. De B. Maria V.

1. Ave, verbum ens in principio,  
Caro factum pudoris gremio,  
Fac, quod fraglet praesens laudatio  
Et placeris parvo praeconio.
2. Et tu, stella maris eximia,  
Mater patris et nati filia,  
Laude, precor, reple praecordia,  
Cum sis laudis mirae materia.
3. Virgo David orta progenie,  
Dola liguam hanc imperitiae  
In sonantis lyram placentiae,  
Ut jam psallat manu munditiae.
4. Prolis David parens eximia,  
Plectrum plices in laude propria,  
Laudis tuae docens magnalia,  
Quibus coeli resultant atria.

5. Salutata coelesti nuntio  
Gravidaris divino radio,  
Sed cum venter gravescit filio  
Laurearis vernanti lilio.
6. Quae conceptu sola non laberis,  
Partu poena nulla deprimeris,  
Vim naturae, virgo, transgrederis,  
Natum gignens vi casti foederis.
7. Ut aurora, virgo, progredieris,  
Solem tenens coelum efficeris,  
Paradisus praedigne diceris,  
Cum hunc vitae fructum protuleris.
8. Solem verum dum sinu retines,  
Dum regiras, moves et sustines,  
Omni coelo tu quia praemines,  
Centrum, sphaeram claudis et contines.
9. Florem foves, adolescentula,  
Quo reflorent venusta saecula,  
Flore fulgens, o virgo, virgula,  
Te tellurem prompsit haec primula.
10. Sertum tibi facis de lilio,  
Quod assumis de sinu proprio,  
Quorum cernens te lucis legio  
Veneratur supplex religio.
11. Eja, virgo, quae sic pro homine  
Deum trahis a coeli cardine,  
Nos sublimes de terrae turbine  
Infulando coelesti lumine.
12. Jesum ad nos cum ipsa traxeris,  
Nos ad ipsum recte conduxeris,  
Velis ergo, quod clemens poteris,  
Et aeternam laudem lucraberis.
13. Ipsum Deum fulgentem superis  
Vinctum, virgo, traxisti miseris,  
Et cum implet, quodcunque jusseris,  
Nonne dea deorum diceris?
14. Grates tibi, quae tuo munere  
Mibi dones ista recolere,  
Et indigno jam dignum dicere,  
Cujus coelum laus transit libere.

100. Ad B. Mariam V.

1. Ave, dulcissima  
Cella deitatis,  
Aula clarissima,  
Domus honestatis,  
Maria, maxima  
Dulcedo turbatis.
2. Tu flos virgineus  
Florens modo miro,  
Tu vini putens,  
Roris cujus gyro  
Est murus aureus  
Vallatus saphyro.
3. Tu nostra lancea  
Inexpugnabilis,  
Turris eburnea  
Hosti terribilis,  
Lampas aetherea  
Valde mirabilis.
4. Gaudeto igitur,  
Princeps dominarum,  
Per quam tribuitur  
Salus animarum,  
Focusque clauditur  
Inferni poenarum.
5. Nullam te majorem  
Esse cognoscimus  
Nec potentiozem  
Post Deum credimus,  
Per quam redemptorem  
Jesum habuimus.
6. O pia dignitas  
Tantae majestatis,  
Duc me per semitas  
Binae caritatis,  
Ut vias inclitas  
Sequar castitatis.
7. Ni me inveneris,  
Virgo virtuosa,  
In via sceleris  
Perdar tenebrosa,  
Plena mortiferis  
Genteque dolosa.
8. Ergo mihi cito  
Nunc propitiare,  
Christo conquisito  
Per crucis altare  
Ac pro compedito  
Jesum deprecare.
9. Ave, juvenula,  
Disciplina morum,  
Quam sine macula  
Scio delictorum,  
Disrumpe vincula  
Malorum meorum.
10. Ave, vas electum,  
Mundum interius,  
Gemmis sacris tectum,  
Pulchrum exterius,  
In quo fecit lectum  
Creantis filius.
11. O nostri foederis  
Perauctrix puella,  
Mentalis vulneris  
Auctorem debella,  
Ut me in miseris  
Non tangant flagella.
12. Licet te laudare  
Digne nusquam queam,  
Tamen refutare  
Noli laudem meam,  
Sed gratificare  
Tibi velis eam.
13. O venerabilis  
Et prudentissima,  
Sic mei fragilis  
Expurges intima,  
Quod lacus flebilis  
Non intrer infima.

101. Ad B. Mariam V.

1. Ad te matrem reclinamur,  
Ut sub umbra protegatur  
Tuae sanctimoniae,  
In qua dolens non languescit,  
Sed, si dolet, convalescit  
Dono tuae gratiae.
2. Audi, audi, virga Jesse,  
Nos gementes et fac esse  
Semper tibi nos devotos;  
Commendamus tibi notos  
Et commissos ad regendum,  
Totum clerum ad tuendum.
3. Me submersum in peccatis  
Fac, ut plangam pro patris  
Scala poenitentiae,  
Manum praebe poenitenti,  
Condescende mihi fienti,  
Vas unguenti gratiae.
4. Pro me, virgo dulcis, ora,  
Mala pelle, mihi dona  
Lacrimarum flumina,  
Quibus munder a peccato,  
Sic me redde tuo nato,  
Patriarchae filia.
5. Casta, munda, clemens, pia,  
Porta coeli, vitae via,  
Paradisi viola,  
Tu fons rigans paradisum,  
Parens trinum indivisum  
Sub carnis materia.
6. Quas reddamus tibi laudes,  
Quae de nostra spe congaudes,  
O silvarum virgula?  
Super astra conscendisti,  
Te prae cunctis sublimasti  
Tuis participibus.
7. Sic in coelo dominaris  
Et cum nato gloriaris,  
Cui laus est infinita  
Per aeterna saecula.

Clm. Monacen. 24804. saec. 15. — 5, 4 Zwischen diesem und dem folgenden Verse eingeschoben: Caeco cordi redde visum. — 7, 4 aeterna saeculorum saecula.

102. Ad B. Mariam V.

1. Regina coeli, laetare,  
Quia virgo es et mater,  
Istud donum singulare  
Dedit tibi Deus pater.
2. Ob tuam humilitatem  
Deus tibi magna fecit,  
Qui per suam caritatem  
Salutem nostram perfecit.
3. Omnia per te refecit  
In magna sapientia  
Hostesque mortis ejecit  
Cum ipsorum familia.
4. Totus mundus mancipatus  
Erat morti culpae gravis,  
Sed est per te liberatus,  
O Maria, vitae clavis.
5. Et vacuae coeli sedes  
Hominibus jam replentur,  
Per te, virgo, cujus pedes  
Adorari promerentur.
6. Per te cuncta renovata  
Sunt in terris et in caelis,  
Remedia dantur grata  
Percussis hostium telis.
7. Per te, certa spes veniae,  
Mox parcitur poenitenti  
Et palma multae gloriae  
Datur mundum devincenti.
8. Numquid ergo non juvabis  
Tibi sese commendantem?  
Immo, si vis, liberabis  
Quotidie me peccantem.

9. Qui perpetuo quotidie  
Mala nequam innumera,  
Absolvas me, fons gratiae,  
Tua prece vitifera.
10. Et in laude sancta Dei  
Sic hodie proficiam,  
Quod oculi fine mei  
Videant ejus gloriam.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. (Arsen.) 419. A. — Orat.  
ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Meten. 571. B. —

103. Ad B. Mariam V.

1. Ave, arca deitatis,  
Aula summae majestatis,  
Fons totius bonitatis.
2. Ave, balsamo suavior,  
Angelis laude dignior  
Et cunctis sanctis sanctior.
3. Ave, convallis lilium,  
Nobis post hoc exilium  
Ostende tuum filium.
4. Ave, dulcis mellis unda,  
De faece mea profunda,  
O fecunda, me secunda.
5. Ave, Evae liberatrix,  
Creaturae recreatrix,  
Cordium illuminatrix.
6. Ave, fulgens solis cella,  
Coeli splendor, maris stella.  
Mater simul et puella.
7. Ave, gemma speciosa,  
Gelu non attrita rosa,  
Virga Jesse fructuosa.
8. Ave, hamus caritatis,  
Plenitudo pietatis,  
Tu me mundes a peccatis.
9. Ave, inventrix gratiae,  
O genitrix laetitiae,  
Tu speculum munditiae.
10. Ave, caritate plena,  
Fons signatus, vitae vena,  
O quam dulcis, quam serena.
11. Ave, lumen angelorum  
Expurgatrix vitiorum,  
Miseratrix miserorum.
12. Ave, mater Jesu Christi,  
Verbum verbo concepisti,  
Serve me a morte tristi.
13. Ave, nubes pluviosa,  
Coeli porta, lux jocosa,  
Imperatrix gloriosa.
14. Ave, hortus voluptatis,  
Plenitudo pietatis,  
Tu me mundes a peccatis.
15. Ave, parens absque pari,  
Me in mortis torculari  
Non permittas condemnari.
16. Ave, quae es vitae via,  
Dulcis, clemens, casta, pia,  
Spes reorum, o Maria.
17. Ave, nubes visionis,  
Vellus madens Gedeonis,  
Sponsa prudens Salomonis.
18. Ave, stella luminosa,  
Caritate radiosa,  
Florens vitis generosa.
19. Ave, virginum regina,  
Rosa sine culpa spina  
Et dolorum medicina.
20. Ave, Christo praenotata,  
Virgo mater illibata,  
Super coelos exaltata.
21. Ave, Jesse flos pudoris,  
Pia proles, vas honoris,  
Fons dulcoris, stilla roris.
22. Ave, zima veri David,  
Auster lenis te perflavit  
Et perflando fecundavit.

Brev. ms. Graecense 1464 saec. 14.

Dreves, Pia Dielamina.

104. Oratio de V. M. matre Jesu.

1. Ave, arca deitatis,  
Templum summae majestatis,  
Et lucerna claritatis,  
Fons totius bonitatis.
2. Ave, balsamo suavior  
Et sole multo clarior,  
Angelorum laude dignior,  
Tu cunctis sanctis sanctior.
3. Ave, cedrus puritatis,  
Lumen viae veritatis  
Et sigillum castitatis,  
Civitas divinitatis.
4. Ave, dulcis mellis unda,  
Tua prece me emunda  
De facie mea profunda,  
Ne me laedat mors secunda.
5. Ave, Evae liberatrix,  
Peccatorum consolatrix,  
Cordium illuminatrix,  
Mortuorum suscitatrix.
6. Ave, fulgens solis cella,  
Coeli porta, maris stella,  
Mater simul et puella,  
Pro me natum interpella.
7. Ave, gaudium sanctorum,  
Imperatrix angelorum,  
Refugium peccatorum,  
Advocata saeculorum.
8. Ave, hamus pietatis,  
Oliva benignitatis,  
Florens myrtus castitatis,  
Palma immortalitatis.
9. Ave, inventrix gratiae,  
Signaculum clementiae,  
Spectaculum laetitiae,  
Sacramentum justitiae.
10. Ave, caritatis vena,  
Flagrans aurora serena,  
Tota pulchra et amoena,  
Tu lumine Dei plena.
11. Ave, lux jucunditatis,  
Virgo magnae dignitatis,  
Infinitae sanctitatis,  
Civitas divinitatis.
12. Ave, mater Jesu Christi,  
Verbum verbo concepisti,  
Deum verum genuisti  
Serve nos a morte tristi.
13. Ave, nubes pluviosa,  
Munda, pura, luminosa,  
Theotocos gloriosa,  
Tu perfecta gratiosa.
14. Ave, omni laude digna,  
Clemens, mitis et benigna,  
Tu pelle cuncta maligna  
Et me Deo reconsigna.
15. Ave, parens absque pari,  
Me mortis in torculari  
Ne permittas me damnari,  
Per te spero me salvari.
16. Ave, quae es vitae via,  
Praeelecta proles pia,  
De qua dixit prophetia,  
Spes reorum, o Maria.
17. Ave, stella matutina,  
Ave, rosa sine spina,  
Adoptata medicina,  
Tu nos serves a ruina.
18. Ave, aula trinitatis,  
Decus summae bonitatis,  
Tu compages unitatis,  
Paradisus voluptatis.
19. Ave, vera spes veniae,  
Mater misericordiae,  
Honor coelestis curiae,  
Domna regina gloriae.
20. Ave, Christo praeelecta,  
Ab angelo salutata,  
Virgo mater benedicta  
Super coelos exaltata.

- |  |  |
|--|--|
| 21. Ave, Jesse flos decoris,<br>Mundissima stilla roris,<br>Nobile tu vas honoris,<br>Tu totius fons amoris. | 22. Ave, arvum veri David,<br>Auster lenis te perflavit<br>Et perflando fecundavit,<br>Ex te natus te creavit. |
|--|--|

Cod. Lambacen. 476. saec. 15. — Nach 1, 4 folgt noch: Nobile triclimum. — 8, 1 homo pietatis. — 8, 3 virtus salvatis. — 9, 1 gratiae fehlt. — 15, 2 in fehlt. — 16, 2 prolis. — 17, 2 Ave ergänzt. — 18, 3 Tu ergänzt. — 20, 3 virgo mater fehlt. — 21, 2 stella. — 21, 3 tu fehlt. — 21, 4 Tu sanctus fons.

105. Ad B. Mariam V.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Gloriosa mater Dei,<br>Spes salutis, porta spei,<br>Medicina cordis rei,<br>Miserere, precor mei.                      | 8. Ergo, mater pietatis,<br>Templum facta pietatis,<br>Ne desperem sub peccatis,<br>Motum seda tempestatis.                     |
| 2. Vita turpis, sorde plenus,<br>Culpa gerens omne genus,<br>Peccatorum triste foenus,<br>Porro pauper et egenus.         | 9. Tempestatis seda motum<br>Et coelesti rore lotum<br>Fac me rursus Deo notum,<br>Novans in me cor devotum.                    |
| 3. Fundamenta mortis jeci,<br>Vix respiro, jam defeci,<br>Sed abyssus cordis caeci<br>Non resistit tuae precii.           | 10. Spiritualis medicina,<br>Solve linguam, cor inclina,<br>Ut resurgens a ruina<br>Mens levetur ad divina.                     |
| 4. Prece potes reparare,<br>Quod horrescit mens amare,<br>Nec reatus potest stare,<br>Pro quo velis supplicare.           | 11. Solvat laudem lingua cultus,<br>Cor se fundat in singultus,<br>Nec hostiles ad assultus<br>Frangat ope tua fultus.          |
| 5. Horret quidem status mentis,<br>Dignam videns se tormentis,<br>Nostri vultum praesidentis<br>Fletu placet et lamentis. | 12. Sed in ore peccatoris<br>Habet parum laus favoris,<br>Nisi tergat vis amoris<br>Mentis culpas, sordes oris.                 |
| 6. Sed reatus linguam ligat,<br>Stuporatus cor fatigat,<br>Rationis lux caligat,<br>Nec ros bonus mentem rigat.           | 13. Non hoc ego dignus bono,<br>Spem profectus in te pono,<br>Tuo Christus fiat dono<br>Nostrae laudis laetus sono.             |
| 7. In profundum maris veni,<br>Mergor aestu sub effreni,<br>Ni respectus me sereni<br>Consolatur aura leni.               | 14. Sic deteresa labe fraudis<br>Hymnum dicam sacrae laudis,<br>Audit Christus, quos exaudis,<br>Aures claudit, quibus claudis. |
| 15. Ergo, mater, roga natum,<br>Ne nos damnet ob reatum,<br>Sed post opus consummatum<br>Finem ducat ad beatum.           |   |

Cod. Parisien. 3639. saec. 16/16. Mit der Randbemerkung: „Philippi Abbatis.“

106. Ad B. Mariam V.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Christi mater generosa,<br/>Sponsa regis speciosa,<br/>Quae es virgo gloriosa<br/>Et de partu gaudiosa.</p> <p>2. Angelorum imperatrix,<br/>Super coelos dominatrix,<br/>Quae es vitae reparatrix<br/>Et a morte liberatrix.</p> <p>3. Tu relucens margarita<br/>In corona regis sita,<br/>Pietate es polita,<br/>Caritate insignita.</p> <p>4. Sanctitatis disciplina,<br/>Facta mundi medicina,<br/>Servos levans a ruina<br/>Fraude lapsos serpentina.</p> <p>5. Probitate singularis,<br/>Vita mundi, stella maris,<br/>Delicata puellaris,<br/>Aqua viva salutaris.</p> <p>6. Fons signatus illibatus,<br/>Hortus clausus et vallatus,<br/>Fructu sacro cumulatus.<br/>Et pigmentis fecundatus.</p> <p>7. Tu es salus infirmorum,<br/>Auxilium peccatorum,<br/>Fons signatus, fons hortorum,<br/>Terge sordes delictorum.</p> <p>8. Ego miser et peccator,<br/>Legis sanctae violator,<br/>Veritatis depravator,<br/>Falsitatis praedicator.</p> | <p>9. Vitam meam inquinavi,<br/>Feci malum et tractavi,<br/>Crimen omne adamavi,<br/>Me in illis reclinavi.</p> <p>10. Factus sum ut sus lntosa,<br/>Quae perquirat paludosa,<br/>Vita turpis, maculosa,<br/>Loca quaerit tenebrosa.</p> <p>11. Vitam spernens electorum<br/>In sepulchro peccatorum,<br/>In cloaca vitiorum<br/>Collocavi mihi thorum.</p> <p>12. Tali ego vivens vita,<br/>Quaerens semper illicita<br/>Sum effectus Moabita,<br/>Pejor omni sodomita.</p> <p>13. Sed tu, domina regina,<br/>Mitis, simplex, columbina,<br/>Pia, dulcis et benigna,<br/>Summi regis mater digna.</p> <p>14. Fac per guttam pietatis,<br/>Flamma cedat pravitatis,<br/>Ut de vena sanctitatis<br/>Fons erumpat castitatis.</p> <p>15. Per amoris tui rorem<br/>Aufer a me hunc ardorem,<br/>Ne habeam damnatorem,<br/>Quem habui redemptorem.</p> <p>16. Regem illum, tuum natum,<br/>Fac et mihi tu placatum<br/>Et in sede potestatum<br/>Praesta mihi praesulatum.</p> |
|---|--|

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636 saec. 15. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20 001. B. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. C. — Cod. Parisien. 3639 saec. 15/16. D. — 1, 1 Ave mater generosa D. — 3, 3 expolita D. — 4, 3 lavans A. — 5, 1 Probitatis D. — 7, 1 sqq. lauten in D:

Ave salus infirmorum,  
Tu solamen miserorum,  
Tu levamen prolapsorum,  
Tu juvamen peccatorum.

8, 4 propagator D. — 9, 2 Feci mala et peccavi D. — 9, 3 Omne crimen contractavi D. — 9, 4 Nec ab illo mihi cavi D. — 10, 1 Effectus sum sus D. — 10, 2 latebrosa D. — 10, 3 turpis et caenosa D. — 11, 2 In profundo C. — 11, 4 Stabilivi mihi D. — 12, 2 fehlt D. — 12, 3 Effectus sum D. — 12, 4 Omni pejor D; nach 12, 4: Mea passim foetet vita D. — 13, 1 tu virgo



tu regina D. — 14, 2 cadat D. — 15, 2 hunc dolorem AB. — 16, 1 Regem nostrum D. — 16, 2 Tu fac mihi complacatum D. — 16, 3 sq. lauten in D:

Ante ejus tribunalum

Iter mihi praesta gratum.

Da das Gedicht in D unmittelbar auf das Lied *Gloriosa mater Dei* folgt, mit dem es gleiche Form aufweist, dürfte sich die Bemerkung zu jenem „Philippus abbas“ auch auf dieses beziehen.

### 107. Ad B. Mariam V.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. Ave, flos virginitatis,<br/>Dulcis mater pietatis,<br/>Miserorum auxilium,<br/>Virgo radix castitatis,<br/>Origo prosperitatis,<br/>Virtutis nostrae gaudium.</p>        | <p>7. Puerpera deitatis,<br/>Legifera veritatis,<br/>Forma virtutum omnium;<br/>Portus nautis fatigatis,<br/>Pelagus tranquillitatis,<br/>Tollens mundi naufragium.</p>       |
| <p>2. Transitus immunitatis,<br/>Pacis et felicitatis<br/>Nobile domicilium,<br/>Mons excelsae quantitatis,<br/>Turris magnae firmitatis,<br/>Sublimitas humilium.</p>         | <p>8. Paradisus voluptatis,<br/>Balsamus suavitatis,<br/>Vera dulcedo dulcium;<br/>O columba lenitatis,<br/>Lucerna aeternitatis,<br/>Nostri boni principium.</p>             |
| <p>3. Ante thronum trinitatis<br/>Advocata praesto gratis<br/>Pro pace te poscentium,<br/>O arca divinitatis,<br/>Cuncti bonae voluntatis<br/>Per te gustant fructum pium.</p> | <p>9. Vas inclitae puritatis,<br/>Pincerna sobrietatis,<br/>Consolatrix fidelium;<br/>Medicina sospitatis,<br/>Cunctis praebens sauciatis<br/>Sanitatis remedium.</p>         |
| <p>4. Fons horti jucunditatis,<br/>Fluvius amoenitatis,<br/>O ardoris solatium;<br/>Rosa speciositatis,<br/>Lilium nobilitatis,<br/>Conculcans omne noxium.</p>                | <p>10. Imperatrix majestatis,<br/>Totius humilitatis<br/>Laudabile praesidium;<br/>O janua largitatis,<br/>Quae sacro fonte renatis<br/>Coeli reseras ostium.</p>             |
| <p>5. Civitas securitatis,<br/>Templum sanctae trinitatis,<br/>Peccatorum refugium;<br/>Hoc tempore siccitatis<br/>Copia fertilitatis,<br/>Egenorum subsidium.</p>             | <p>11. Scala tantae summitatis,<br/>Quod ascensum dat purgatis<br/>Ad tui nati solium,<br/>Columna stabilitatis<br/>Gestans typum honestatis<br/>In tuum sanctum gremium.</p> |
| <p>6. O mensa sinceritatis,<br/>Esca vera invitatis,<br/>Dans aeternum convivium;<br/>Via verae aequitatis,<br/>Vita justae probitatis,<br/>Nutrix bonarum mentium.</p>        | <p>12. Sidus nostrae novitatis,<br/>Stella lucis vitae datis,<br/>Salus in te sperantium;<br/>Amica fidelitatis,<br/>Conservatrix unitatis<br/>Secretorum coelestium.</p>     |

13. O sponsa formositatis,  
Strenuae sagacitatis,  
Apparatu monilium,  
Lux tuae benignitatis  
Ad nostrae haereditatis  
Nos transfert desiderium.
14. Dominium libertatis,  
Servitute liberatis,  
Manumissis suffragium,  
Splendor nostrae caecitatis,  
Decor summae venustatis,  
Lumen, cunctorum gentium.
15. Cibo vetito cibatis  
Propter pestem vanitatis  
Reparas quodque vitium,  
Dans radios claritatis  
Divina luce privatis  
Per tuum ministerium.
16. Claudis portam egestatis,  
Reddis messem ubertatis  
Per tuum patrocinium,  
Succursus velocitatis,  
Aurora serenitatis,  
Cui dulce est proprium.
17. Per viscera caritatis  
Et merita sanctitatis  
Te deprecor per filium,  
Ut qui premor pro peccatis  
Non corruam cum damnatis  
In gehennae supplicium,  
Sed da frui cum beatis  
Gaudio perennitatis  
Post praesens exsilium.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571. — 4, 3 Omnis  
ardoris. — 5, 4 Nos tempore. — 13, 6 transfer.

108. Ad B. Mariam V.

1. Ave, fons clementiae,  
Virgo fecundata,  
Summae sapientiae  
Nutu fabricata,  
Radix pudicitiae  
Nunquam inquinata,  
Gaude, plena gratiae  
Regina beata.
2. Ave, spes fidelium,  
Fons humilitatis,  
Salutis exordium,  
Norma sanctitatis,  
Domini sacrarium,  
Templum deitatis,  
Dulce refrigerium,  
Flos virginitatis.
3. Ave, mel dulcedinis,  
Morum disciplina,  
Nitor pulchritudinis,  
Rosa sine spina,
- Lux beatitudinis,  
Stella matutina,  
Turris fortitudinis,  
Vitae medicina.
4. Salve, felix femina,  
Fulgens stella maris,  
Angelorum domina,  
Virgo singularis,  
Mundi mundans crimina,  
Portus salutaris,  
Cor meum illumina,  
Lux clara solaris.
5. Salve, vas munditiae,  
Continens unguentum,  
Veteris malitiae  
Comprimens fermentum,  
Origo laetitiae,  
Vitae fundamentum,  
Tuae nobis gratiae  
Confer incrementum.

6. Salve, pacis vinculum,  
Virgo generosa,  
Caritatis speculum,  
Ut sol luminosa,  
Christi tabernaculum,  
Mater gloriosa,  
Tuum serva servulum,  
Gemma pretiosa.
7. Gaude, laus et gaudium,  
Lux jucunditatis,  
Domini triclinium,  
Thronus majestatis,  
Rosa, flos et lilium,  
Domus ubertatis,  
Placa nobis filium,  
Mater pietatis.
8. Gaude, virgo nobilis,  
Mater salvatoris,  
Laus nostra laudabilis,  
Speculum decoris,  
Flos incomparabilis,  
Thalamus pudoris,  
Pia, mitis, humilis,  
Salus peccatoris.
9. Gaude, virgo virginum,  
Per quam lux est orta,  
Verus splendor ordinum,  
Felix coeli porta,  
Consolatrix hominum,  
Quaeso, me conforta,  
Sursum ante Dominum  
Precem meam porta.
10. O nova puerpera,  
Gratiae lucerna,  
Juvare me propera,  
Domina superna,  
A culpis me libera,  
Veniae pincerna,  
Me Christo confoedera,  
Me semper governa.
11. O virtutum regula,  
Genitrix benigna,  
Florens Jesse virgula,  
Jugi laude digna,  
Solve culpaev vincula,  
Me tibi consigna,  
Cuncta prece sedula  
Comprime maligna.
12. O coeleste gaudium,  
Puella decora,  
Mortis exterminium,  
Coelitus irrorata,  
Tuum pro me filium  
Clementer exora  
Et culparum omnium  
Veniam implora.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571.

109. Ad B. Mariam V.

1. Ave, lumen gratiae,  
Virgo fecundata,  
Summae sapientiae  
Nutu fabricata,  
Radix sapientiae  
Nunquam inquinata,  
Fons misericordiae,  
Regina beata.
2. Ave, novum gaudium,  
Forma sanctitatis,  
Salutis exordium,  
Decus castitatis,  
Coeleste sacrarium,  
Templum deitatis,  
Amorisque gaudium,  
Hortus voluptatis.

- |  |   |
|--|---|
| <p>3. Ave, vitae pabulum,<br/>Virg<sup>a</sup> gratiosa,<br/>Pudoris signaculum,<br/>Pulchrior quam rosa,<br/>Quae salvasti populum,<br/>Mater gloriosa,<br/>Pariendo parvulum,<br/>Porta speciosa.</p> <p>4. Ave, beatissima<br/>Salus peccatorum,<br/>Magna, major, maxima,<br/>Praelata coelorum,<br/>Consolatrix optima,<br/>Patrona reorum,<br/>Virgo beatissima,<br/>Vera lux sanctorum.</p> <p>5. Ave, fons dulcedinis,<br/>Gratiae piscina,<br/>Nitor pulchritudinis,<br/>Rosa sine spina,<br/>Via rectitudinis,<br/>Claritas divina,<br/>Turris fortitudinis,<br/>Culpa<sup>e</sup> medicina.</p> | <p>6. Ave, stella fulgida,<br/>Speculum decoris,<br/>Virga Jesse florida,<br/>Vinculum amoris,<br/>Gemma coeli nitida,<br/>Medela languoris,<br/>Labe carens sordida,<br/>Mater salvatoris.</p> <p>7. O felix puerpera,<br/>Gratiae lucerna,<br/>Surge, veni, propera,<br/>Domina superna,<br/>Mea terge vulnera,<br/>Gratiae pincerna,<br/>Me Christo confoedera,<br/>Me semper gubernata.</p> <p>8. O regina virginum,<br/>Per quam lux est orta,<br/>Reparatrix hominum,<br/>Felix coeli porta,<br/>Virtus, splendor luminum,<br/>Quaeso me conforta.<br/>Surge, ante Dominum<br/>Precem meam porta.</p> |
|--|---|

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571. — Offenbar nur eine Bearbeitung des vorigen. — 3, 8 Portus salutaris aus 108, 4, 6.

#### 110. Ad B. Mariam V.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Ad supernae gremium<br/>Matris gratiarum<br/>Sonet vox fidelium<br/>Per orbem terrarum<br/>Coeleste praeconium.</p> <p>2. Verbi patris atrium,<br/>Vas provisum carum,<br/>Pneumatis palatium,<br/>Trium personarum<br/>Simplex hoc triclinium.</p> <p>3. Rosarum rosarium<br/>Aromaticarum,<br/>Flos est haec convallium,<br/>Fons deliciarum,<br/>Coelibatus lilium.</p> | <p>4. Coelestis viventium<br/>Puteus aquarum,<br/>Orphanorum bravium,<br/>Tutrix viduarum,<br/>Pauperis refugium.</p> <p>5. Haec mundi dominium,<br/>Princeps reginarum,<br/>Coeli privilegium,<br/>Quies animarum,<br/>Finis poenitentium.</p> <p>6. Abrahae sacrarium,<br/>Lux ecclesiarum,<br/>Vatum vaticinium,<br/>Lex patriarcharum,<br/>Foederis connubium.</p> |
|--|--|

- |  |  |
|--|--|
| <p>7. Jacob sidus praeivium,<br/>Virga fecundata,<br/>Jesse numen regium,<br/>Stirpe David nata,<br/>Virtutum collegium.</p> <p>8. Haec per Dei nuntium<br/>Christo desponsata,<br/>Virgo vitae praemium,<br/>Verbo gravidata<br/>Parturivit gaudium.</p> <p>9. Haec post puerperium<br/>Mansit illibata,<br/>Post offerens filium<br/>Templo, nunc praelata<br/>Juxta Christi brachium.</p> | <p>10. In coeleste solium<br/>Regnans exaltata,<br/>Muris innocentium<br/>Stans circumvallata<br/>Ordine coelestium.</p> <p>11. Coeli, terrae, marium<br/>Victoria lata<br/>Tibi, dux errantium,<br/>Quae tollis peccata<br/>Prece supplicantium.</p> <p>12. Ad Christi convivium,<br/>Dulcis advocata,<br/>Duc nos commensalium<br/>Ad regna beata<br/>Supernorum civium.</p> |
|--|--|
- Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571.

### III. Ad B. Mariam V.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. O polorum dominatrix,<br/>Super sanctos imperatrix,<br/>Sis meritis hic adjutrix<br/>Et in coelis interventrix.</p> <p>2. Tu es Christi Jesu mater,<br/>Ipse quidem tuus pater,<br/>Natum roga, pia mater,<br/>Nobis fiat clemens pater.</p> <p>3. O Maria, maris stella,<br/>Pietatis digna sella,<br/>Pro me Christum interpella,<br/>A me pellat mundi bella.</p> <p>4. Paradisi tu es porta,<br/>Per te salus est exorta,<br/>Calamitas est oppressa,<br/>Quae per Evam est ingressa.</p> <p>5. O liliū convallium,<br/>Vide meum suspirium,<br/>Inter spinas, virgo, flores,<br/>Quam qui sentit, mutat mores.</p> <p>6. Tu virginum principalis,<br/>Tu meriti singularis,<br/>O Maria, radix Jesse,<br/>Nobis vales sic prodesse.</p> | <p>7. Quem non capit orbis aula,<br/>Haec pro nobis dones naua,<br/>Tu moestorum solatium,<br/>Coeli tenens dominium.</p> <p>8. Per te sumus nos redempti,<br/>Coeli sede reportati,<br/>Unde grates tibi damus,<br/>Hymnizantes exoramus.</p> <p>9. Ave, virgo florens rosa,<br/>Cunctis pares speciosa,<br/>Salve, virgo praelecta,<br/>Quae ab ipso es repleta.</p> <p>10. Christi mater nos solare,<br/>Et quos venit liberare,<br/>Quod non valent impetrare,<br/>Quam dignum est te laudare.</p> <p>11. Christiani, hanc laudate<br/>Et reginae decantate,<br/>Vos, qui laudes sibi datis,<br/>Sic meritis hic vivatis.</p> <p>12. Audi preces humilium,<br/>Pium praebe praesidium,<br/>Miros praestas et odores,<br/>Malos perdis et foetores.</p> |
|--|--|

112. Ad B. Mariam V.

1. O cunctis excelsior  
angelorum choris,  
Flos humani generis,  
lilium pudoris,  
Rosa patientiae,  
mater salvatoris,  
Audi quaeso, domina,  
vocem peccatoris.
2. Deus te prae omnibus  
collocavit secum,  
Cum primatum teneas,  
pium est et aequum,  
Ut tu pia facias  
pietatem mecum,  
Tu es plena gratia,  
Dominus es tecum.
3. Ipse te constituit  
thronum regni sui,  
Nec in mulieribus  
est inventa, cui  
Detur privilegio  
tam excelso frui,  
Quia benedictus est  
fructus ventris tui.
4. Instar enim velleris,  
quod concepit rorem,  
Aridaeque virgulae,  
quae produxit florem,  
Praeter rerum seriem  
et naturae morem  
Virgo Deum procreas,  
orbis conditorem.
5. In te pneuma fabricans  
ollam nostrae spei,  
Naturas confoederat  
hominis et Dei,  
Manetque diversitas,  
utriusque rei  
Tamen personaliter  
haec unitur ei.
6. Servulos tu protegis,  
hostes du fatigas,  
Tu serpentem conteris  
et draconem ligas,  
Pharaonis obruis  
equos et quadrigas,  
Geminae substantiae  
natus ex te gigas.
7. Sancta virgo virginum,  
sancta mater Christi,  
Per quam lumen luminum  
mundo fulsit tristi,  
Per te fons laetitiae,  
quem tu protulisti,  
Verum fundat gaudium  
mihi vere tristi.
8. Me contristat miserum  
gravis poenitudo,  
Quae medullas animae  
sugit ut hirudo,  
Ago poenitentiam,  
sed affectu crudo,  
Et me ludi poenitet,  
tamen adhuc ludo.
9. Me ut jam salubrius  
poenitere sciam,  
Et ut via pateat  
per te vitae viam,  
Reo mihi filio  
sis in matrem piam,  
In domum refugii,  
per quam salvus fiam.
10. Non per sacrificium  
bovis aut vervecis,  
Sed per efficaciam  
tuae sanctae precis  
Tormentis eripiar  
sempiternae necis,  
De lacu miseriae  
et de luto faecis.

Cod. Cantabrigen. Hh VI 11. add. saec. 13/14. A. — Orat. ms. Cisterciens. saec. 15. Cod. Darmstadien. 1228. B. — 2, 1 prae omnibus te B. — 2, 5 Ut tu prima facias A. — 2, 7 Quia tu es gratia B. — 2, 8 Plena et Deus tecum B. — 3, 2 sui regni B. — 4, 8 opus conditorem A. — 5, 3 Naturam B. — 7, 3 splendor luminum B. — 7, 4 Mundo fehlt B; fulsit fehlt A. — 8, 6 affectum B. — 8, 8 et tamen A; dum adhuc ludo B. — 9, 1 Sed ut jam B. — 9, 3 vita pateat B. — 9, 7 Et in domum B. — 10, 5 De tormentis eruar B.

113. De B. Mariam V.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Ave, venerabilis<br>Mater pietatis,<br>Maria mirabilis,<br>Forma sanctitatis,<br>Flos incomparabilis,<br>Hortus puritatis,<br>Splendor ineffabilis,<br>Templum deitatis.         | 4. Ave, vitae pabulum,<br>Fons dilectionis,<br>Pudoris signaculum,<br>Vas electionis,<br>Gloriae spectaculum,<br>Rubus visionis,<br>Foederis oraculum,<br>Thronus Salomonis.  |
| 2. Ave, decus virginum,<br>Speculum decoris,<br>Consolatrix hominum,<br>Vinculum amoris,<br>Purgatrix peccaminum,<br>Medela languoris,<br>Verum lumen omnium,<br>Mater redemptoris. | 5. Ave, inter agmina<br>Dei sublimaris,<br>Angelorum domina,<br>Virgo singularis,<br>Cor meum illumina,<br>Fulgens stella maris,<br>Et ab hostis machina<br>Semper tuearis.   |
| 3. Ave, vas clementiae,<br>Gratiae piscina,<br>Verae indulgentiae<br>Portus, medicina,<br>Radix innocentiae,<br>Stella matutina,<br>Sedes sapientiae,<br>Coelica regina.            | 6. O felix puerpera,<br>Gratiae lucerna,<br>Virgo salutifera,<br>Veniae pincerna,<br>Me juvare propera,<br>Genitrix superna,<br>Me Christo confoedera<br>Me quoque gubernata. |
| 7. O cunctis remedium<br>Puella decora,<br>Dulce refrigerium.<br>Coelestis aurora,<br>Tuum sanctum filium<br>Pro me nunc exora,<br>Peccatorum omnium<br>Veniam implora.             |   |

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Ar. 203. — Verwandt mit 108 und 109.

114. Ad B. Mariam V.

1. Ave, Christi mater digna,  
Pia mitis ac benigna.
2. Ave, Christi sponsa cara,  
In virtutum vite clara.
3. Ave, Christi parens alma,  
In supernis patens palma.
4. Ave, Christi mater dicta,  
Super omnes benedicta.

5. Ave, Christi splendens stella,  
Mundo fulgens, nix novella.
6. Ave, Christi clara cella,  
Pro me Christum interpella.

Cod. Parisien. 3639. saec. 16/16.

### 115. Ad B. Mariam V.

1. O Maria piissima,  
Stella maris clarissima,  
Mater misericordiae  
Et aula pudicitiae.
2. Ora pro me ad Dominum  
Et Jesum tuum filium,  
Ut me a malis eruat,  
Bonis gaudere faciat,
3. A vitiis evacuet,  
Virtutibus corroboret  
Tranquillitatem tribuat  
Et in pace custodiat.
4. Cum venerit vitae finis,  
Veni, te praebe oculis,  
Ut tunc terrorem Satanae  
Per te queam evadere.
5. Conductricem te habeam  
Redeundi ad patriam,  
Ne callidus diabolus  
Viam pertubet invidus,
6. Subjiciendo plurima  
Et falsa quoque crimina,  
Donec reddar praeposito  
Michaeli archangelo.
7. Cujus constat officio,  
A maligno diabolo  
Dignos quosque eripere  
Et paradiso reddere.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Mantuan. E I 27. A. — Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Meten. 571. B. — Orat. ms. S. Josephi Oenipontani 70 A. saec. 14. C. — 2, 2 fehlt C. — 4, 1 Cum finis vitae venerit C. — 4, 2 Meis te praebe C. — 4, 3 tunc fehlt C. — 5, 2 Redeundo C. — 6, 1 Objiciendo C. — 6, 2 Falsa quaeque C. — 6, 3 reddas A. — 7, 3 Signos A; quoque C.

### 116. Ad B. Mariam V.

1. Ave, virgo Dei mater,  
vera spes fidelium,  
Porta coeli, stella maris,  
recti cursus bravium,  
Summa legis, forma pacis,  
salutis exordium.
2. Ave virgo, ave feta,  
ave plena gratia,  
Ave sponsa, ave mater,  
ave Dei filia,  
Quae diversa facis unum,  
o omnipotentia.
3. Fons signatus, sacramenti  
summi conceptaculum,  
Scala Jacob, domus David,  
Salomonis ferculum,  
A leonis ore salva  
Christianum populum.
4. Turris, in qua pendet omnis  
armatura fortium,  
Rosa florens, sacra vitis,  
lilium convallium,  
Medicina peccatoris,  
virtutis donarium.



- |   |  |
|---|--|
| <p>5. Uva dulcis, flos suavis,<br/>             nardus odorifera,<br/>             Virgo semper tu sublimis,<br/>             gloriosa puerpera,<br/>             Praebe nobis adoptivis<br/>             pietatis ubera.</p>       | <p>7. Tu sigillum libri vitae<br/>             solidum in saecula,<br/>             Cujus potest solus agnus<br/>             solvere signacula,<br/>             In hoc nostra precum stilo<br/>             adscribe vocabula.</p> |
| <p>6. Orientis porta clausa,<br/>             quam vidit Ezechiel,<br/>             Mensa regis, ad quam dapes<br/>             tulit ipse Gabriel,<br/>             Quarum opem in leonum<br/>             lacu sensit Daniel.</p> | <p>8. Miserere nostri, Deus,<br/>             in personis trinitas,<br/>             Miserere, miserere<br/>             nostri, simplex unitas,<br/>             Te spiritus omnis laudet<br/>             sempiterna deitas.</p>   |

Cod. Mediceo-Laurent. Conv. sup. C 8. 957. saec. 16.

#### 117. Ad B. Mariam V.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Ave, virgo, Dei templum,<br/>             Castitatis et exemplum,<br/>             Ave, virgo, candens caelum,<br/>             Inde lumen dans serenum.</p>    | <p>7. Ave, sponsa, florens vitis,<br/>             Cujus fructus botrus mitis,<br/>             Ave, sponsa grata cunctis,<br/>             Pia vivis et defunctis.</p> |
| <p>2. Ave, virgo, juvans mundum<br/>             Corruentem in profundum,<br/>             Ave, virgo, quae infernum<br/>             Vincis tenens jus supernum.</p> | <p>8. Ave, sponsa salutaris,<br/>             Dulcis rebus in amaris,<br/>             Ave, sponsa singularis,<br/>             Caecis splendens lux solaris.</p>       |
| <p>3. Ave, virgo, quae per natum<br/>             Mortem sternis et peccatum,<br/>             Ave, virgo, morti datum<br/>             Tuum ora pro me natum.</p>    | <p>9. Ave, sponsa potens satis,<br/>             Me tuere a peccatis,<br/>             Ave, tuis gemma lucens,<br/>             Majus solis lumen ducens.</p>           |
| <p>4. Ave, clemens imperatrix,<br/>             Terrae, coeli dominatrix,<br/>             Ave, clemens et amatrix<br/>             Et virtutum operatrix.</p>        | <p>10. Ave, tuis decor splendens<br/>             Et in noctem non offendens,<br/>             Ave, tuis lux ostendens<br/>             Claritatem et praetendens.</p>  |
| <p>5. Ave, clemens vitae datrix,<br/>             Vitiorum enervatrix,<br/>             Ave, clemens miseratrix<br/>             Peccatorum, non peccatrix.</p>       | <p>11. Ave, tuis sidus fulgens,<br/>             Ut aurora mane surgens,<br/>             Ave, tuis pacem ferens,<br/>             Inimici vires terens.</p>            |
| <p>6. Ave, clemens expiatrix,<br/>             Culpae lapsis reparatrix,<br/>             Ave, clemens mediatrix,<br/>             Quaeso, mei sis salvatrix.</p>     | <p>12. Ave, tuis zelo degens,<br/>             Vitam praebe nostra regens,<br/>             Ave, mater speciosa,<br/>             Albens manna, rubens rosa.</p>        |

13. Ave, mater plus decora  
Sole, luna et aurora,  
Ave, mater absque mora  
Cuncta poscens omni hora.
14. Ave, mater rubes signis  
In figuram ardens ignis,  
Ave, pia meta mortis,  
Et coelestis lux cohortis.
15. Ave, via vitae portis,  
Paradisi flos in hortis,  
Ave, pia hora mortis,  
Da jus mihi primae sortis.

Cod. Parisien. 3639 saec. 15/16.

118. Ad B. Mariam V.

Adspice nos, mitis virtutum fulgida vitis,  
Nos mitis salva, fraglans laus Jesse sacrata.  
Fulgida laus Jesse, dulcedo coelica, virgo,  
Vitis sacrata, refraglans virgo Maria.  
Cella pudoris, flos pietatis, virgo Maria,  
Stella decoris, dos puritatis, nos rege, día.  
Coeli reginae, tibi laus et honor sine fine.

Clm. Monacen. 4423. saec. 15. Mit dem Beifügen: „Haec ex Mellico rescripta sunt.“

119. Ad B. Mariam V.

1. Ave, virgo fons salutis,  
Ave, plenum vas virtutis  
Omni carens carie,  
Ave, virens vitae vitis  
Ave dulcis, ave mitis,  
Ave lux ecclesiae.
2. Ave, rosa venustatis,  
Lux aeternae claritatis  
Et mortis exitium,  
Ave, fida spes peccantis  
Flos dulcoris, dux errantis,  
Potus sitientium.
3. Ave, turris confirmata,  
Ave, cedrus exaltata,  
Ave, proles regia,  
Tu es domus sigillata,  
Clavi nulla reserata,  
Cunctis tamen pervia.
4. Tu es aura cunctis grata,  
Tu es tellus non arata,  
Fructum dans eximium;
- Tu es meta scriptuarum  
Et abyssus tu aquarum,  
Puteus viventium.
5. Tu es scatens fons hortorum,  
Tu es arca secretorum,  
Arca dicta foederis;  
Tu es aula puritatis  
Et lucerna veritatis,  
Expiatrix sceleris.
6. Tu fidelis es patrona,  
Tu das juxta votum bona,  
Neminem abaudiens;  
Tu solamen es lugentis  
Tu es fidem offerentis,  
Non munus respiciens.
7. Tu es novae legis forma,  
Ver aeternum, morum norma,  
Sanctitatis semita;  
Tu es virgo singularis,  
Tu es nobis salutaris  
Ultra nostra merita.

8. Ave, decus mulierum,  
Cleri gemma, lux dierum,  
Ave, coeli gloria;  
Ave, summi regis nupta,  
Ave, parens incorrupta,  
Ave, plena gratia.
9. Super omnes o decora,  
Reus ego sine mora  
Ad te tremens propero,  
Dum peccata, quae commisi,  
Nec non bona, quae omisi,  
Flens ego considero.
10. Ad te curro, quam turbavi,  
Quam injuste laceravi  
Horrendis perjuriis,  
Quam ex corde non amavi  
Et quam parum honoravi  
Debitis obsequiis.
11. Ad te curro, me peccasse  
Recognoscens et errasse,  
Ut sit locus veniae,  
Me quam dure remordente  
Et ad istud compellente  
Verme conscientiae.
12. Curro factus jam non durus,  
Curro vulnus ostensurus,  
Medicantis opera  
A te sperans reportare,  
Ista cures ergo dare,  
Dum requirunt tempora.
13. Dum est recens vulnus, cura,  
Ne putrescat et jactura  
Causetur per vitia;  
Vulnus meum est peccatum,  
Tu purgare perpetratum  
Tua, mater, gratia.
14. Si peccavi, non excuso,  
Immo reum me accuso,  
Prosit haec confessio;  
Sed quod deest poenitenti,  
Purget, mater, in praesenti  
Tua intercessio.
15. Hoc instanter a te peto,  
Ne praeventus forte leto,  
Quod absit, ad inferi  
Domum mittar, ubi metus,  
Ubi dolor est et fletus,  
Ubi degunt miseri.
16. Jam plus loquens ne molestus  
Dici possim vel infestus,  
Non permittit ratio;  
Misereri potes mei,  
In hoc ergo, mater Dei,  
Nulla sit dilatio.
17. Tu me, cui non occultavi,  
Tu, cui causam revelavi  
Meam, mihi filium  
Placa tuum hora mortis,  
Ut justorum consors sortis  
Sim post hec exsilium.
18. Dicam tandem illative,  
Nil apponens exclusive  
Sed includens omnia,  
Quia salus es cunctorum,  
Sit per tempus saeculorum  
Tibi laus et gloria.

120. Ad B. Mariam V.

I.

1. Gaude, virgo, stella maris,  
Gaude, nascens consecraris  
Dulci Jesu, dulcis Maria.  
Gaude, Sara singularis,  
Sacro verbo fecundaris,  
Dulci Jesu, dulcis Maria.
2. Gaude, Martha famularis,  
Ab Elisabeth laudaris,  
Dulci Jesu, dulcis Maria.  
Gaude, vera Lia paris  
Verum Deum et laetaris  
Dulci Jesu, dulcis Maria.
3. Gaude, Rachel, lux solaris,  
Per pastores praedicaris,  
Dulcis Jesu, dulcis Maria.  
Gaude, Esther veneraris  
In Assueri donis caris,  
Dulcis Jesu, dulcis Maria.
4. Gaude, parens expers paris,  
Anna nova profers aris  
Dulcem Jesum, dulcis Maria.  
Gaude, Jahel, occultaris,  
Cedens hosti non orbaris  
Dulci Jesu, dulcis Maria.
5. Gaude, Ruth, flos salutaris,  
Quaerens spicam consolaris  
Dulcem Jesum, dulcis Maria.  
Gaude, Judith exemplaris,  
Hostem sterne signis claris,  
Dulcis Jesu, dulcis Maria.

II.

1. Ave, mitis Sunanitis,  
Flens post coenam nocte poenam  
Dulcis Jesu, dulcis Maria.  
Ave, vitis, more litis  
Spretas seisti laudes Christi,  
Dulcis Jesu, dulcis Maria.
2. Ave, portus, mane tortus  
Est confusus et illusus  
Dulcis Jesus, dulcis Maria.  
Ave, verna lux, fles terna  
Hora caesum, spinis laesum  
Dulcem Jesum, dulcis Maria.
3. Ave, grata commendata,  
Et in sexta stans contexta  
Dulci Jesu, dulcis Maria.  
Ave, digna tecum signa  
Flent in nona mater bona  
Dulcem Jesum, dulcis Maria.
4. Ave, rosa radiosa  
Sine spina, vespertina  
Gyrat luce lux de cruce,  
Dulci Jesu, dulcis Maria.  
Ave, myrthus, coeli virtus,  
Sero nato tumultato  
Nos per crucem duc ad lucem,  
Dulcem Jesum, dulcis Maria.

III.

1. Gaude, cella prolis diae,  
Surgit stella, mors Goliae,  
Dulcis Jesu, dulcis Maria.  
Gaude, melos melodiae,  
Scandit coelos dux Eliae,  
Dulcis Jesu, dulcis Maria.
2. Gaude, donum prophetiae,  
Mittit sonum harmoniae  
Pneuma bonum turbae piae,  
Dulcis Jesu, dulcis Maria.  
Gaude, legis mel sophiae,  
Doctrix gregis et Messiae,  
Veri regis Ezechiae,  
Dulcis Jesu, dulcis Maria.

3. Gaude, lumen galaxiae,  
Transis flumen agoniae,  
Petens numen theoriae  
Per cacumen hierarchiae,  
    Dulcis Jesu, dulcis Maria.  
Gaude, signum symphoniae,  
Sis benignum nostrae viae  
Vitae lignum, mortis diae  
Phase dignum fac Josiae,  
    Dulcis Jesu, dulcis Maria.

Cod. Admonten. 383. saec. 14.

121. Ad B. Mariam V.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Ave, virgo Maria,<br>Ab omni miseria<br>Me clementer erue<br>Ac per coeli principem,<br>Quaeso, fac participem<br>Salutis perpetuae.        | 6. Ave, mater gratiae,<br>Precor, pulchra facie,<br>Te Christi sacristiam,<br>Fac me tuo munere<br>Semper digne sumere<br>Sanctam eucharistiam. |
| 2. Ave, sidus fulgidum,<br>Me peccato languidum<br>Per medelam visita<br>Exorando Dominum,<br>Ut cunctorum criminum<br>Mihi laxet debita.      | 7. Ave, morum speculum,<br>Quae perlustras saeculum<br>Recto nitens tramite,<br>Fac ut morum gratia<br>Superna palatia<br>Te pertingam comite.  |
| 3. Ave, mater luminis,<br>Fac me sordem criminis<br>Lacrimis abluere;<br>Antequam discutiar,<br>Per te cuncto merear<br>Resanari vulnere.      | 8. Ave, dulcis, annue<br>Et hoc mihi tribue,<br>Ut de carnis cellula<br>Nulla plaga vulnerum,<br>Nulla prorsus scelerum<br>Mecum pergat macula. |
| 4. Ave, decus virginum,<br>Per abrupta criminum<br>Me errantem corrige<br>Et a sorde scelerum<br>Tu, sanatrix vulnerum,<br>Me clementer erige. | 9. Ave, fons clementiae,<br>Mibi nunc in acie<br>Contra ictus daemonum,<br>Mater regis gloriae,<br>Aeternae victoriae,<br>Tribue subsidium.     |
| 5. Ave, spes fidelium,<br>Quae per tuum filium<br>Deles mundi crimina,<br>Fac, ut purus vitio<br>Tibi nec non filio<br>Digne promam carmina.   | 10. Ave, virgo florida,<br>Regi regum placida,<br>Ne damner iudicio,<br>Fac per tuam gratiam,<br>Ut me purum sentiam<br>Mentis, carnis vitio.   |

11. Ave, florens virgula,  
Charitatis regula,  
Cara coeli domina;  
Fac perfecte diligam  
Natum teque filiam  
Nunc et absque termino.
12. Ave, fulgens meritis,  
In inferno positus  
Nullum est remedium;  
Sed me modo corrige  
Mihique nunc porrige  
Salutis subsidium.
13. Ave, mitis omnibus,  
Fac me tuis precibus  
Terrena despiciere  
Ac per te Christicolam  
Verae vitae regulam  
Constanter perficere.
14. Ave, pia, corpori  
Et interno vulnere  
Medicinam conferas,  
Malum, quo interius  
Laedor vel exterius,  
Virgo mater, auferas.
15. Ave, mundi gloria,  
Tua me memoria  
Salvet a supplicio,  
Ne damner in infimis,  
Mentem riga lacrimis,  
Quibus laver vitio.
16. Ave, virgo virginum,  
Aufer a me daemonum  
Venenosa jacula,  
Quae portasti Dominum  
Ad salutem omnium  
Sine carnis macula.
17. Ave, salus animae,  
Ut non hostis contra me  
Habeat victoriam,  
Da per nati vulnera,  
Ut nunquam per saecula  
In morte obdormiam.
18. Ave, clara saeculo,  
Parva in crepusculo,  
Sana conscientiam,  
Iram procul auferas  
Et perfectam conferas  
Mihi patientiam.
19. Ave, sidus regium,  
Mihi nunc per filium,  
Qui sustentat miseros,  
Rectum confer spiritum,  
Quo mortis interitum  
Evadam et inferos.
20. Ave, mundi domina,  
Oculorum crimina  
Tuis lava precibus,  
Mala visus dilue  
Nec non cunctis tribue  
Medelam vulneribus.
21. Ave, templum gloriae,  
Fac me tuae gratiae  
Interventu perfrui,  
Terge, quaeso, vitium,  
Viti supplicium,  
Quod auditu merui.
22. Ave, virgo regia,  
Tua fac ut gratia  
Pravum nihilominus  
Ita gustum deleam,  
Ut gustare valeam,  
Quam dulcis sit Dominus.
23. Ave, sancta femina,  
Virtutum ad culmina  
Gratia paracliti  
Me clementer provehas  
Crimenque removeas  
Odoris illiciti.
24. Ave, coeli liliam,  
Regina coelestium,  
Paradisi domina,  
Meo nunc in corpore  
Digneris abstergere  
Pravi tactus crimina.

25. Ave, quae vivificas,  
Per natum mollificas  
Corda dura saxeae,  
Fac, ut tergam fletibus,  
Incedendo pedibus  
Quae commisi noxia.
26. Ave, morum regula,  
Nulla regnet nebula  
Intra carnis cellulam,  
Tuus per te filius  
Intus et exterius  
Omnem tergat maculam.
27. Ave, lux eximia,  
Lucis per obsequia,  
Fac, ut Christo placeam,  
Ut exutus corpore  
Bono plenus opere  
Coelo sumi valeam.
28. Ave, tuo munere  
Temporali verbere  
Mea terge vitia,  
Sidus maris inclitum,  
Sed nulla post obitum  
Me tangant supplicia.
29. Ave, dulcis omnibus,  
Tu virtutum floribus  
Me frequenter imbue  
Mihique per filium,  
Qui est spes fidelium,  
Finem bonum tribue.
30. Mea sine taedio  
Psallat nunc devotio  
Patri, nato, flamine,  
Virtutem, potentiam  
Laudemque perpetuam  
Piae matri virgini.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410. — 28, 1 Ante tuo Hs.

122. De B. Maria V.

1. Domine fac labia.  
reserari clausa,  
Ut pro nati gloria  
sint resonare ausa  
Mariae matri virgini  
Laudes sine pausa.
2. Deus in auxilium  
meum nunc intende,  
Domina subsidium  
mihi jam impende,  
Ut non in exilium  
ruar, me defende.
3. Venite, mas et femina,  
jam tempus exsultandi,  
Exsurge laetissima  
modo jubilandi,  
Praeoccupando faciem  
Dei confitendi.
4. Quia magnus Dominus,  
Deus rex, plus quanto  
Quovis multiplicius,  
venerari tanto  
Cunctis difficilius,  
ipsum sed amato.
5. Singula, quae maris sunt  
et terrae, tuo ductu  
Reguntur et perficiunt  
abundanti fructu,  
Me, qui mare, aridam  
fundasti, pie duc tu.
6. Ut hodie concipiam  
et semper tua mira  
Et vocem tuam audiam  
concrepante lyra  
Jussaque perficiam  
fatiga sine dira.
7. Scio te praecipere  
parentes honorare,  
Hinc matrem tuam, Domine,  
desidero amare  
Et ei laudis carmine  
cordicitus sonare.

8. Ave, radix regia,  
concepta sine humo,  
Designata mystico  
non conubusto dumo,  
Et crevisti subito  
humilitatis fumo.
9. In ramos fertilissimos  
plantatos Dei manu,  
In quibus sedent spiritus  
septem Dei manu,  
Dona per quae funditus  
es florens Dei manu.
10. O stilla nobilissima  
conceptus virginalis  
Pura tenuissima  
muditia finalis  
Purga immundissima  
malitiae brutalis.
11. Salve, nata typice  
figuris scripturarum,  
Tibi vox hymnidice  
dicta prophetarum,  
Es cunctis plus veridice  
Deo munus carum.
12. Te signat urna aurea  
et concha rore plena,  
Te notat scala coelica  
et virga sat amoena,  
Te ara thymiamatis  
et arca, o serena.
13. Stilla roris, odor floris,  
fons dulcis suavitatis,  
Nata sine crimine,  
flos vernaevitatis,  
Genitos de crimine  
jungito renatis.
14. Gaude, gaude inclita,  
Ave, salutata  
Voce ab angelica  
quasi tremulata,  
Pavens ista mystica,  
nunquam violata.
15. Mox est tibi gratia  
partus condonata,  
Sed nunquam tua viscera  
sunt vere onerata,  
Hinc potestas deica  
est magnificata.
16. Virgo, quae affabili  
sic verbo respondisti:  
Ecce, serva Domini,  
fiat, ut dixisti,  
Fac, simus prompti famuli  
concepti Jesu Christi.
17. Plaude de magnalibus,  
beata quia dicta,  
Montana sine gravibus  
quando es addicta,  
Elisabethque domibus  
sancte benedicta.
18. Partus tuus undique  
Sic salutabatur,  
Qui a te sola nullique  
cuiquam norabatur,  
Clauso partu denique  
tibi revelatur.
19. Vox tua, quae in utero  
infantem animavit,  
Dicat Jesu Domino,  
qui te in habitavit:  
Reum reconcilio,  
hinc Deus me creavit.
20. Laude plaude, salve, gaude,  
fecunda coeli nuntio,  
Perfecta in te dicta sunt,  
quia natum gremio  
Continens et vincla sunt  
soluta tuo genito.
21. O columna sanctitatis,  
quae gaudiosis manibus  
Fers columnam firmitatis,  
qua substat Deus omnibus,  
O tutela libertatis,  
laetemur tuis plausibus.



22. O medela sanitatis,  
quam magistralis medicus,  
Sole ortus trinitatis,  
o coraula coelicus,  
Fac gaudere lenitatis,  
mentem cura penitus.
23. Vale, consolaberis,  
moestissima dolore,  
Cum filium perdideris,  
Certissima amore,  
In templo hunc inveneris  
disputantis more.
24. O moesta, qui per triduum  
sic a te quaerebatur,  
Dubia te nimium  
morte immolatur,  
Nobis sacrificium  
sicque pascha datur.
25. Nunc, virgo, sis laetissima,  
natus jam resurrexit,  
Frangens loca tristia  
et coelos ire dixit,  
Pneuma sacrum dirigens  
sic suis benedixit.
26. Vale nobis, domina,  
demon es datura,  
Cum post multa tempora  
sis hinc migratura,  
Suspirans quasi languida  
filium post cura.
27. O quis funeralibus  
fratres interesse  
Fecit, nisi Dominus,  
colligens in messe  
Fructus mirabilius,  
det nobis tecum esse.
28. Virgo, mater regia,  
coelis fis invecta,  
Rege nos egregia  
in via tuta recta,  
Ut munda habitacula  
simus et electa.
29. De profundis, Domina,  
exaudi, qui clamamus,  
Sis auribus propitia,  
qui vocibus rogamus,  
Servatur si malitia,  
nescimus qua sistamus.
30. Sed propitiatio  
est apud te, speramus,  
Hincque sustentatio,  
illuc spe curramus,  
Ut tua deprecatio  
nos juvet, ut oramus.
31. Ab ortu solis Israel  
usque ad occasum  
In te sperat Michael,  
salves ut occasum,  
In quo friget Uriel,  
ne tendat ad occasum.
32. Concepta, nata, salutata  
Montana pergens gratitudo,  
Assumpta, nata, hilarata,  
Aeterna regna specularando,  
Accepta pacta tecum facta,  
In laude regulando,  
Quosvis tua gratia  
Inducas te affando.

123. Ad B. Mariam V.

1. Ave, mundi spes, Maria,  
Ave mitis, ave pia,  
Ave plena gratia,  
In te Deus semper tecum,  
Quaeso, esto semper mecum,  
Cor amore satia.
2. Ave, Deo desponsata,  
Reverenter salutata  
Gabriele nuntio,  
Verbum bonum et suave,  
Nam ex Eva format Ave,  
Sic fit mira junctio.
3. Mira quidem genitura,  
Quando contra carnis jura  
Natus est de virgine,  
Deus homo, virgo mater,  
Prolis cujus Deus pater  
Non carnis origine.
4. Ave, coeli restauratrix,  
Angelorum imperatrix,  
Salvans omne saeculum,  
Almi pneumatis serena  
Charismatum cella plena,  
Sanctitatis speculum.
5. Ave, mater, cujus fructus  
Fuga fuit nostri luctus,  
Vitae separatio;  
Eja, felix coeli porta,  
Ex te nobis lux est orta,  
Honor, exsultatio.
6. Ave, decus virginale,  
Semper ave, gaude, vale  
Summa ferens gaudia,  
Natum, decus firmamenti,  
Tu caliginosae menti  
Desuper irradias.
7. Ave, nobilis factura,  
Plus quam omnis creatura,  
Coeli, terrae domina,
- Mater summae pietatis,  
Libro vitae cum beatis  
Nostra scribe nomina.
8. Ave, templum majestatis,  
Opus summae dignitatis,  
Thronus regis gloriae,  
O sacrarium virtutum,  
Aditum fac nobis tutum  
Tantae regis curiae.
9. Ave, fulgens maris stella,  
Pulchra nobilis puella,  
Omnibus amabilis,  
Hester summo sponso cara,  
Coeli civibus praeclara,  
Cunctis venerabilis.
10. Ave, gemma claritatis,  
Thymiama sanctitatis  
Odoris salutiferi;  
Eja rutilans aurora,  
Nobis gratiam irroras,  
Signum salutiferi.
11. Ave, civitas illustris,  
Qua artificis industris  
Magnitudo patuit,  
Princeps universitatis  
Sedem suae majestatis  
In hac urbe statuit.
12. Ave, thronus Salomonis,  
Siccum vellus Gedeonis,  
Area coelo rorida,  
Porta tu Ezechielis,  
Lacus clausus Danielis,  
Virga Jesse florida.
13. Ave, paradisi hortus,  
Arca Noe, vitae portus  
Morte navigantibus;  
Eva laesit, tu sanasti,  
Haec clausit, tu reserasti,  
Aperi pulsantibus.

14. Ave, rosa caritatis,  
Viola humilitatis,  
Castitatis lilium;  
Prolem gignis deitatis  
Sub sigillo castitatis,  
Nobis placata filium.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

124. De B. Maria V.

1. Lux orientalis, amica Dei specialis,  
Aula salutaris, genitrix pacis generalis,  
Virgo triumphalis, persona magisterialis,  
Regula moralis, regina imperialis,  
5. Femina regalis, fidei calor effigialis,  
Foedere sponsalis sed nulli connubialis  
Nec naturalis usus parienti jugalis,  
Spes mea causalis, mediatrix sola vocalis,  
Munere pluralis largaque manu venialis,  
10. Hostia paschalis, cujus fuit alta sub alis,  
Gloria vitalis, salvatio materialis,  
Ops medicinalis, placatio subsidialis,  
Mentio festalis, operatio prodigialis.  
Sed neque ruralis se miscuit officialis,  
15. Sic immortalis fuit actio spiritualis,  
Nullaque carnalis corruptio foeda sodalis.  
Flos rosa vernalis et fructu perpetualis,  
Cujus odor suavis vitiis est exitialis,  
Stella diurnalis, reverentia catholicalis,  
20. Mentibus humanis non est laus ejus inanis.  
Fons rationalis et Christi collateralis,  
Plus quam regalis, quia non erat altera talis,  
Nec fuit aequalis tam fortis et imperialis.  
Mater ovans regis, in cujus lumine degis,  
25. Nobilis, insignis, memorabilis, inclita, mitis,  
Strenua, sublimis, sed tota potenter herilis,  
Jure cluens prole, pariens tamen absque dolore,  
Splendidior sole, coelesti plena decore,  
Fac fore me curae sine fine tuae geniturae,  
30. Laetitiae portus cujus mundo fuit ortus.

Cod. Vatican. 636. saec. 13.

125. De B. Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Divinitatis hortus<br>Salutis est portus,<br>In te, virgo benigna,<br>Sunt dona infinita,<br>In te, virgo beata,<br>Sunt dona cumulata,<br>In te, virgo electa,<br>Sunt omnia perfecta. | 2. Per te, virgo Maria,<br>Nobis dantur divina,<br>In te virescit satis<br>Cypressus puritatis,<br>In te candescit magis<br>Lilium castitatis,<br>Tu es mater Minorum,<br>Refugium peccatorum. |
|--|--|

Cod. Mellicensis 932. saec. 15.

126. De B. Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Cum velarent montes aquae,<br>Arcam Noe circumquaque<br>Linuens bitumine<br>Te, Maria, figuravit;<br>Ave ergo, quam dotavit<br>Deus suo numine. | 2. Licet brevis, licet parca,<br>Spem inclusis dedit arca<br>Vitandi diluvium,<br>Sic te duce tuo ductu<br>Per te dato vitae fructu<br>Datur vita gentium. |
|--|--|

Orat. ms. Majoris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181.

127. Ad B. Mariam V.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Rubus in te concrematur,<br>Tua carne dum velatur<br>Patri compar filius;<br>Ut nec rubus est minutus,<br>Sic nec Deus te indutus,<br>Nil hac re subtilius. | 4. Hac in valle lacrimarum<br>Tu, quae flos es dominarum,<br>Nostras preces suscipe,<br>Ut mundemur a delicto,<br>Ne ponamur in proscripto<br>Tuo coram filio. |
| 2. Ob hoc Deus in te regnat,<br>Suo flatu te impraegnat<br>Et perrorat gratia;<br>Ut sis nobis suffragatrix,<br>Desperatis sublevatrix,<br>Nos exaudi, domina. | 5. Ab Aegypto liberamur,<br>A catena denodamur<br>Regis Babyloniae,<br>Juga regis relaxantur,<br>Per te nova reparantur,<br>Flos obedientiae.                  |
| 3. In te fides est unita,<br>Nos defende, precor, ita<br>Hac in vita misera,<br>Ne damnemur post decessum,<br>Sed gaudere sit concessum<br>In coelesti patria. | 6. Umbram dum virginitatis<br>Est agressus deitatis<br>Hinnulus meridie;<br>Quod quaesivit, adinvenit,<br>Per te Christus nos redemit<br>Pacem dans ecclesiae. |

Clm. Monacen. 24804. saec. 15.

128. Ad B. Mariam V.

1. Ave, cujus ventris fructus  
Morbos, pestes, iras, luctus  
Trivit trito funere;  
Ave bona, ave bonum,  
Per quod Deus ultionum  
Nobis egit libere.
2. Ave sola pollens tribus,  
Si non quantis, dico quibus,  
Fronde, flore, germine:  
Frons obumbrat, flos demulcet  
Germen pascit, ut conculcet,  
Quod putet in homine.
3. Ave, parens sine pare,  
Pariendo gloriare,  
Partu parta gloria;  
Ave, portus, ave, porta,  
Hunc portasti, quo absorpta  
Mors est in victoria.
4. Virgo, vitis, clavis, ave,  
Per quam mortis fracta clave  
Vita mortem abolet;  
Aquis motis in piscina  
Solve mentem a sentina,  
Quae sentinam redolet.
5. Ave, pulchra et decora,  
Cum te colam, me decora,  
Ne culpa dedecoret;  
Instat enim mihi reo  
Hostis mihi tamquam leo,  
Qui quaerit, quem devoret.
6. Ave, clemens et benigna,  
Quae pudoris tenens signa  
Facta es puerpera,  
Cujus facti sacramentum  
Omne pellit argumentum,  
Nisi fallat litera.
7. Stilla favi, stillans ave,  
Fove reum, reo fave,  
Omni favo dulcior,  
Dulcis rosa super favum,  
Cladis meae rumpe clavum,  
Quo clavatus crucior.
8. Praedotata de sublimi  
Super primas, ave, primi  
Mater et novissimi;  
Ave, quia tu fovisti  
Tuo sinu membra Christi,  
Cara praecarissimi.
9. Ave semel, ave rursus,  
Ave, per quam noster cursus  
Promeretur bravium;  
Ave, quia quod faex Evae  
Longum fecit, nobis breve  
Reddidisti stadium.
10. Sola solis fulgens more,  
Ave, cujus in odore  
Unguentorum currimus,  
Generalis generosa,  
Ave, quam in mortis hora  
Reis piam novimus.
11. Ave, caput nostrae spei,  
Spes colenda, mater Dei,  
Nobile trichinium;  
Ave, coelo fulgens luna,  
Sed defectu carens una  
Portans pondus omnium.
12. Hoc audemus de te fari,  
Quod, si sancte majorari  
Possit sancta trinitas,  
Quarta tibi pars daretur,  
Quod idcirco prohibetur  
Ne fiat quaternitas.
13. Pia mater Jesu, ave,  
Quam eversa mari nave  
Nautae timor invocat;  
Ave semel et secundo,  
Cujus virtus in profundo  
Mersos sursum revocat.
14. Super mites ave mitis,  
Ave palmes, ave vitis,  
Palmes vitem generans;  
Hac de vite palmes venit,  
Palmes vitem hanc praevenit,  
Nil tamen praeposterans.

15. Ave, mundi necans necem,  
Cujus totum est, ut precem  
Fundas pro peccantibus;  
Ave, cujus favet voto  
Coeli turba nisu toto,  
Voluntate, viribus.
16. Ave, clemens o Maria,  
Mente Rachel, actu Lia,  
Hoc modo non aliter:  
Rachel, quia contemplaris,  
Lia, quia fecundaris,  
Tamen dissimiliter.
17. O Maria, matrum palma,  
Mater dulcis, mater alma,  
Cujus fisus nomine  
Confidenter cantat reus:  
Miserere mei Deus,  
Parce mihi, Domine.
18. Cum in coelis sis assumpta,  
Ave, tamen semper prompta  
Infirmis succurrere;  
Si rogeris puro corde,  
Rogans mundus fit a sorde,  
Verbum complens opere.
19. Quid centenis utens linguis  
Dicam, nisi quod exstinguis  
Virgo luxus hominum;  
Ave multum, ave plene,  
Quae doloris nostri poenae  
Posuisti terminum.
20. Hoc silebo, hoc loquarne,  
Quod de carne sine carne  
In te caro floruit?  
Unde semper et non raro  
Sit beata tua caro,  
Qua nostra refluoruit.
21. Ave, virgo jubilea,  
Qua solvuntur reus, rea  
Et laxatur debitum,  
Ave rursus, et solutos  
Fac a mundi faece tutos,  
Vitam dans post obitum.
22. Si quid habent boni boni,  
Fit per bonum tui doni,  
Ave, donans jugiter,  
Non nobis te nostris bonis,  
Sed revera tibi omnis  
Laus in fine canitur.
23. Ave per quam summum ducem,  
Immo suam vidit lucem  
Populus in tenebris;  
Ut viderent lucem isti,  
Mortis somnum repulisti  
Ab eorum palpebris.
24. Piis bona, pia bonis  
Praemonstrata Gedeonis  
Madidato vellere;  
Ave, cujus ditioni  
Subdunt sua seque boni  
Mente, verbis, opere.
25. Loquens mané, loquens sero  
Vere minus erit vero,  
Quidquid de te dixero;  
Sed silere cum sit grave,  
De te tibi semper ave  
Dicam, quoad vixero.
26. Ave, cujus dulce nomen  
Gratus odor est et omen,  
Hilaris memoria;  
Ave, virga, quam de Jesse  
Egressuram nobis esse  
Sonuit historia.
27. Fertur virga floruisse,  
Florens statim fronduisse,  
Frondens dans amygdalum;  
Valet aegris fructus ille,  
Tuus solvit non a mille,  
Sed a cunctis scandalum.
28. Virga silex bis percussus  
Aguas fundit quasi jussus,  
Quibus gregem satiat;  
Sic Maria dura quidem  
Mundi mollit, ejus fidem  
Format, nutrit, ampliatur.

29. Si de cruce loquar Christi,  
Ave, quia tu fuisti  
Caput hujus operis;  
Nunquam enim pateretur,  
Nisi de te nasceretur  
Descendens a superis.
30. Ave, quia sicut leo  
Caudam trahens delet eo,  
Quo vadit, vestigium,  
Sic et tuum intrans alvum  
Deus exit servans salvum  
Virginale gremium.
31. Ave, David illa turris,  
Quae sustentas et succurris  
Laesis hostis vulnere;  
Ave, quies et asyllum  
Quae non solum sinis pilum  
Perire de capite.
32. In Judaea tantum notus  
Olim Deus per te totus  
Noscitur totaliter;  
Ave, mater castitatis,  
Cui prae cunctis favet castis  
Deus specialiter.
33. Si quid boni praedicatur  
De quo bono, tibi datur  
Salva nati gratia;  
Ave, cujus per obtentum  
Aes mutatur in argentum  
Et in aurum scoria.
34. Mundus mendis inundatus  
Per te mundam fit mundatus  
Nec tot immunditiae  
Mundo erant in errores,  
Quot mundati tibi rores  
Insunt et munditiae.
35. Quot arenas habet mare,  
Tot debemus Ave dare  
Tibi, plena gratia;  
Nec arenae tot sunt mari,  
Quot sunt, quibus commendari  
Debet tua gloria.
36. Ave, solis illa vestis  
Qua vestire solem gestis,  
Vestis, quam nil perforat;  
Solem vestis carne munda,  
Carnem tuam sol jucunda  
Deitate roborat.
37. Pro his, pro tot et pro tantis,  
Ave, virgo, vigor stantis,  
Lapsi resurectio;  
Omnis enim stans stat tibi,  
Si quis cadit, ades ibi,  
Ut sis relevatio.
38. Et quid dicam de te, mater,  
Ave, semel, bis, ter, quater,  
Ave, plena gratia;  
Ave, sanctum thymiana,  
Cujus solvit sola fama  
Natos a miseria.
39. Ave, cujus verbis favit,  
Aquam Deus dum mutavit,  
Dum vinum deficeret;  
Istud tibi plus adscribo,  
Sine qua potu nec cibo  
Convivas reficeret.
40. Rubus ardens incombustus,  
Quod cor, auris, lumen, gustus  
Non gustarunt, docuit;  
Quid? te, virgo, paritiram  
Et post partum permansuram  
Virginem, ut decuit.
41. Quod Aegyptus spoliatur,  
Quod in mari suffocatur,  
Turba Pharaonica,  
Cum hoc donum per te datur,  
Ave, tibi duplicatur  
Et cum hymnis cantica.
42. Ave, quies ad quietem,  
In qua nostrum Moysetem  
Quievisse novimus;  
In quiete quies tota,  
Quies motu nullo mota,  
Quies, qua quievimus.

43. *Omni grata, nulli gravis,  
Speciosa et suavis  
Tuis in deliciis,  
Oris nostri sumens Ave  
Nos defende mortis a vae,  
Lamento, miseriis.*

Cod. Cantabrigen. Ff. VI 14. saec. 13. A. — Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571. B. — 5, 5 *Hostis nequam* B. — 6, 6 *fallit* B. — 7, 1 *Stilla fumi* A. — 7, 2 *reum fove, fave* A. — 8, 5 *Sinu tuo* B. — 8, 6 *Praecara carissimi* B. — 13, 2 *maris* B. — 13, 4 sqq. *fehlen* A. — 14, 1 *Inter mites* A. — 19, 1 *centenis mille linguis* B. — 19, 5 *Quae* fehlt A. — 22, 1 *Sed quid* A. — 23, 5 *Mortis noctem* B. — 28, 4 *durum quidem* B. — 28, 5 *Mundum* B. — 29, 3 *ipsius operis* B. — 33, 1 *Sed quid* A. — 33, 2 *De hoc bono* B. — 34, 1 *immundatus* B. — 35, 4 *avenae* B. — 35, 5 *quibus gloriari* A. — 36, 1 *Ave sola* B. — 40, 4 *Quod* B. — 43, 1 *Cunctis grata* B. — Den Verfasser des Liedes nennt A: „*Incipit rhythmus magistri Stephani Tornacensis ad laudem et honorem BMV.*“



III.

DE SANCTIS.

---



129. *Litania Omnium Sanctorum.*

1. Summe pater, sancte Deus,  
Nunc te precor ego reus,  
Pie mei miserere,  
Ut digne queam deflere,  
    Quod commisi nequiter.  
Si vis, potes me mundare,  
Sine te non possum stare  
Sed neque ad te transire,  
Nisi mihi subvenire  
    Digneris celeriter.
2. Jesu Christe, verbum patris,  
Qui carnem de carne matris  
Homo factus induisti  
Atque propter nos obisti  
    Crucis in patibulo,  
Tuæ, precor, memor mortis  
Mihi sis adjutor fortis  
Ac dono tuæ virtutis  
Auctor meae sis salutis  
    In omni periculo.
3. Amborumque pneuma sacrum,  
Esto mihi nunc lavacrum,  
Peccatorum sordes mundans  
Atque meum cor fecundans  
    Spiritali gratia.  
Si me laves, mox mundabor,  
Nisi sanes, non sanabor,  
Si non donas me mundare,  
Nequidquam possum laudare  
    Deum cum fiducia.
4. Tu, qui trinus in personis,  
Indivisus es in donis,  
Unus es in deitate,  
Deus pater, flamen, nate,  
    Unus in substantia,  
Mentis meae pravitatem  
Regens duc ad veritatem  
Fidei, spei, amoris,  
Totum me coelestis roris  
    Replens abundantia.
5. O Maria, stella maris,  
Virgo mater singularis,  
Speculum virginitatis  
Et totius trinitatis  
    Nobile triclinium;  
Ora pro me, virgo pia,  
Ut in hujus vitæ via  
Conversando sic incedam,  
Ut non incidam in prædam  
    Hostibus fidelium.
6. Chori novem angelorum,  
In Sion Deum deorum  
Contemplando qui videtis  
Et in ejus congaudetis  
    Jugiter praesentia,  
Ipsam, precor, exorate,  
Ut pro sua pietate  
In me lavet, quidquid sordet,  
Et remittat, quod remordet.  
    Tristem conscientia.
7. Johannes, baptista Christi,  
Qui vocem patris audisti,  
Ut vidisti descendentem  
Spiritus clare nitentem  
    In columbae specie,  
Ipsam ora baptizatum,  
Ut peccatis emundatum  
Me post temporalem mortem  
Esse faciat consortem  
    Coelestis laetitiae.
8. O vos proceres bis seni,  
Spiritali musto pleni,  
Signis, factis et doctrina  
Sacramenta qui divina  
    Edidistis libere,  
Pro me ferte preces pie,  
In illa tremenda die  
Quando judex est venturus  
Pius bonis, malis durus,  
    Justo reddens munere.

9. O vos sancti Christi testes  
 Qui vestras lavistis vestes  
 In hujus agni cruore,  
 Mundum qui suo livore  
 Sanavit feliciter,  
 Vos nunc in conspectu Dei  
 Memores estote mei,  
 Ut post hujus vitae cursum  
 In coelum ascendam sursum  
 Ad laetandum jugiter.
10. Omnes sancti confessores  
 Quorum vita, verba, mores  
 Hic Christus sic approbavit  
 Et vos secum collocavit  
 In coeli palatio,  
 Ne seductor animarum  
 In hac valle lacrimarum  
 Me in ulla parte laedat,  
 Pro me, precor, intercedat  
 Vestra supplicatio.
11. Cum decore virginali  
 Fide Christo spiritali  
 Quae ferventer adhaesistis  
 Et in ejus introistis  
 Gaudenter potentias,  
 Vestra prece pro me state,  
 Ut ipsius largitate  
 Conferatur mihi segni,  
 Ut apertis portis regni  
 Gradiar ad nuptias.
12. Omnes sancti cives coeli,  
 Precor mente vos fideli,  
 Qui cum Christo jam regnatis,  
 Ut meae calamitatis  
 Memores miseriae  
 Oretis pro peccatore,  
 Ut a Leviathan ore  
 A peccatis absolutus  
 Ex hac valle vadam tutus  
 Ad tribunal gloriae.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Cod. Paulanus Hospitalen. cart. 326 saec. 15. B. — Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8 anni 1410. C. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. D. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3. saec. 15. E. — Cod. S. Petri Salisburgen. b II 30. saec. 15. F. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. G. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021 H. — Cod. Carolsrhan. Augien. 36. saec. 14/15. I.

A hat (von anderer Hand) die Angabe: „Arnesti archiepiscopi primi Pragensis“; dagegen F: Letania Domini Alberti Magni. Et est in tono: Veni dulcis consolator, Tenebrarum illustrator etc.“ Erstere Angabe verdient Glauben.

1, 2 Peccatorum ego reus BC; Peccator ego atque reus EF. — 1, 3 Mei pie E; Mei precor BCF. — 1, 4 Ut sic digne queam fieri EF. — 1, 5 Quae commisi E. — 1, 6 me sanare B. — 1, 8 Sed nec ad te datur ire BCEFL. — 1, 9 Si non mihi I. — 2, 3 Factus homo B. — 2, 6 Ejus precor CEF; Hujus precor B. — 2, 8 Atque dono tuae EF. — 2, 10 Omni in F. — 3, 1 Utriusque pneuma BEFI; Sanctumque pneuma C. — 3, 3 sordes munda B. — 3, 4 fecunda B. — 3, 5 Speciali gratia C. — 3, 7 Nisi laves B; non curabor BCL. — 3, 8 Si non dones BCEF; mis orare B; nec orare EF; non orare I. — 3, 9 Nunquam possum nec laudare B; Quidquam possum vel laudare EF; Quidquam possum nec laudare I. — 4, 1 Tu es trinus C. — 4, 3 Deus pater, flamen, nate BCEFL. — 4, 4 Tres unus in deitate CEFI; Tres unum B. — 4, 5 Unum in C; Et unum in EF. — 4, 6 Meae mentis BC; Nostrae mentis EF; Horum mentis I; trinitatem BEFL. — 4, 7 ad unitatem BEF; Rege nunc in unitatem I. — 4, 8 Fidei, spei, caritatis A; spei et amoris EF; — 4, 9 Me totum EF; Auctor meae castitatis A. — 4, 10 Tua fecundet gratia B. — 5, 1 O praeclara stella BCE. — 5, 9 Ut in praedam non incidam A. — 5, 10 Hostis fidelium A; Hostium infidelium B; Vincam infidelium I. — Str. 6 fehlt C. — 6, 4 Et de ejus qui gaudetis BI. — 6, 7 Ut sua cum BI. — 6, 8 Lavet in me I. — 6, 9 Et dimittat B; Et relaxet I. — 6, 10 Tristis conscientia A; Tristem conscientiam BEF. — 7, 3 Et vidisti B. — A peccatis C. — 7, 9 Faciat esse C. — 8, 1 Et vos proceres E; O vos proceres BI. —

8, 2 Dei caritate pleni E. — 8, 4 quo divina I. — 8, 5 Docuistis libere E. — 8, 6 Ferte pro me EF. — 8, 7 Ut illa tremenda A. — 8, 9 Pius mitis BI. — 8, 10 Justo vivens munere A; jungens munere C; urgens munere I; Me dextris velis jungere EF. — 9, 1 O beati Christi BCEFI. — 9, 2 Qui lavistis vestras BCI; Vestras qui lavistis E. — 9, 3 In ejus agni I. — 9, 4 Suo mundum qui BCEFI. — 9, 9 conscendam BCEFI. — 10, 3 Hic sic Christus B. — 10, 4 Quod vos secum E; secum nunc locavit I. — 11, 2 Christo EF; speciali BI. — 11, 3 Cui ferventer A; Qua ferventer EF. — 11, 4 Et laetanter introistis BCEFI. — 11, 5 In ejus potentias B; In ejus potentias CEFI. — 11, 6 Mihi vestris obtinete ABI. — 11, 7 Precibus ut cum quiete ABI. — 11, 8 Ego miser ac solutus A; Contritus poenitens, confessus B: A peccatis absolutus I. — 11, 9 Ex hac valle vadam tutus A. Purus meus sit acceptus B; Liber vadam atque tutus I. — 11, 10 Ad coeli delicias A. Ad coelestes nuptias BCI. — 12, 1 Universi cives coeli BCEFI. — 12, 2 Mente precor BEF; vos mente C. — 12, 3 nunc regnatis BCEF. — 12, 4 Sitis meae calamitatis A. — 12, 5 et miseriae ACEF. — 12, 6 Orate A. — 12, 8 Ego liber ac solutus BCEFI. — 12, 9 hac vita BCEF. — 12, 10 Ad coelestes nuptias A.

### 130. Litania Omnium Sanctorum.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. Istam dicas humili<br/>voto letaniam,<br/>Pro te et pro reliquis<br/>aurem pulsans diam,<br/>Ut nos Christus dirigat<br/>in salutis vitam<br/>Et possitis carpere<br/>summam hierarchiam.</p> <p>2. Qui plasmasti hominem<br/>mirum per emplastrum,<br/>Et discernis singulum<br/>per discrimen astrum,<br/>Qui evellis frutices<br/>nec per ferri rastrum,<br/>Nos avulsos vitiis<br/>duc ad tuum castrum.</p> <p>3. Patris unigenite,<br/>bone Jesu Christe,<br/>Patri tuo pontifex<br/>pro nobis adsiste,<br/>Ut det nobis gaudium<br/>auferat et triste,<br/>Ne nos ad interitum<br/>ducat mundus iste.</p> <p>4. Amor indeficiens<br/>et patris et prolis,<br/>Intus nos illumina<br/>igne summi solis,</p> | <p>Aufer nobis taedium<br/>cujuscunque molis,<br/>Ut simus pervigiles<br/>in sanctorum scholis.</p> <p>5. In personis trinitas,<br/>qui es Deus unus,<br/>Nobis supplicantibus<br/>hoc largire munus,<br/>Ut, quod datur miseris,<br/>transcendamus funus,<br/>Et nobis petentibus<br/>da coelorum munus.</p> <p>6. Maria, quam satanae<br/>non infecit fucus,<br/>Nec sollicitaverant<br/>opes, ager, lucus,<br/>Sed templo servaverat<br/>Deus nec eunuchus,<br/>Fac, ne nos adficiat<br/>infernalis bruchus.</p> <p>7. Sancta Dei genitrix<br/>fundens orbi lucem,<br/>Quam ad regnum perditum<br/>jam habemus ducem,<br/>Dum surgit a mortuis<br/>Christus, scandit crucem,<br/>Hunc roga, quod deprimat<br/>nostrum hostem trucem.</p> |
|--|---|

8. Saneta virgo virginum,  
 quae mundo tulisti  
 Gaudia, dum Dominum  
 nostrum peperisti,  
 Cujus fortitudini  
 non potest resisti,  
 Fac nos ejus, petimus,  
 ante thronum sisti.
9. Qui draconem visceras  
 in monte Gargano,  
 Michael, spiritui  
 fraenum fac vesano,  
 Esto nobis obviam  
 in salutis plano,  
 Ut migremus ad Jesum  
 cum conductu sano.
10. Per quem plena, Gabriel,  
 virgo fit inventa  
 Flatu, per quem peperit  
 Christum, qui tormenta  
 Pro nobis pertulerat  
 praestans levamenta,  
 Ne tangamus, petimus,  
 Orci pavimenta.
11. Raphael, qui nuntias  
 nostra vota caelis  
 Et Tobiae fueras  
 in via fidelis  
 Et per fel pisciculi  
 caecitatis telis  
 Tobiam salvaveras,  
 nos sanare velis.
12. Angeli, archangeli,  
 potestates, throni,  
 Cherubim et Seraphim  
 senesque coloni,  
 Ad orandum Dominum  
 prece sitis proni,  
 Ut simus participes  
 sempiterni boni.
13. Prophetarum maxime,  
 Johannes Baptista,  
 Apud Christum Dominum  
 orans pro nobis sta,
- Ne nos prenda miseris  
 priscus agonista,  
 Sed fruamur gloria  
 spolia post ista.
14. O dilecti Domini  
 sancti patriarchae,  
 Quos salvavit Dominus  
 per tutelam archae,  
 Fundite precamina  
 Domino jerarchae,  
 Ut coelestis patriae  
 simus commonarchae.
15. Futurorum scioli,  
 vos sancti prophetae,  
 Qui cum Deo famini,  
 preces jam praebete,  
 Veteris ut aucupis  
 transvolemus rete,  
 Carpentis confugium,  
 cujus non sunt metae.
16. Petre, coeli claviger,  
 qui potes ligare  
 In terra ac solvere,  
 pro nobis precare,  
 Ut nobis peccamina  
 velit condonare,  
 Qui tibi condoluit,  
 cum feres amare.
17. Vas electum Domini,  
 o beate Paule,  
 Cum: quid me persequeris,  
 dixit, Saule, Saule,  
 Christus, ejus factus es  
 agnus sanctae caulae,  
 Coeli nobis impetra  
 mansionem aulae.
18. O per crucem redimens  
 gaudium Andrea,  
 Plebem firmans triduo  
 suspensus in ea,  
 Roga tuum Dominum,  
 criminis ne rea  
 Segregemur anima  
 sanctorum chorea.

19. Johannes apostole,  
Christo praedilectus  
Et in coena recubans  
ejus supra pectus,  
Hunc roges, qui latus est  
lancea transjectus  
In cruce, ne perimat  
nos Satan dejectus.
20. Praetoris officium  
gerens theloneo,  
Matthaeae, apostolus  
vocatus a Deo,  
Roga, qui vocavit te,  
advocemur eo,  
Quo nos non afficiat  
lupus neque leo.
21. O sancti apostoli,  
qui per mundum missi  
Praedicastis gaudii  
jacturam amissi  
Nec per ullam haeresim  
exstitistis fissi,  
Nos transferri facite  
fluvium abyssi.
22. O Christi discipuli,  
qui mundum spreveristis  
Et salutis monita  
jugiter audistis  
Et audita reliquos  
digne docuistis,  
Facite, ne premat nos  
Orei turba tristis.
23. Baptizati sanguine  
sancti innocentes,  
Quos Herodes necuit  
ubera lactentes,  
Et, quocumque ierit,  
agnum jam sequentes,  
Hunc pro nobis petite  
ad thronum canentes.
24. Gloriose Stephane  
lapidantes passus,  
Nec pro lapidantibus  
orans eras lassus
- Atque Christum cernere  
coelo stantem fassus,  
Non sit pro petentibus  
sermo tuus cassus.
25. Oswalde, rex inclitus  
et martyr insignis,  
Eja, Christum rogit  
precibus benignis,  
Ut nos a spiritibus  
conservet malignis,  
Ne nos ardor opprimat  
infernalis ignis.
26. Laurenti, craticulae  
coronate lauro,  
Dispersis pauperibus  
opibus et auro,  
Roga Christum, servet nos  
a nequam centauro,  
Ut fruamur denique  
coelesti thesauro.
27. Cui fontem innuit  
agnus pede, Clemens,  
Cujus festis singulis  
maris unda vehemens  
Refugit, ut quaerant te  
claudus, caecus, demens,  
Fac, sit nobis proximus  
Agnus Dei clemens.
28. O pastor egregie,  
Archipraesul Thoma,  
Christo praebens victimam  
carneum in coma  
Ad altare Domini  
et sub ejus doma,  
Da pro nobis Domino  
precatu aroma.
29. O vos sancti martyres,  
effuso cruore  
Coronati gloria  
laudis et honore,  
Satiari facite  
nos coeli dulcore,  
Angelos qui reficit  
consueto more,

30. Praesul par apostolis,  
o sancte Martine,  
Ad Deum et homines  
viae sequax binae,  
Cui non nocuerant  
infestantes minae,  
Roga Deum, salvet nos  
a lapsu ruinae.
31. Nicolae pontifex,  
qui tres liberasti  
De mortis angustia  
et tres maritasti  
Inconsultas virgines,  
preces summo plasti  
Funde, quod ab ore nos  
servet lacus vasti.
32. Benedicte nobilis,  
monachorum lumen,  
Qui compescens Satanam  
carnis per legumen  
Asperum, oraveras  
trinitatis numen,  
Roga Deum, et nos non  
comprimat alumen.
33. O confessor nobilis,  
pontifex Edmunde,  
Pro Christi ecclesia  
perferens abunde  
Damnium et exsilium,  
preces Deo funde,  
Ne morti post obitum  
tradamur secundae.
34. Sequax castimoniae,  
sancte praesul Hugo,  
Quem non inquinaverat  
titilans lanugo,  
Fac, quod nostra rasa sit  
criminis ferrugo,  
Ne post mortem animam  
corrodat aerugo.
35. Recusantes terrea  
sancti confessores,  
Contemplantes coelica  
carnis contemptores,
- Facite, quod conterat  
nostros subversores  
Christus, qui nos redimens  
sustulit dolores.
36. O vos, sancti monachi,  
laudibus adstantes,  
Pro nobis et ceteris  
vota Deo dantes,  
Per vestra suffragia  
sitis nos salvantes,  
Ne hoc mari fluido  
simus naufragantes.
37. O fugaces hominum  
mites eremitae,  
Habitantes eremum,  
ut sepulta lite  
Toti sitis compotes  
contemplantis vitae,  
Per vos hostis careat  
nostra Sunamite.
38. Contemplatrix coelicae  
vitae Magdalena,  
Laudanda peccantibus  
dulci cum camoena,  
Ubi sonant organa,  
cantat philomena,  
Per te nos suscipiat  
Christus ad amoena.
39. Quae vicisti rhetores  
quaestione mota,  
Katharina, ferrea  
quam torquebat rota,  
Pro nobis supplicibus  
Christo funde vota,  
Ut sit a tortoribus  
anima semota.
40. Virgo fide stabilis,  
Sancta Margareta,  
Hostem spernens invidium,  
virtute repleta,  
Rogita clementiam,  
cujus non est meta,  
Ut iniqui iudicis  
salvet nos a theta.



41. Deo carnem offerens,  
 Agnes dire torta,  
 Dum spernis conjugium,  
 duceris ad scorta,  
 Quo lux necans impios  
 coelitus est orta,  
 Fac, sit nobis patula  
 jam coelestis porta.
42. O sancta Caecilia,  
 facie venusta,  
 Sed fide venustior,  
 Mundo, Deo justa,  
 Quod uterque petit dans,  
 pro supplicibus sta  
 Nobis, ne nos noceat  
 barathri locusta.
43. Sectatrix munditiae  
 virginum caterva,  
 Agno sine macula  
 preces coacerva  
 Et virtutem zabuli  
 precibus enerva,  
 Ne nos truculentia  
 deprimat proterva.
44. O matronae nobiles,  
 coelorum matronam  
 Exorantes petite  
 jam per mentem bonam,  
 Ut per eam Dominus  
 det nobis annonam,  
 In coelis restituens  
 centuplam coronam.
45. O puellae nobiles,  
 o vos defloratae,  
 Matrem Dei petite,  
 Magdalenae date  
 Preces, ut ad Dominum  
 plenum pietate  
 Instantes pro nobis sint  
 in necessitate.
46. O vos omnes coelibes  
 Christi speciales,  
 Vos pulsate, petimus  
 Aures divinales,  
 Ut regni participes  
 simus nos sodales,  
 Ne nos tandem terreant  
 larvae stygiales.
47. O Deus omnipotens,  
 a quo cuncta cerni  
 Constat et, antequam sunt,  
 ideas discerni,  
 Amnis, ignis, aeris,  
 telluris, falerni,  
 Serva tuos famulos  
 ab imbris Arverni.
48. Jam lector amplecteris  
 finem letaniae,  
 Dicas sic ad Dominum  
 voto mentis piae:  
 Nos et hunc, qui scripsit hoc,  
 unicus Mariae  
 Filius custodiat  
 in suprema die.

Cod. Oxoniens. Rawlins. C. 510. saec. 13. — 28, 4 Lies Carneum in-coma? oder cerebrum in coma? oder carneam in coma? — Dafs diese *Litanei* von einem englischen Dichter herrührt, braucht wohl nicht bemerkt zu werden.

### 131. De Omnibus Sanctis.

1. Ave, summa trinitas,  
 Omnis per te sanctitas  
 Mibi Largiatur,  
 Ave, virgo virginum,  
 A me per te criminum  
 Culpa deleatur.
- Virtus mihi Michael,  
 Gabriel et Raphael,  
 Per vos dirigatur,  
 Per cunctosque spiritus  
 Divos mihi coelitus  
 Salus augeatur.

- |   |   |
|---|---|
| <p>2. Ave, apostolica<br/>         Cohors et prophetica<br/>         Et patriacharum;<br/>         Adsit quoque medicus<br/>         Chorus et theoreticus<br/>         Evangelistarum,<br/>         Adsint et discipuli,<br/>         Contemptores saeculi<br/>         Et rerum cunctarum,<br/>         Omnes pro me fundite<br/>         Preces et me cingite<br/>         Donis gratiarum.</p> <p>3. Ave, innocentium<br/>         Turba morientium<br/>         Pro Christo, beata<br/>         Turba, ave, niveo<br/>         Candore et rubeo<br/>         Martyrum ornata.<br/>         Per vestra martyria<br/>         Mater est ecclesia<br/>         Pulchre purpurata,<br/>         Pro vestra victoria<br/>         Mihi dentur gaudia<br/>         In coelis optata.</p> | <p>4. Ave, o pontificum<br/>         Cohors et mirificum<br/>         Agmen monachorum,<br/>         Adsint eremicolae<br/>         Et omnes deicolae<br/>         Legis confessorum;<br/>         Occurrant et virgines,<br/>         Viduarum ordines<br/>         Et conjugatorum,<br/>         Omnes me attendite,<br/>         Pro me preces edite<br/>         Principi coelorum.</p> <p>5. Ave, turba omnium<br/>         Civium coelestium,<br/>         Qui regnant cum Deo;<br/>         Propter mea vitia<br/>         Ad vestra suffragia<br/>         Supplex ego fleo,<br/>         Pro me intercedite<br/>         Placatumque reddite<br/>         Deum mihi reo,<br/>         Sim in coeli solio<br/>         Vobiscum in gaudio<br/>         Et cum Jesu meo.</p> |
|---|---|

Cod. Mellicensis 932 saec. 15. A. — Cod. Carlsruhan. Augien. 36. saec. 14/15.  
 B. — 1, 3 Mihi fehlt A. — 1, 6 Culpa fehlt B. — 1, 8 et fehlt A. — 1, 10  
 que fehlt A. — 1, 11 Dives A. — 1, 12 Semper augeatur A. — 2, 4 Adsit  
 quoque fehlt B; modicus B. — 2, 11 me ungite B. — 3, 1 innocentia B. —  
 3, 2 morientia. — 3, 4 Ave turba B. — 3, 5 Candoreque B. — 2, 7 bis  
 9 fehlen B. — 2, 11 Nobis dentur A. — 4, 4 Adsint et heremicolae B. —  
 4, 5 Omnesque B. — 4, 7 Occurrantque B. — 5, 3 Regnat quae cum B. —  
 5, 5 Placatumque B. — Das Lied steht bei Mone III, 8 sq., aber lückenhaft,  
 weshalb es hier wiederholt ist.

### 132. Litania Omnium Sanctorum.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Clemens pater, verbi sator,<br/>         Christe, saeculi reformator,<br/>         Paraclite consolator,<br/>         Deus, clemens miserator,</p> <p>R<sup>o</sup>. Da ut omnis plebs sanctorum<br/>         Te imploret atque horum<br/>         Audi voces, rex coelorum.</p> <p>2. O decore rex coelestis,<br/>         Da solamen vitae maestis,<br/>         Ut post hujus finem pestis<br/>         Intersimus tuis festis.</p> | <p>3. O Maria, florens rosa,<br/>         Virgo Jesse fructuosa,<br/>         Nobis prece gloriosa<br/>         Regna pande liliosa.</p> <p>4. O phalanges angelorum,<br/>         O custodes viatorum,<br/>         Inter odas beatorum<br/>         Nos transferte gaudiorum.</p> <p>5. O praecones summi regis,<br/>         Servatores scriptae legis,<br/>         Patriarchae cum prophetis,<br/>         Nobis pie suffragetis.</p> |
|--|--|

6. O praecursor claritatis,  
O baptista veritatis,  
Te poscentem pro peccatis  
Ora fontem pietatis.
7. Sancte Petre, pastor bone,  
Summo gregi nos appone,  
Paule doctor, orbis lumen,  
Coeli nobis placata numen.
8. O coelorum senatores  
Atque orbis decursores,  
In extremis adjuutores  
Sentiamus, non tortores.
9. O cruore purpurati,  
Christo duce laureati,  
Vestra prece decorati  
Collaetemur coronati.
10. O beati confessores,  
Mundanorum contemptores,  
Paradisi per vos flores  
Consequamur et honores.
11. O decorae et prudentes,  
Castitate redolentes,  
Opem ferte, repellentes  
Impudicae vitae sentes.
12. Omnes sancti, vos rogamus,  
Ut oretis, supplicamus,  
Ne confusi pereamus  
Sed vobiscum gaudeamus.
13. O sanctorum rex benigne,  
Sempiterna laude digne,  
Vitorum nos ab igne  
Munda, sacro replens igne.
14. Pater, Verbum, sanctum flamen,  
Electorum tu juvamen,  
Nobis pium da solamen  
Et aeternum regnum. Amen.

Cod. Cantabrigen. Ff. VI 14. saec. 13. — 1, 5 bis 7 kehren als Rundreim nach jeder Strophe wieder. — 4, 2 custodes beatorum. — 5, 3 a prophetis. — 14, 2 Electorum in juvamen.

### 133. Litania Omnium Sanctorum.

1. Deus pater, qui creasti  
Mundum et illuminasti,  
Suscipe me poenitentem  
Et illustra meam mentem.
2. Fili Dei, Jesu Christe,  
Ad te venit reus iste,  
Qui in coeli sedes arce,  
Supplicanti mihi parce.
3. Sancte, spiritus, tuorum  
Consolator miserorum,  
Respice me peccatorem  
Infundens tuum amorem.
4. Deus unitas superna  
Trinitasque sempiterna,  
Ut intendam tuae laudi,  
Meos gemitus exaudi.
5. Dei genitrix, Maria,  
Virgo clemens atque pia,  
Ora pro me peccatore,  
Ornans me virtutum flore.
6. O Maria, Deo cara,  
Stella lucens et praeclara,  
Confer mihi caritatem  
Necnon et humilitatem.
7. Fac me tibi deservire  
Et in te vitam finire,  
Ut per te justificari  
Possim, per te et salvari.
8. Michael, victor draconis  
Pietatisque praedonis,  
Volentem mihi nocere  
Fac omnino non valere.
9. Gabriel, nuntie Christi,  
Cujus ortum praedixisti,  
Obsecro, mihi dignare  
Mortem meam nuntiare.
10. Raphael, medicamentum,  
Tu salus atque fomentum,  
Medere meo languori,  
Ut sim gratus salvatori.

11. Ad tua nunc praesidia  
Cordis levo suspiria,  
Cujus mihi custodia  
Datur superna gratia.
12. Toto mentis conamine  
Precor te, sancte angele,  
Ut tuo sim juvamine  
Securus et solamine.
13. O vos omnes angelorum  
Conventus sanctissimorum,  
Precor, ut me animetis  
Et in bono confortetis.
14. O Johannes, praeco regis,  
Primus testis novae legis,  
Fac, ut parem viam Christi,  
Quam docere voluisti.
15. O celsi patriarcharum  
Ordines et prophetarum,  
Apud coeli regem Christum  
Excusate reum istum.
16. Signifer apostolorum,  
Petre, princeps ceterorum,  
Dilue mea peccata  
Potestate tibi data.
17. Paule, doctor veritatis,  
Lux totius pietatis,  
In me, si placet, intende  
Et auxilium impende.
18. Andrea, crucis amator,  
Sanctitatis praedicator,  
Ut laborem non in vanum,  
Laboranti praesta manum.
19. Johannes, Christi dilecte,  
Ipsius matrem inflecte,  
Ut audiat meas preces,  
Diluens immundas faeces.
20. Sancte Dei Martialis,  
Munda me a cunctis malis,  
Ut possim placere Christo,  
In cujus conspectu sisto.
21. Apostoli Jesu Christi,  
Cui vos credo adsisti,  
A malo me liberate  
Et in hono confortate.
22. Stephane, culmen honoris,  
Primus testis salvatoris,  
Adjuva me laborantem,  
Qui vidisti Jesum stantem.
23. Laurenti, fortis athleta,  
Qui coelorum vides laeta,  
Me confirma in virtute  
Ut non priver hac salute.
24. Vincenti, strenue miles,  
Qui de Christo nunquam siles,  
Auxilium mihi praesta,  
Ne me turbet mors infesta.
25. Sancte martyr o Quirine,  
Apta me legi divinae,  
A cohorte tu proterva  
In aeternum me conserva.
26. Chrysogone, martyr alme,  
Laureatus ramis palmae,  
Christo, precor, me commenda  
Hora mortis in tremenda.
27. Felix martyr o Castori,  
Semper adstans creatori,  
Praebe mihi sublevamen,  
Quando ducar ad examen.
28. Testis Christi, sancte Vite,  
Qui complesti legem rite,  
Duc me post hunc incolatum  
Ad felicitatis statum.
29. O vos omnes gloriosi  
Martyres et pretiosi,  
Adjuvate me captivum  
Et sanate semivivum.
30. Jeronyme gloriose,  
Ecclesiae bellicose,  
Qui corruscas ut aurora,  
Juva me in mortis hora.
31. Mitem me fac et humilem,  
Da virtutes, fuga crimen,  
Ut sequar, sicut fuisti,  
Callem gressus Jesu Christi.
32. Martine, gemma pastorum,  
Lucerna catholicorum,  
Tibi supplico, dignare,  
Pro me Deum exorare.

33. Nicolae, vir fidelis,  
Tu praecellens es in caelis  
Sicut fulges deitate,  
Sic me dita pietate.
34. O beate Benedicte,  
Gregis Dei dux invicte,  
Perduc me ad viam rectam  
Regionemque electam.
35. Omnes sancti confessores,  
Legis Dei defensores,  
Me juvate vos sequentem  
Quasi jam deficientem.
36. O Maria Magdalena,  
Pietate Dei plena,  
Summo regi me praesenta,  
Cui servis tam attenta.
37. Agatha tu et Lucia  
Matre sancta cum Maria,  
Ferte pro me Deo preces,  
Ut peccati tollat faeces.
38. Agnes, virgo gloriosa,  
Fulgens atque pretiosa,  
Flecte mihi salvatorem,  
Pro quo fudisti cruorem.
39. Caecilia Deo grata,  
Rosis veris coronata,  
Jesum flecte et exora,  
Ut sim felix mortis hora.
40. O martyr Anastasia,  
Ignes passa pro Messia,  
Hunc, beata, roga Deum,  
Ut emundet pectus meum.
41. Ave mea advocata,  
Dorothea, sis rogata,  
Ut defectus et peccata  
Per te a me sint ablata.
42. O beata Margareta,  
Coeli tenes quae secreta,  
Firma me nunc vacillantem  
Et firmatum tene stantem.
43. Ave, Barbara praeclara,  
Jesu Christo semper cara,  
Praebe Mihi auxilium,  
Cum ducar ad iudicium.
44. Sancta martyr Katharina,  
Praefulgens Christi doctrina,  
Deprecare sponsum tuum,  
Ne condemnet servum suum.
45. Scholastica, sponsa Christi,  
Grata semper cui fuisti,  
Iter meum para tutum  
Per orationis scutum.
46. Omnes virgines sacratae,  
Regi magno copulatae,  
Offerte me, quaeso, sponso,  
Cum venerit in absconso.
47. Domine Jesu, tuorum  
Propter merita sanctorum,  
Ut sim totus mundus corde,  
Munda me ab omni sorde.
48. Da gratiam in praesenti,  
Da veniam poenitenti,  
Gloriam da in futura  
Vita, qua est pax segura.
49. Omnes in te baptizatos,  
Per peccatum inquinatos,  
Perduc ad confessionem  
Conferque remissionem.
50. Requiem aeternam cunctis  
Da fidelibus defunctis,  
Ne damnentur in fornace  
Sed requiescant in pace.

Cod. Mellicen. 932. saec. 15. A: Finit feliciter letania Domini Francisci Petrarchae de omnibus sanctis, poetae laureati, collecta in monasterio Lunaelacensi seu Monse post Saltzburgam per fratrem humilem S. W. de F. Anno Domini 1481.

Cod. Palat. Vindobonen. 4089 c. a. 1460. B. — Litania de omnibus sanctis Francisci Petrarchae, poetae laureati et eximii.

Cod. Palat. Vindobonen. 1855 saec. 15. C. — „Oratio sancti Petri de Luxemburg Cardinalis, qui obiit Avenione anno 1387, in qua rhythmica apostolorum postremus Martialis, Lemovicensium ille primus episcopus, medio demum saeculo 3. Roma missus, ita adpellatur: Sancte Dei Martialis etc.“ Denis I III p. 3130 sq.

Brev. ms. Arremareuse saec. 15. Cod. Parisien. 1063 D: Oratio sancti Cardinalis.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. E: Incipiunt psalmi poenitentiales cum letania Francisci Petrarchae, poetae laureati et eximii.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. F: Incipit litania Francisci Petrarchae, poetae laureati et eximii.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. G: Letania alia de omnibus sanctis Francisci Petrarchae, poetae laureati et eximii, sollemnis.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin. 19636 saec. 15. H: Litania Petrarchae poetae laureati et eximii.

Orat. ms. Sangallense 520 saec. 15. I.

Orat. ms. saec. 15/16. Cod. Bruxellen. 10389. K: De sancto Petro Luxemburgensi, wo de soviel heissen soll als auctore.

Cod. Casanaten. D V 16 (884) saec. 17. L: Oratio beati Petri de Luxemburgo Cardinalis. Apud Avenionem requiescit.

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Londinen. Burn. 336. M.

20, 1 Serve Dei Martialis K. — 21, 4 bono confirmate B. — 23, 3 Me conforta B. — Die ersten neun Strophen fehlen A.

### 134. De Omnibus Sanctis.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. Redemptor noster Domine,<br/>Qui passus es pro homine,<br/>Nostra peccata hodie<br/>Dele pro tuo nomine.</p> <p>2. Salve, regina virginum,<br/>Quae genuisti Dominum,<br/>Hunc pro salute hominum<br/>Ora, mater omnium.</p> <p>3. Salve cum tuis angelis,<br/>Michael venerabilis,<br/>Juvamen miserabilis<br/>Plebs petit et instabilis.</p> <p>4. Salve cum sanctis patribus<br/>Omnibus atque vatibus,<br/>Baptista, nos suavibus<br/>Coelorum eiba dapibus.</p> <p>5. Salvete terrae principes,<br/>Venturi quoque iudices,<br/>Regni Dei participes<br/>Nos faciatis pauperes.</p> | <p>6. Salve, felix societas<br/>Martyrum, vestra dignitas<br/>Nos protegat et pietas,<br/>Ne maculet iniquitas.</p> <p>7. Salve cum confessoribus,<br/>Martine, et doctoribus,<br/>Nos ab inferni foribus<br/>Custodi et doloribus.</p> <p>8. Salve, turba virginum,<br/>Quae flores sicut lilium,<br/>Precare Dei filium,<br/>Ut tollat molem criminum.</p> <p>9. Tota coelestis curia,<br/>Salve, nos ab injuria<br/>Eripe et a furia<br/>Hostis, qui nutrit jurgia.</p> <p>10. Et post hanc vitam labilem,<br/>Brevem ac lamentabilem<br/>Nos semper fac amabilem<br/>Videre Dei faciem.</p> |
|--|---|

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20110. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19636. C. — B hat folgende Bemerkung: „Alia pulcherrima oratio de omnibus sanctis; et est in nota: Christum laudemus carmine, et est multum commendabilis.“

### 135. De Omnibus Sanctis.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Ave, numen, verum lumen,<br/>Summum bonum, tenens thronum,<br/>Rex aeternae gloriae,<br/>Qui es trinus et non minus<br/>Deus unus, da hoc munus,<br/>Tollas zima scoriae.</p> | <p>2. Eja Deus, Deus meus,<br/>Me dignare visitare<br/>Atque benedicere,<br/>Promovere et fovere,<br/>Conformando ac salvando<br/>In meque adspicere.</p> |
|---|---|

3. Me convertens et avertens  
Pestem diram, omnem iram,  
Summa, vera trinitas,  
Fac me tibi hic et ibi  
Gratulari, collaetari,  
Simplex una deitas.
4. Me, o Jesu, tui esu  
Tisque truce morte cruce  
A malis eripias,  
Tua arma mihi parma  
Sint et scutum, flos virtutum,  
Tandem me suscipias.
7. Atque tecum ut tu secum  
Me dignare tunc regnare,  
Qui et suis largiter  
Post hanc vitam hic finitam  
Multa donat et coronat  
Laurea perenniter.
5. O Maria, mater pia,  
Parens Dei, mater spei,  
Sanctorum sanctissima,  
Me curando, consolando  
Praemunire, custodire  
Digneris piissima.
6. Turma cuncta Deo juncta,  
Sempiterno in superno  
Mihi sis propitia,  
Tuis alis me a malis  
Protegendo, comprimendo  
Hostes, tolle vitia.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

### 136. De sanctis Angelis.

1. Ad vos, coelestes spiritus,  
Summi regis exercitus,  
Humiliter confugio  
Salutis desiderio.
2. Vos clari super sidera  
Me sordidum per scelera  
Nolite, quaeso, spernere  
A vobis nec repellere.
3. O Michael, prae ceteris  
In arce fulgens aetheris,  
Meis intende precibus,  
Ut tuis instem laudibus.
4. Paradisi praeposite,  
Christi bellator inclite,  
Me semper muni debilem  
In hostem invisibilem.
5. O Gabriel, coelestia  
Qui detulisti gaudia  
Per Dei fortitudinem  
Ad illibatam virginem,
6. Te gloriosum praedico,  
Ut me confortes, supplico,  
Per tuam da clementiam  
Maesto mihi lactitiam.
7. O medicina Domini,  
Esto succurrens homini,  
O Raphael benignitas,  
Tua me sanat caritas.
8. Tobiae comes optime  
Et custos fidelissime,  
Me crebro lapsus erige  
Gressusque meos dirige.
9. Ad tua nunc praesidia  
Corde levo suspiria,  
Cujus mihi custodia  
Datur superna gratia.
10. Hucusque per carnalia  
Me foedans desideria  
Tibi parere nolui  
Honorem nec exhibui.
11. Jam revertentem suscipe  
Et poenitentem recipe,  
A fauce diabolica  
Virtute regens coelica.
12. Toto mentis conamine  
Precor te, sancte angele,  
Ut tuo sim munimine  
Securus et solamine.

- |  |   |
|--|---|
| <p>13. Omnes coetus angelici,<br/>Voce deosco supplici,<br/>Ut in conspectu Domini<br/>Juvare me dignemini.</p> <p>14. Cum peccator convertitur,<br/>Ut manifeste legitur,<br/>De ejus poenitentia<br/>Vobis erit laetitia.</p> <p>15. Sic ergo et vos agite<br/>Pro me sic intercedite,<br/>Ut mihi sit salvatio<br/>Et vobis exsultatio.</p> <p>16. Emundatum a sordibus<br/>Ornate me virtutibus,<br/>Ut omni rectitudine<br/>Vestro firmer juvamine.</p> | <p>17. Ad metam cum pervenero,<br/>Quam transgredi non poterō,<br/>Ibi mihi succurrite<br/>Et procul hostes pellite.</p> <p>18. Per vos regina gloriae,<br/>Mater misericordiae,<br/>Quae potens est et humilis,<br/>Fiat mihi placabilis.</p> <p>19. Hanc placando poteritis<br/>Obtinere, quae petitis,<br/>Et ejus me dignatio<br/>Salvabit absque dubio.</p> <p>20. Honor et benedictio<br/>Tam purae matris filio,<br/>Regnanti sine termino<br/>Sit angelorum Domino.</p> |
|--|---|

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 4076. saec. 15. B. — Cod. Palat. Vindobon. 4089 anni 1460. C. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20 123. D. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19363. E. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. F.

2, 4 Nec a vobis B. — 4, 4 Contra hostem A. — 6, 3 Tua praestet clementia B. — 7, 2 Aegroto succurrens homini CD. — 7, 3 O fehlt in allen Hss. — 7, 4 Me tua sanet AD. — 8, 3 retro lapsum A. — 9, 3 Qui mihi pro A. — 9, 4 In baptismi datus est gratia A. — 10, 2 Mea desideria A. — 10, 4 Nec honorem BC. — 11, 1 Nunc revertentem BC. — 11, 4 regnes A. — 12, 2 Benigne precor domine A. — 12, 3 juvamine BC. — 13, 4 Me juvare B. — 14, 1 Malus cum convertitur A. — 14, 2 Ut aperte legitur A. — 14, 3 Hujus de poenitentia A. — 14, 4 Vobis est A. — 15, 1 ergo nunc vos A. — 15, 2 Et pro me intercedite A. — 16, 3 Ut fiat exsultatio A. — 16, 4 Vobis mea salvatio A. — 19, 1 placare B. — 19, 2 Obtinendo B. — 20, 1 Gloria benedictio A.

### 137. De sanctis Angelis.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Angelici spiritus<br/>omnes o beati,<br/>Novem in ordinibus<br/>mire collocati,</p> <p>2. Ruentibus plurimis<br/>tute praeservati,<br/>Nobis in auxilium<br/>estote parati.</p> <p>3. Et quia clementia<br/>vos sola divina<br/>Ab hac apostatica<br/>servavit ruina,</p> | <p>4. Merito pro gratia<br/>tanta creatori<br/>Et vestro in gloria<br/>fideli tutori</p> <p>5. Estis in perpetuum<br/>sine fine grati<br/>Et in innocentia<br/>ita confirmati,</p> <p>6. Quod peccare minime<br/>vultis nec potestis,<br/>Securi de gloria<br/>vestra semper estis.</p> |
|---|---|



7. De beatitudine  
vitae vobis data  
Et de certitudine  
vobis hinc collata
8. Nequaquam valebitis  
in aevum moveri,  
Nec ullis poteritis  
hostibus terreri.
9. Sicut infidelitas  
in vobis et nulla,  
Sic neque crudelitas  
praevalebit ulla.
10. Omnes a principio  
vos immaculati,  
Fideles et incliti,  
Deo copulati;
11. Sibi juxta placitum  
laeti servientes  
Et ejus in jubilo  
faciem videntes,
12. Et cum ad nos pauperes  
missi declinatis,  
Ut nos a spiritibus  
malis defendatis,
13. Nequaquam privamini  
Dei visione  
Nec ejus fraudamini  
tunc fruitione.
14. Mente semper alacres  
estis atque mundi,  
Pulchri et amabiles,  
juvenes jucundi.
15. Quam consolatorii  
sitis et quam boni,  
Opem et praesidium  
conferre quam proni,
16. In tentationibus  
nostris experimur,  
Dum vestro juvamine  
in pugna munimur.
17. Carne nostra fragili  
cito vinceremur,  
Si vestro munimine  
non circumdaremur.
18. Heu, quam nostris cordibus  
sumus obscurati,  
Quod non vobis amplius  
de his simus grati.
19. Sed vos patientiam  
in hoc habeatis,  
Opem nobis miseris  
nunquam subtrahatis,
20. Nostras ante Dominum  
preces praesentetis  
Et Mariam virginem  
pro nobis oretis,
21. Quae est mundi domina,  
regina coelorum,  
Hominum et omnium  
rectrix angelorum.
22. Ut sic per angelicos  
vos mediatores  
Levemur ad coelicos  
inhabitatores,
23. Ubi de terrigenis  
multae sublevatae  
Gaudent cum coelicis  
animae beatae.
24. Ibi gratitudinis  
carmina canemus  
Atque Deo gratias  
de vobis agemus.
25. Bona nobis nuntia,  
Gabriel, futura,  
Sauciata, Raphael,  
corda nostra cura.
26. Saeva, sancte Michael,  
remove tormenta  
Atque nostras animas  
Deo repraesenta.
27. Benedictus Dominus,  
qui vos sic creavit,  
In beatitudine  
taliter firmavit,
28. Ut vobis non opus sit  
quidquam formidare,  
Possitis et pauperes  
nos hic adjuvare.

29. Laus, honor et gloria  
Deo sit deorum  
In omnia saecula,  
regi saeculorum.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Colonien. 7.

138. De sanctis Apostolis.

1. O Petre beatissime,  
Apostolorum maxime,  
Me in fide catholica  
Tua prece consolida.
2. O Paule, mundi liliū,  
Praesta mihi auxilium,  
Spem firmam mihi impetra  
Contra mundi discrimina.
3. O Andrea piissima,  
Vota precantis suscipe,  
Et caritatis geminae  
Reple mentem dulcedine.
4. O Jacobe, accelera  
Mea piando scelera,  
Mundans dono justitiae  
A fermento malitiae.
5. O Johannes castissime,  
O tu Christo carissime,  
Dona mihi prudentiam  
Et castam conscientiam.
6. O Philippe, os lampadis,  
Erue me a tenebris  
Virtutum lustrans lumine  
Muni me fortitudine.
7. O Jacobe, Jerusalem  
Fac me poli participem  
Coronans temperantia  
Cum sanctitatis gratia.
8. O princeps apostolice,  
Bartholomaeae domine,  
Mala mea mortifica,  
Quae bona sunt, vivifica.
9. O Matthaee, ne differas  
Fugare res mortiferas,  
Voluptates carnalium,  
Dans dona spiritalium.
10. O Thoma, tu qui vulnera  
Palpasti salutifera,  
Tu sana plagas pectoris  
Coelestis rore nectaris.
11. O Simon beatissime,  
Norma obedientiae,  
Da per precum potentiam  
Veram obedientiam.
12. O Juda Christum confitens,  
Cor mihi dona poenitens  
Cum fructu poenitentiae,  
In bonis permanentiae.
13. O Matthia, qui meritis  
Conjunctus es apostolis,  
A cunctis salva pestibus,  
Conjunge nos coelestibus.
14. Vos quemque singulariter  
Omnesque precor pariter,  
Ut pro meis excessibus  
Oretis horis omnibus.
15. Omnes sancti apostoli,  
Mei vos miseremini,  
Vestra sancta memoria  
Me collocet in gloria.
16. O quam beata merita,  
Christi frui praesentia,  
Cujus audire dulcia  
Solebatis colloquia.
17. Vos mundi de tumultibus  
Elegit sibi Dominus,  
Qui meruistis cernere  
Deum verum in corpore.
18. Vos estis mundi lumina  
Super solem lucentia,  
Per quos fulget ecclesia  
Ut sol et luna splendida.

19. Cum filio vos hominis  
Hunc mundum iudicabitis,  
Me per vos salvum expeto  
In extremo iudicio.

Orat. ms. Sitanstettense s. n. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. bibl. Rossianae s. n. C. — Orat. ms. Augustanum saec. 15. Clm. Menacen. 7530. D. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2894. E. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Gandaven. 212 (37). F. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. G. — Orat. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Maguntin. II 343. H. — Orat. ms. Capit. Toletani 34—71. saec. <sup>15</sup>/<sub>16</sub>. I.

1, 3 Nos in fide B. — 2, 2 Praesta nobis B. — 2, 3 Et spem mihi D: nobis impetra B. — 2, 4 Contra fehlt B: Ante mundi CD. — 3, 2 precantum B. — 3, 3 germine B. — 3, 4 mentes B. — 4, 1 Mea dele scelera A: Mea mando [1: mundando] scelera B; pianda D; Tentata pelle bellica C. — 4, 3 Mihi dans dona A; Mundus domus B; Me a fumento malitiae C. — 4, 4 A fluento B; A fomento A; Scelera mundans dono iustitiae C. — 5, 2 Ortu Christo B, Jesu Christo A. — 5, 3 Da mihi A; Da nobis B; Dona nunc C. — 6, 2 Evacua me a ABD. — 6, 4 me fehlt B. — Str. 7 und 4 vertauscht D. — 7, 2 Fac nos B. — 7, 3 Ornatus temperantia A. — 8, 3 Mala nostra B. — 9, 4 dona fehlt B. — 13, 3 salva precibus B; solve pestibus D; A fehlt C. — 13, 4 Coniunge nos B; hierauf folgt in AD:

O Maria Magdalena,  
Gratia divina plena,  
Apostolorum apostola,  
Salutem nobis impetra.

In B trennt die nun folgenden Strophen die Aufschrift: „Alia oratio de apostolis.“ — Str. 14 fehlt C. — 14, 3 pro nostris B. — 15, 2 Vos nostri B. — 15, 4 Nos colloceat B. — Str. 16 fehlt A. — 17, 2 Elegit pius Dominus A; Elegit fide Dominus C. — 17, 4 Verum Deum C; Dominum nostrum in A. — 18, 4 sol de luna B; fulgida D. — 19, 3 Me per vos salvum peto A; Per vos salvari postulo C.

139. Oratio ad omnes Apostolos.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Alme Petre, haerens petrae<br>Qui petram aedificas,<br>Me de poena mortis taetrae<br>Trahe ac resuscitas.          | 5. O Petre, dux ecclesiae,<br>Sordes meae miseriae<br>Aufer, pastor egregie,<br>Da mihi bona gloriae.         |
| 2. Petrus, Cephas, Simon dictus,<br>Firmus, capax, obediens,<br>Per me semper benedictus<br>Sit et me sit custodiens. | 6. O Paule, doctor gentium<br>Et speculum credentium,<br>In coetum contemplantium<br>Me duc et congaudentium. |
| 3. Petrus, firmans ecclesiam<br>Suis magnis miraculis,<br>Det mihi suam gratiam,<br>Me tollens a periculis.           | 7. O Andreas, Petri frater,<br>Christi primicerius,<br>Esto mei, quaeso, pater,<br>Dans mihi cor purius.      |
| 4. Petrus, forma sanctitatis,<br>Me defendat a peccatis<br>Et in regno claritatis<br>Ponat et tunc erit satis.        | 8. Tu qui de fonte bibisti<br>Omnis sapientiae,<br>Et idcirco tu scripsisti<br>Ordine scientiae,              |

9. Suscipi, Johannes, sine  
Preces meas, obsecro,  
Quia tibi sine fine  
Corpus meum consecro.
10. Jacobus, Johannis frater,  
Zebedaei filius,  
Sit istius domus pater  
Et custos egregius.
11. Philippus, lampas lucida,  
Haeticorum stimulus,  
Sit mihi stella fulgida  
Et gratiarum cumulus.
12. O Bartholomaeae fortis,  
Magne Christi praedicator,  
Trahe me de portis mortis,  
Ut sim coeli habitator.
13. O Thomas, magister docte,  
Qui non cito credidisti,  
Tolle me de faecis nocte,  
Firmans me in fide Christi.
14. Homo lucis, o Jacobe,  
Alphaei clare fili,  
Fac, ut non loquar improbe,  
Sed cum modo subtili.
15. O Matthaee, scriptor Dei,  
Mundi qui sprevisi vana,  
Esto memor semper mei  
Atque mentem meam sana.
16. Fratres Simon et Thaddaeus,  
Vestros conjuncti agmine,  
Spiritus ut, prestent, meus  
Sit in superno cardine.
17. O Matthia, sorte datus  
Domini credentium,  
Fac, ut non sim elongatus  
A coetu gaudentium.
18. O Johannes, qui tinxisti  
Corpus Christi nitidum  
Et manum imposuisti  
Super caput lucidum,
19. Tinge, lava mentem meam  
Ab omni spurcitia,  
Ut laudare Deum queam  
Cum omni laetitia.
20. O Johannes, qui fuisti  
Jesu Christi praevisi,  
Et Johannes, qui scripsisti  
Ceteris sublimis,
21. Gubernate nos studenter  
In hoc mundo labili  
Et portate nos laetanter  
In regno laudabili.
22. O Maria Magdalena,  
Speculum ecclesiae,  
Fac ut mea mens sit plena  
Odoris et gratiae.
23. Michael, qui pugil fortis  
Diceris et vincis bella,  
Me deduc in coeli hortis,  
Ut evadam mortis fella.
24. Gabriel, qui laetus venis  
Consolari fiebiles,  
Esto mihi custos lenis,  
Ut sim inter humiles.
25. Raphael, qui medicina  
Diceris dominica,  
Plagas meas manu bina  
Sanans me laetifica.
26. Marce, fili Petri ducis,  
Nos alumnos, quos deducis,  
Redde fortes signo crucis  
Et consortes summae lucis.
27. O Lucas, lucis portitor  
Et animarum medice,  
Sis nobis lucis janitor  
Et cura nos pacifice.

Cod. Miscell. Patavin. (ol. S. Justiniae) 1328 saec. 14/15. — 1, 4 resuscitas  
später korrigiert in succurras. — 7, 1 O fehlt. — 14, 1 o fehlt.

140. De sanctis Apostolis.

1. Petre, princeps fidei  
et apostolorum,  
Cui claves traditae  
sunt regni coelorum,  
Me, pater, a vinculis  
solve peccatorum,  
Per te ut introeam  
gaudia sanctorum.
2. Paulc, doctor gentium,  
lux ecclesiarum,  
Peccatorum speculum  
et jubar praeclarum,  
Pater beatissime,  
fac me Deo carum,  
Quo me non absorbeat  
lacus tenebrarum.
3. Andrea mitissime,  
qui tormenta crucis  
Passus es viriliter,  
me consortem lucis  
Facias perpetuae,  
ut spretis caducis  
Rebus, dignus famulus  
fiam Christi ducis.
4. Jacobe, a Domino  
cum fratre vocatus  
Johanne, continuo  
fuisti paratus,  
Reliquisti omnia  
centuplum lucratus,  
Ora pro me, obsecro,  
Christo sociatus.
5. Johannes castissime  
cui commendavit  
Christus matrem virginem  
tibi que donavit,  
Subveni misericors  
mibi, quem prostravit  
Satanæ invidia  
atque subjugavit.
6. Thomas, dictus Didymus,  
Jesu tetigisti  
Resurgentis vulnera  
factusque fuisti
- Fidelis et credulus,  
me a nece tristi,  
Pater mi, custodias,  
mortem qui vicisti.
7. Jacobe justissime,  
filius Alphaei,  
Dictus frater Domini,  
custos esto mei,  
Longe fac hypocrisin  
a me pharisaei,  
Fac, quod nunquam separer  
a conspectu Dei.
8. Philippe, qui similem  
mortem salvatori  
Pertulisti moriens,  
mihi peccatori  
Obtine a Domino,  
quod, cum vado mori,  
Ab hinc me suscipiant  
angelorum chori.
9. Bartholomaeae pie,  
qui excoriatus  
Hic pro Dei gloria  
es et decollatus,  
Per te iudex omnium  
mihi sit placatus,  
Ne aeternos incidam  
infernî ploratus.
10. Matthaeae, dominici  
germinis relator,  
De theloneario  
factus praedicator,  
Sanctus per te spiritus,  
dulcis consolator,  
Meorum sit sensuum  
clemens gubernator.
11. Simon, care Domini,  
dictus Cananaeus,  
Huic mundo genuit  
te pater Alphaeus,  
Mole pressus scelerum  
te exoro reus,  
Mihi sit propitiûs  
per te iudex meus.

12. Thadace, Abagaro  
regi praedicasti  
Et cum suo populo  
ad fidem vocasti  
Eosque baptismatis  
lavacro mundasti,  
Aufer a me, pater mi,  
culpam protoplasti.
13. Matthia, dignissime  
Judae substitutus  
In Christi apostolum,  
juva me, quod tutus  
Semper sim, ne devoret  
me Satan versutus,  
Tuoque praesidio  
semper sim adjutus.
14. Barnaba, a spiritu  
sancto es electus,  
Verbi Dei nuntius  
cum Paulo directus,  
Rogo te, qui vitiis  
multis sum infectus,  
Fac, ut coram Domino  
simplex sim et rectus.
15. O patres ecclesiae,  
vestrum laudatorem  
Promovete precibus  
apud salvatorem,  
Quod per vos effugiat  
infernī dolorem  
Ac vobiscum sentiat  
coelicum ardorem.

Cod. S. Petri Salisburgen. a III 10. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3. saec. 15. B. — Cod. S. Petri Salisburgen. b II 30 saec. 15. C. — Orat. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11917. D. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19636. E. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV<sup>o</sup> 29. F. — Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948. G. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. H.

1, 1 Petre petra fidei AC. — 1, 2 Dux Christianorum AC. — 1, 3 Tibi claves F. — 2, 4 Jubarque F. — 2, 8 locus tenebrarum B. — 3, 1 sanctissime F. — 3, 2 tormentis F. — Str. 5 fehlt B. — 5, 1 carissime D. — 5, 4 Quando exspiravit F. — 5, 6 quod prostravit A. — 6, 2 Jesum ABCF. — 6, 8 Qui mortem BC. — 7, 1 justissimus A. — 7, 4 Memor esto BF. — 8, 6 ut cum F; vadam BC. — 10, 5 Sanctus pie A. — 12, 3 Et eum cum C. — Nach Str. 14 schiebt B ein:

Lucas, scriptor virginis et evangelista,  
Fac, ut non decipiat fallax me sophista,  
Nec maligna vulneret ejus me balista,  
Christum ut in patria laudem cum psalmista.

Marce, evangelii scriptor salvatoris,  
Fac, ut culpas abluam fletibus amoris,  
Tecum ut assideam sedibus praeclaris,  
Ubi cum coelestibus jugiter laetaris.

#### 141. De sanctis Apostolis.

1. Hic sursum pedibus moritur pendens cruce Petrus,  
Hic moritur Paulus, gladio perdens caput ejus.  
Plangitur Andreas hic, quem crucifixit Aegeas,  
Mortuus excusso Jacobus minor est cerebello.  
Mittitur in fervens oleum dolique Johannes,  
Transfigitur Didymus Thomas gladio moriturus.  
Hic sunt transfixi Simon, Judas simul isti,  
Erectis manibus occiditur ense Matthaesus.  
Sancte Matthia, mori vis feriente securi.  
Offert, summe Deus, tibi pellem Bartholomaeus.

Est pro te, Christe, crucifixus sanctus Philippus,  
Hic Jacobus magnus decollatur velut agnus.  
Bartholomaeae, crucis tua des mihi dona salutis,  
Da spiritum vitae, da divitias sine lite,  
Regnum coeleste post mortem da manifeste.

Cod. ms. Ducumburgen. 76. saec. 15.

#### 142. De sancto Achatio.

1. Alme martyr, o Ahati,  
Cordi meo contumaci  
Pie fer subsidium,  
Ut de digne salutare  
Mercar et impetrare  
Tuum patrocinium.
2. Christi fortis o athleta,  
Qui naturae mundi laeta  
Spernis cum complicitibus  
Alexandro nec non Marco  
Praesuleque Hermolao  
Cum ter ternis millibus.
3. His cum mille Deo carus  
Auctor militum praeclarus  
Jungitur Theodorus,  
Sicque decies millenus  
Stat perfectus atque plenus  
Sacer vester numerus.
4. Aquilis velociores,  
Fortes Christi bellatores  
Alta poli scandere,  
Lapidati, coartati,  
Diris spinis coronati  
Portas coeli pandere.
5. Crucifixi, clavis puncti,  
Pro baptismate peruncti  
Pretioso sanguine,  
Et sic omnes Christi plene  
Sunt illatae vobis poenae,  
O felices animae.
6. In extremis vestris horis  
Signa mortis salvatoris  
Referuntur edita;  
O constantes, o invicti,  
Quanta vestra, benedicti,  
Sunt praeclara merita.
7. Vos ergo, dilecti Dei,  
Precor, mementote mei  
In coeli palatio,  
Ut mors Christi, matris planctus  
Mihi sine fine sanctus  
Sit et consolatio.
8. Sit et vestrum per oramen  
Mihi salus et tutamen  
Corporis et animae,  
Ut quandoque possim clare  
Vobis et coxsultare  
In aeterna requie.

Cod. Palat. Vindobonen. 1421. anni 1548. A. — Clm. Monacen. 4423.  
saec. 15. B.

#### 143. De sancta Agatha.

1. Ave, pulchra Christi sponsa,  
Agatha, quae sicut tonsa  
Ovis feta scandens lota,  
Nam explesti tua vota.
5. Clara nata parentela,  
Valde prudens in loquela,  
Inter Catanenses cives  
Fama rebusque praedives,  
Virgo facie venusta,
10. Sed ancilla Christi justa,  
Ex illius servitute  
Summe clara probas tu te.

- O quantus dulcor te fovet,  
 Quam a Christo nihil movet,  
 15. Quam non mutant blandimenta  
 Neque minae nec tormenta;  
 Spemens suasum impudicum,  
 Blandimenta meretricum,  
 Gaudes sic incarcerari  
 20. Quasi laute convivari.  
 Heu dolorem fers amarum  
 In tortura mamillarum,  
 Tyrannus in te destruxit,  
 Quod in matre ipse suxit.  
 25. Nuda super testes fractas  
 Volutaris igne tactas,  
 Dira haec et inconsueta  
 Pertulisti mente laeta.  
 Quantum places sponso tuo,  
 30. Probant in te signa duo:  
 Sanctus Petrus Christi cura  
 Te salvavit a laesura,  
 Quem de coelis ad te misit,  
 Et libenter te invisit  
 35. Ut dilectam suam natam,  
 Quasi sponsam regis gratam.  
 Angelorumque conventum  
 Misit ad te bene centum,  
 Qui te darent sepulturae,  
 40. Tantae eras sibi curae.  
 Pandunt mentis sanctitatem  
 Patriaeque libertatem,  
 Angeli per hunc honorem  
 Suam monstrant te sororem.  
 45. O patrona curialis,  
 Precor, serva mea malis,  
 Fac mamillas intellectus,  
 Cordis semper et affectus  
 Me servare incorruptas  
 50. Tamquam soli Deo nuptas.  
 Quibus omnes sensus meos  
 Pascam delectando eos,  
 Pulchrum Dei contemplando,  
 Jussa ejus auscultando,  
 55. Attendendo vitam Christi,  
 Ut conformis fiam isti,  
 Hunc gustando cum dulcore  
 Et tangendo cum amore,  
 Ut sic crescam in salutem  
 60. Ad aeternam juventutem;  
 In qua semper tu lactaris  
 Cum amicis Dei caris  
 Cantans dulce modulamen  
 In chorea Christi. Amen.
- Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 9. facies. —  
 31. Nam sanctus. — 46. Te precor serva.

#### 144. De sancta Agnete.

1. Agneta, virgo nobilis,  
 Ingenua, spectabilis  
 Tam claritate corporis  
 Quam puritate pectoris,  
 Est cunctis gratiosa.  
 Grassantem mundi gloriam  
 Odovit et superbiam,  
 Ardenter Christum diligit,  
 Quam sequi martyr cligit  
 Ut sponsum amorosa.  
 2. Nequaquam cessit gladio,  
 Triumphat in incendio,  
 Fit saeculi spectaculum,  
 Turpatur ad prostibulum  
 Nec constans superatur.  
 E coelo vestis mittitur,  
 Qua virgo nuda tegitur,  
 Ac locus turpitudinis  
 Fulgore coeli luminis  
 In sanctum consecratur.  
 3. Terrores, minas, verbera,  
 Catenas, probra, vulnera  
 Juvante vicit Domino,  
 Potitur mortis termino  
 Mucrone perforata.  
 Ad te clamamus anxie:  
 O sponsa regis gloriae,  
 Pro nobis Deum flagita,  
 Ut nostra nobis debita  
 Dimittat et peccata.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.



145. De sancta Agnete.

1. Agnes ave gloriosa,  
Virgo dulcis, generosa,  
Digna laude speciosa;  
Ex nobili stirpe nata,
5. Agnes merito vocata,  
Agnes agno sponsa grata,  
Agni zelo in flammata.  
Ergo pia et decora,  
Me exaudi sine mora,
10. Coram agno mortis hora  
Nobis veniam implora.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 4955. — 2. Virgo fehlt Hs. —  
6. sponsa fehlt Hs.

146. De sancta Aldegunde.

1. Gaude, felix Aldegundis,  
Juventute quod recondis  
Corde Dei monita.  
Matris vultum non confundis,  
Sed propositum abscondis  
Spernens carnis libita.
2. Gaude, praesulum edocta,  
Dictis sed intus excocta  
Caritatis facibus;  
Clastrum fabricas ancillis  
Christi, sed ministras illis  
Humilis humilibus.
3. Gaude, quod tu preces fundis,  
Flumen transis manans undis,  
Siccis tamen pedibus;  
Vultum lacrimis perfundis,  
Carnem macerando tundis  
Studens Dei laudibus.
4. Gaude, cujus vita digna  
Declaratur per tot signa  
Collata divinitus;  
Tibi fert columba velum,  
Novit terra, prodit coelum  
In te dona spiritus.
5. Gaude, quia nunc jucundis  
Compar es et laetabundis  
Angelorum coetibus;  
Hostis nostri furibundis  
Per te ruptis vinclis condis  
Nostris pacem cordibus.
6. Ergo maris in profundis  
Nobis adsis, o patrona,  
Servans a naufragio,  
Ut promissa corde mundis  
Dentur nobis vera bona  
Patronae suffragio.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 2 A  
juventute Hs. — 5, 4 sq. verraten den französischen Verfasser.

147. De Angelo Custode.

1. Ave, civis aulae Dei,  
Cujus adstas faciei,  
Pro me precare jugiter;  
Inter astra matutina  
Tu in laude stas divina  
Hymnizans Deo dulciter.
2. Ave, nobilis factura  
Apud Deum, vere pura,  
Quo pascere, quo frueri;  
Tu subtilis in natura,  
Tu sublimis in figura,  
Mecum ubique gradere.

3. Ave, comes praedilecte,  
Semper ducens me directe  
Tuere ab interitu;  
Ave, custos spiritalis,  
Me obumbra tuis alis  
A peccatorum strepitu.
4. Ave, flos decore nimis,  
Flos de summis et de primis  
Paradisi floribus;  
Ave, semper salutande,  
Amplexande, osculande  
Pro bonis tuis omnibus.
5. Ave, vivens margarita,  
Mihi lucens in hac vita,  
O venerande juvenis;  
Summa prece pro me fusa  
Tu cum tuis hoc excusa,  
Quod in me foedum invenis.
6. Ave, meum consolamen,  
Firmamentum et tutamen  
In hoc mortali corpore,  
Tu pro statu interpellas,  
Pro reatu ne repellas  
Aut spernas ullo tempore.
7. Ave, bone mi patrone,  
Qui stas pro me in agone,  
Ut hostem removeas;  
Me post mortem tuo ductu  
Ab aeterno raptum luctu,  
Precor, ut Deo offeras.

Orat. ms. S. Albani Treviren. saec. 15. Cod. Treviren. 199. — 6, 4 pro meo statu.

148. De Angelo Custode.

1. Angele, qui mihi reo  
Deputatus es a Deo,  
Mei, quaeso, curam geras  
Et salutis opem feras.
5. Mei pro defensione  
Sume vires a leone,  
Qui leonem superavit,  
Sua morte mortem stravit,  
Ut ad plenum tuearis
10. Me, quem velut undis maris  
Intueris fluctuantem.  
Dormientem, vigilantem  
Me custodi, nec discedas,  
Sed virtute Christi caedas
15. Hostes, qui me persequuntur  
Meque perdere nituntur.  
Mecum, precor, ut perdures  
Et clementer hoc procures,  
Ut mundatus a peccatis
20. Cunctis hostibus prostratis  
Finem adipiscar bonum  
Et ad summum vitae donum  
Tuum veniam per ductum,  
Ut Mariae ventris fructum
25. Tecum valeam videre  
Cum electisque gaudere.  
Rogo Christi per virtutem,  
Meam semper ad salutem  
Die, nocte sis paratus,
30. Sis et efficax legatus  
Ad supernam regionem;  
Meam fer legationem  
Virginali matri Dei,  
Petens, ut sit meior mei.
35. Ducat, deprecor, ad mentem  
Tam amaram, tam ingentem  
Passionem suae prolis,  
In qua gladius doloris  
Cor maternum penetravit,
40. Dum eundem, quem lactavit,  
Cerneret in cruce mori,  
Cujus non est par dolori.  
Sui cordis per dolorem,  
Sui nati per cruorem
45. Cunctis me peccatis mundet  
Ac virtutibus fecundet,  
Spiritualiter informet  
Et saluti me reformet.

- Eja, deam placa dictam,  
50. Inter deas benedictam,  
Ut me dulcis et amoena  
Ab aeterna salvat poena,  
Ut in morte me defendat,  
Ne me daemon apprehendat,  
55. Ne me tangant infernales  
Nec exterreant larvales  
Facies daemoniorum.
- Sed per manus angelorumus,  
Illa transferat ad pacem,  
60. Ubi cum electis vacem  
Semper laudibus divinis,  
Quibus nullus restat finis.  
Pater praestet haec et nat  
Sacer utriusque flatus,  
65. Trinus unus, qui cunctorum  
Dominator saeculorum.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410.

#### 149. De Angelo Custode.

1. Angelorum dominum,  
Regem coeli gloriae,  
Genus laudet hominum  
Oris et memoriae  
Devoto famulatu.
2. Non retardet reddere  
Deo quisque exsulum  
Grates, qui in carcere  
Suum fovet populum  
Sollicito conatu.
3. Gratum cuivis socium  
Dedit in auxilio,  
Angelum, qui taedium  
Nostrum in exsilio  
Soletur et laborem.
4. Eja, coeli accola,  
Dux et vitae semita,  
Hostis suasa subdola  
Veteris praecipita,  
Gravamen et terrorem.
5. Luxus carnis macera,  
Pigritantem erige,  
Non me trahant scelera,  
Totam vitam dirige  
Secundum tuum morem.
6. Vestem aptam nuptiis  
Juva cito confici,  
Ne sordentem vitiis  
Me contingat projici  
Praesentia divina.
7. Spreto mundo tendere  
Coge me ad requiem,  
Ut, quam cernis, cernere  
Tecum possim faciem  
Paternam sine fine.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

#### 150. De Angelo Custode.

1. Ave, dulcis custos meus,  
Angele piissime,  
Cui me totum dedit Deus  
Regi fidelissime,  
Ne sim malae mortis reus,  
Vivere sanctissime  
Fac me semper, rector meus,  
Et mori laetissime.
2. In me per te roboretur  
Fides, spes et caritas,  
In me semper dominetur  
Tota sancta trinitas,  
In me Christus operetur  
Omne, quod est veritas,  
In me tandem reveletur  
Felix aeternalitas.

3. Sana pectus suspirantis  
Gemitu gravissimo,  
Educa vota supplicantis  
De corde purissimo,  
Ut sim gratus majestatis  
Jesu clementissimo,  
Cujus visu me formantis  
Fruar beatissimo.
4. Pastor bone, memor esto,  
Ovem tuam pascere,  
Illi semper sic adesto,  
Ut dum lupus rapere  
Temptat eam, tu sis praesto  
Mox illam eripere,  
Quo praesentes illi festo,  
Quod nequit deficere.
5. Ave, frater spiritalis,  
Amicorum intime,  
Comes, rex et dux vitalis  
Corporis et animae,
6. Doce linguam praedicare  
Verba sapientiae,  
Peccatores revocare  
Ad datorem gratiae,  
Poenitentes renovare  
Ad opus justitiae,  
Cunctos hostes debellare  
Cum palma victoriae.
7. Pie pater, me digneris  
Pio vultu cernere,  
In adverso recorderis  
Me nunquam deserere,  
Et cum erro, ne moreris  
Me cito reducere,  
Ne depascear ab inferis,  
Qui me volunt perdere.

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Musaei Ferdinandaei Oenipontani. s.  
n. — 3, 5 grata. — 3, 8 Fruat. — 4, 7 Quod praesentes. — 6, 5 revocare. —  
7, 6 Me nunquam deserere.

### 151. Ad Angelum Custodem oratiuncula.

Pacem proles tu, tutor spiritus,  
Rege, serva, damna propitius  
Carnis luxum, hostiles machinas,  
Mundi jocos, tristes delicias.  
Dulcis labor, si post hoc saeculum  
Christo jungas tuum depositum.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211.

### 152. De Angelo Custode.

1. Ave, custos mihi datus,  
Cum per Christum sum vocatus  
Ad baptismi gratiam,  
Dulcis angele, procura,  
Ut ad gaudia ventura  
Te duce perveniam.
2. Fove, protege, defende,  
Arma, scutum apprehende,  
Meos hostes contere,  
In praesenti, in futuro  
Angele vallo et muro  
Me digneris cingere.

Orat. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Maguntin. II 343.

153. Ad Angelum Custodem.

- |   |   |
|---|---|
| 1. O angele dulcissime,<br>Mi custos fidelissime,<br>Me custodito miserum,<br>Ne decidam in tartarum,           | 4. Munitum me custodias,<br>Tentationes noxias<br>Fac me prudenter vincere<br>Deoque digne vivere.            |
| 2. Nam sum figmentum fragile.<br>Per nomen ineffabile<br>Dei vivi te postulo,<br>Ab omni me periculo,           | 5. Corpus meum et animam<br>Sub tua fidelissima<br>Cura semper proficiant<br>In Deum nec deficient.           |
| 3. Et corporis et animae<br>Praeserves, hostes comprime.<br>Dum vigilo, dum dormio,<br>Sanctae crucis praesidio | 6. Sis dux et tutor misero<br>Mihi, mori cum coepero,<br>Protector, mi sanctissime,<br>Tunc esto meae animae. |
| 7. Adsis, virgo piissima,<br>Maria benignissima,<br>Ut vestro sic juvamine<br>Jesu fruar dulcedine.             |   |

Cod. S. Petri Salisburgen. b I 25. saec. 15/16. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 4089 anni 1460. B. — Orat. ms. Tegrinsense anni 1470. Clm. Monacen. 20 021. C. — 3, 1 Ut corporis B. — 6, 4 esto fehlt AC; Tuncque C.

154. Ad Angelum Custodem.

- |  |   |
|--|---|
| 1. O angele sanctissime,<br>Mi custos amantissime,<br>Te saluto voce, voto,<br>Te deprecor corde toto.         | 3. O artifex mirifice,<br>Mi consolator unice,<br>Fac peccata confiteri<br>Et dolore cordis teri.     |
| 2. Fer mihi tu auxilia<br>Contra bella hostilia,<br>Tu vivere me fac tute<br>In hoc aevo cum salute.           | 4. O ducedo bonitatis<br>Et amator castitatis,<br>Da hymnos dulces promere<br>Atque mundana spernere. |
| 5. Tu defensor meus fortis<br>Sis in hora meae mortis<br>Et ad coeli duc examen,<br>Ubi Christus regnat. Amen. |   |

Cod. S. Petri Salisburgen. b I 25. saec. 16/16. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 4089 anni 1460. B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20 021. C. — 3, 4 tergi ABC. — 4, 4 Et mundana A. — 5, 1 Tu fehlt A.

155. De sancta Anna.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Ave, radix sancta Jesse,<br>Ex te orta est expresse<br>Virga, quae produxit florem,<br>Qui salubrem dat odorem<br>Dulcedinis mirificae; | Ave caelum, ex qua stella<br>Luxit, quae in sua cella<br>Clausit verum solem Christum,<br>Qui illustrat mundum istum<br>Interne ac mirifice. |
|--|--|

2. Salve, arca urnam gestans,  
Quae est manna verum praestans,  
Vena fontis in Bethlehem,  
Quem sitit rex Jerusalem  
Prae cunctis claris poculis.  
Salve, benedicta tellus,  
In qua requievit vellus,  
In quod sicut ros descendit  
Deus, pacem qui rependit  
Jucundam nostris oculis.
3. Gaude, stirps praeclara David,  
Unde nobis pullulavit  
Tam ingens, tam multus fructus,  
Quo fugatur omnis luctus,  
Dans vitae dona suavia.  
Gaude, namque beatorum  
Quinque tu apostolorum  
Atque Joseph, justi viri,  
Sed et summi Dei miri  
Es avia carissima.
4. Eja, gaude summa laude,  
Quia sanctae tuae plantae,  
Tres Mariae, nobis piae  
Hanc septenam Deo plenam  
Euixae sunt prosapiam.  
Cunctis nuptis plus beata,  
Infecundis plus dotata,  
Inter natas mulierum  
Nulla par est, hoc est verum,  
Huic, ut salutem capiam.
5. Fac me, Anna, dignum manna,  
Adsta suavis, nulli gravis,  
Me tuere, fac habere  
Dulce omen tuum nomen,  
Quod idem est quam gratia.  
O patrona pia, bona,  
Cum tam grata stirpe nata  
Me gubernata ad superna,  
Quo rex praepos tuus nepos  
Dat omnibus solatia.

Orat. ms. Lehnineuse anni 1518. Cod. Berolinen. IV<sup>o</sup>. 29.

#### 156. De sancta Anna.

1. Felix Anna, Deo cara,  
David filia praeclara,  
Orta tribu de regali  
Mixta cum sacerdotali.
2. Dum divine conversaris,  
Gabriele nuntiaris,  
Fore digna mater esse  
Reflorentis stirpis Jesse.
3. Quae produxit mundo florem,  
Jesum Christum salvatorem,  
Fulgens arca testamenti,  
Gestans urnam sacramenti,
4. Veri panis angelorum,  
Cibi civium coelorum.  
Lux primaeva novae legis,  
Dulcis avia summi regis,
5. Eja, mitis veterana,  
Aegras mente prece sana,  
Cum Maria pia nata  
Miserorum advocata,
6. Erga natam et nepotem.  
Obtinere nobis dotem  
Cura resurrectionis  
Et glorificationis
7. Corporum et animarum,  
Claritati beatarum  
Jungamur jerarchicarum.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3 saec. 15.

#### 157. De sancta Anna.

1. O praeclara mater matris,  
Quae concepit verbum patris  
Non commixtione maris  
Sed ut virgo singularis,
5. Quem in utero portavit  
Genitrix de stirpe David,  
Invocantem te exaudi  
Et studentem tuae laudi.

- O parentis parens Dei,  
 10. Apud ipsum memor mei,  
 Quibus deprimor, meorum  
 Terge sordes peccatorum.  
 Et ipsa, quam genuisti,  
 Casta mater aula Christi,  
 15. Sua tecum sancta prece  
 Me ab omni purget faece.  
 Felix arca testamenti,  
 Quae Judaeae non credenti  
 Urnam continentem manna  
 20. Parturisti, clemens Anna,  
 Nec terrenum sed coeleste,  
 Omnes salva nos a peste,  
 Qui te sumus expetentes  
 Et ad te confugientes.  
 25. Ex auro virginitatis  
 Clara fulsit urna satis,  
 In qua panis angelorum  
 Fabricavit sibi thorum,  
 Ut lassatas, poenitentes  
 30. Anxiasque levet mentes  
 Hasque pascet carne sua,  
 Quam sumpsit de carne tua.  
 Ille rex propitiator  
 Mundo datus est salvator,  
 35. In quo nostra salus multa  
 Te juvante est exulta.  
 Terra sancta carnis Christi  
 De terra, quam coluisti,  
 Est assumpta, sicut patet,  
 40. Sacramentum hoc non latet.  
 O vas Anna gratiarum,  
 Tuum nomen, quam praeclarum,  
 Me laetificare solet  
 Et auferre, si quid dolet.  
 45. Quia gratia vocaris  
 Meritisque splendes claris,  
 Fac, ut juxta nomen tuum  
 Faciat rex opus suum  
 In me, sibi sic splendere,  
 50. Valeam ut complacere.  
 Figulusque, qui de limo  
 Fecit in parente primo,  
 Quod costa sublata viro  
 Fit virago actu miro,  
 55. Te formavit, ut formata  
 Hunc placares prece grata,  
 Sicque fieres multorum  
 Consolatrix miserorum.  
 Consolare me lugentem  
 60. Et conforta poenitentem  
 Et reduc ad vitae viam  
 Et videre da Messiam,  
 Quem venisse nescit rea  
 Sed venturum gens Hebraea  
 65. Adstruit et asseverat  
 Perfidaque est ut erat.  
 Tuis ergo, mater, votis  
 Cura favet sic nepotis,  
 Ut nil neget, si quid velis,  
 70. Repraesentas quod in caelis.  
 Igitur hunc interpella  
 Sitque tecum maris stella,  
 Et pro me Christum orate  
 Ambae matres Christo gratae.  
 75. Sensus per vos, precor, mei  
 Muniantur laude Dei,  
 Ut nil agant, quod horrescat,  
 Indignatio quo crescat  
 Quam benigni salvatoris.  
 80. Ergo me sub cunctis horis  
 Fac, Anna, parens beata,  
 Fac cum tua prole grata,  
 Ut me Christus, auctor vitae,  
 Sine rixa, sine lite  
 85. Sibi faciat praeclare  
 In hac vita militare.  
 Qui fons patens domus David  
 Peccatores multos lavit,  
 Per te lavet et expurget,  
 90. Quidquid in me scelus urget.  
 In Jerusalem qui manet,  
 Poscens, ut hunc Christus  
 sanet,  
 Hic in pacis visione  
 Dignus est redemptione.  
 95. Angelus est quasi Dei,  
 Quem illustrat sol diei  
 Luxque vacat creatoris  
 Ab errore seductoris.  
 In hoc fonte Petrus lavit,  
 100. Quod negando jam peccavit,  
 Et res partiens Zachaeus

- Rapuitque, quod Matthaens.  
 Et de Magdalo Maria,  
 Per exemplum vitae via,  
 105. Et latro pendens in cruce  
 Diluit se Christo duce.  
 Hocque David fonte lotus  
 Subjugavit, Christo potus,  
 Quae de ipso scriptus ante  
 110. Vidit spiritu dictante,  
 Nostram praedicans salutem  
 Veram Dei per virtutem.  
 Ergo inter coeli cives,

Cod. Londinen. (ol. Wintonien.) Vitell. A XVII. saec. 12. ex.

158. De sancta Barbara.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Ave, Barbara praeclara,<br/>         Ave, virgo Deo cara,<br/>         Ave, gemma virtuosa,<br/>         Ave, martyr, vernans rosa.<br/>         5. Ave tu, quae puerili<br/>         Et aetate juvenili<br/>         Jesum Christum dilexisti,<br/>         Cui corde adhaesisti.<br/>         Licet nondum baptizata,<br/>         10. Tamen illi multum grata<br/>         Per servitia placebas<br/>         Nec non maxime studebas,<br/>         Patrem tuum hoc nescire,<br/>         Qui studebat his servire,<br/>         15. Quos tu caute respuisti<br/>         Et viriliter dejecisti.<br/>         Propter quae es verberata<br/>         Et ab eo vulnerata<br/>         Ac in cellulam detrusa<br/>         20. Sicque firmiter reclusa,<br/>         Te quousque praesentaret<br/>         Praesidi et supplicaret,<br/>         Ut excessus emendares<br/>         Idolisque immolares.<br/>         25. Quod tu respuens dixisti,<br/>         Nam diabolum vicisti:<br/>         Unum Christum fide colo,<br/>         Cui et servire volo.<br/>         Quem tu praeses nunc ignoras,<br/>         30. Proh dolor, et non adoras,<br/>         Eo quod est induratum</p> | <p>Anna felix, Anna dives,<br/>         115. Fac, ut vitam castitatis<br/>         Teneam cum candidatis,<br/>         Innocentiam professis<br/>         Et in prelo mundi pressis.<br/>         Ora pro me et pro cunctis,<br/>         120. Tam vivis quam et defunctis,<br/>         Ut nos lue peccatorum<br/>         Mundet auctor beatorum<br/>         Detque gaudia sanctorum<br/>         In saecula saeculorum.</p> <p>Tuum cor atque gravatum,<br/>         Daemonibus tuis servis.<br/>         Tunc iratus jussit nervis<br/>         35. Discerpi te cum taurinis<br/>         Et texturis cilicinis<br/>         Impius praeses fricari<br/>         Et post haec incarcerari.<br/>         Nocte illa confortata<br/>         40. Es a Christo et sanata.<br/>         Mane tandem praesentaris<br/>         Praesidi, per quem probaris<br/>         Diis te sanatam esse,<br/>         Propter quod tibi necesse<br/>         45. Est eis dare gratias,<br/>         Quod nisi cito facias,<br/>         Magnis poenis es tradenda,<br/>         Nullo modo redimenda.<br/>         Illud vero tu negasti,<br/>         50. Jesum Christum invocasti,<br/>         Quo sanatam te ostendens,<br/>         Deos falsos reprehendens,<br/>         Ipsos nunquam te juvare<br/>         Posse neque te sanare.<br/>         55. Praeses fremens hoc audito<br/>         Ut leo praecepit cito,<br/>         Caput malleis ferire<br/>         Lateraque aperire,<br/>         Quibus ignem adhiberi.<br/>         60. Christum tibi misereri<br/>         Puro corde supplicasti,<br/>         Quod tam cito impetrasti.</p> |
|--|--|



- Tis mamillae abscinduntur  
Gladiisque feriuntur
65. Tua membra fortiter  
Flagris, et sic turpiter  
Nudam te educi jubet  
Impius praeses nec pudet  
Per hanc totam regionem.
70. Tunc fecisti hunc sermonem:  
Rogo, Domine te Deus,  
Esto nunc protector meus,  
Tege corpus, quod nudatur,  
Ne a viris videatur
75. Iniquis nec non lascivis.  
Post haec nempe vidit quivis  
Angelum mox descendentem,  
Stolam albam deferentem,  
Qua operta tucaris,
80. Ne a viris videaris.  
Quo a praeside sentito  
Famulis praecepit cito,  
Ut per gladium trunckeris  
Et sic male consummeris.
85. Illud patri tunc praecepit,  
Cum furore te recepit  
Et permisit decollari,  
Tuum caput amputari.  
Hinc educta gratularis,
90. Speras finem, deprecaris  
Sic pro cuncto peccatore  
Coram tuo salvatore:  
Jesu Christe, tu dignare  
Pias aures inclinare
95. Ad omnes te in vocantes  
Mihī atque supplicantes,  
Pro me solvas a peccatis  
More tuae pietatis.  
Puram da contritionem,
100. Veram his confessionem  
Facque eos manducare  
Corpus tuum salutare.  
Coeli vox auditur clara:  
Veni, pulchra, veni cara,
105. Veni, veni, martyr pura,  
Veni, semper regnatura,  
Veni, his, pro quis rogasti,  
Multa bona impetrasti.  
In hoc capite truncaris
110. Et a Christo sublevaris  
Ad superna coeli regna,  
Ubi virgo nos commenda  
Sponso tuo, ut sequamur  
Atque coelis invehamur,
115. Tecum semper gavisuri,  
Deo laudes canituri.

Cod. Lambacen. 463 saec. 14. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI  
35. saec. 15. B. — Clm. Monacen. (ol. Altahen.) 9508. saec. 15. C. — Orat.  
ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. D. — Orat. ms. Campense  
anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. E. — 1, 1 Ave sancta Barbara BD. —  
7. allexisti B. — 8. Et corde. C. — 16. Viriliterque BC. — 19. cellula C. —  
27. Jesum Christum BC. — 28. et fehlt C. — 30. dolor, quem non B. —  
40. Et a Christo es C. — 43. A suis dis sanata B. — 45. His reddere  
B. — 46. Et nisi tu id facias B. — 47. sis tradenda B. — 49. Quos tu  
quoque sic B. — 51. A quo sanam B; ostendis C. — 52. reprehendis C. —  
57. malleo B. — 60. Jussit sicque misereri. — 61. A Christo tu supplicasti  
B. — 62. O quam cito B. — 63. Mammae tuae B; Tibi mamillae C. —  
65. Genera membrorum fortiter B. — 68. Malus praeses B. — 74. a vivis  
A. — 75. fehlt B. — 76. Mox de coelo missus venit B. — 77. Angelus qui  
te vestivit B. — 78 sqq. fehlen B. — 80. a vivis A. — 81. foetido C. —  
83. truncaris A. — 84. consummaris A. — 85. pater A. — 87. Et praemisit  
A; Ut conatur B. — 89. A quo ducta B. — 96. Mihique A. — 100. Veram-  
que B. — 107. pro quibus C. — 110 sqq. fehlen AC.

### 159. De sancto Bartholomaeo.

1. Excitare, o cor meum,  
Laudando Bartholomaeum  
Cum voce laetitiae,  
Qui est potens apud Deum,  
Ne me damnet suum reum  
Rigore justitiae.

2. O Bartholomaeae care,  
O mi princeps, o praeclare  
Dux magnificentiae,  
Tu es magnum luminare,  
Toti mundo salutare,  
Mirae resplendentiae.
3. Tu ditator egenorum,  
Propugnator peccatorum,  
Hos Deo pacificans,  
Liberator devotorum,  
Ligator daemoniorum,  
Haec urens mitificans.
4. Gaude, in apostolorum  
Numero duodenorum  
Vere stas dulciflue,  
Quo tanguntur flores florum,  
Penes arces musicorum  
Sonando melliflue.
5. Nam octavus descendendo  
Es et quintus ascendendo  
Recte magistraliter,  
Ex quo facto hoc perpendo,  
Dulcem pium te essendo  
Valde specialiter.
6. Quia chorda tensa bene  
Dulcem sonum reddit plene,  
Sic tu passus gravius;  
Stricte corpus tensa lene,  
Pellis, nervi sunt et venae,  
Ergo sonas suavius.
7. Multis malis sum innisus,  
Sed oro de te confisus,  
Ut ab his excorier;  
Circumquaque circumcisus  
Hoc fit mihi paradisus,  
Ut sic novus glorier.
8. O mi pater pietatis,  
Adjutor necessitatis  
Omni in periculo,  
Hostes pelle pravitatis  
Et me loca cum beatis  
In mortis articulo.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

### 160. De sancto Benedicto.

1. Benedicte, legifer  
et dux monachorum,  
Qui nescisti lubricum  
in delicto thorum,  
Posce mihi veniam  
scelerum meorum,  
Tecum ut possideam  
choros electorum.
2. Ex divini germinis  
Irrigatus rore  
Reliquisti saeculum  
Puerili flore,  
Viam Dei ambulans  
In Christi timore;  
Fac ut coeli videam  
Regem in decore,
3. Nursiae provincia  
Coelitus exortus  
Factusque claustrarium  
Fluctuantum portus,  
In Dei dilectione  
Totus es absorptus;  
Per te me lactificet  
ex Maria ortus.
4. Etatem sic teneram  
moribus transisti,  
Voluptati animum  
nullique dedisti,  
Vastitatem eremi  
puer introisti;  
Fac, me ferre jugiter  
suave jugum Christi.

5. Deus in te gratiam  
mundo declaravit,  
Quando tuis fletibus  
motus reparavit  
Fractum capisterium;  
me, quem inquinavit  
Culpa, per te abluat,  
qui te coronavit.
6. In virtute Domini  
multos revocasti  
Satanæ imperio,  
quos vivificasti  
Corpore et anima  
et eos salvasti;  
Fac, ne regno spolier  
cum regina Vasthi.
7. Cura semper de me sit  
tibi, pie pater,  
Ne in me praevaleat  
hostis meus ater;  
Fac ut clemens mihi sit  
pia Dei mater,  
Ut dignus efficiar  
esse Jesu frater.
8. Tu in terra positus  
coelorum secreta  
Perlustrasti spiritu;  
fac ut pompa spreta  
Seducerentis saeculi  
Christi sim athleta,  
Cernens ejus faciem  
gaudens sine meta.
9. Uires a te postulo  
Indignus claustralis,  
Tuis me defendere  
digneris sub alis,  
Ut exutus omnibus,  
quibus premor, malis  
Jugiter permancam  
Jesu subjugalis.
10. Sexto ante obitum  
die te portari  
Jubes in ecclesiam  
ibique humari;  
Fac me, pater inclite,  
tecum collocari  
In aeternis gaudiis  
tecumque laetari.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV<sup>o</sup>. 29.

### 161. De sancto Benedicto.

1. Ave, pater et patrone,  
Monachorum ductor bone,  
Benedicte pater, ave,  
Mihi peccatori fave.
2. Preces meas admittendo  
Et obnixe deducendo  
In effectum, quidquid peto,  
Te accedo corde laeto;
3. Supplicando studiose,  
Ut tu, pater gloriose,  
Intercedas apud Christum,  
Ne fallar per mundum istum;
4. Et omne per me commissum  
Ne me mergat in abyssum,  
Sed ex toto poenitere  
In hac vita et deflere,
5. Fac et demum praecavere,  
Deum prae oculis habere;  
Ne delinquam rursus prave,  
Cor ad Deum sursum trahere.
6. Corde, voce laudem Deum,  
Reflectendo super eum  
Omnes vires et conamen  
Suum exorando nomen.
7. Ut excessus sic deplangam,  
Ut non post hanc vitam longam  
Pro peccatis feram poenam,  
Invitari fac ad coenam,
8. Ubi nullus est defectus,  
Ut ibidem sim electus,  
Angelis conregnaturus  
Et a malo sim securus.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021.

162. De sancto Benedicto.

1. Salve, abba monachorum,  
Vitae forma, decus morum,  
Te decent praeconia,  
Gnarus orbis reparator,  
Salvandorum propagator  
Christi in ecclesia.
2. Tu nostrum es spectaculum  
Tutumque propugnaculum  
Pio legis foedere,  
Sacer auctor instituti,  
Quo electi sunt imbuti  
Digne Deo vivere.
3. Nam, ut doces, sic vixisti  
Ac vivendo exstitisti  
Vivax norma subditis,  
Eja, sacer Benedicte,  
Dulcis, clemens et invicte,  
Mitis atque humilis,
4. Cunctorum vatum gratiam,  
Archos, patrumque sophiam  
Naetus es eximie,  
Dum sophiae deputaris,  
Jesum pie aemularis,  
Doctus migrans nescie.
5. Natale solum deserens,  
Vasti praerupta penetrans,  
Fide signans Abraham,  
Clam sub fructectis latitas,  
Palam ut sol irradias  
Densam mundi nebulam.
6. Futurus abbas plurium  
Mox fugas omne noxium  
Tui candoris spiculo,  
Es virtutum pius sator,  
Vitiorum exstirpator  
Sanctitatis sarculo.
7. David mitis eluxisti,  
Velut ille tu planxisti  
Aemuli interitum,  
Dum nat ferrum Helisacus,  
Helias, cum tibi Deus  
Corvi dat solatium,
8. Et merum vincens toxicum  
Vitale per signaculum  
Compar tunc apostolis,  
Nunc in coelo sublimatus,  
Exinde glorificatus  
Et es consors angelis.
9. Per te, pater generati  
Sumus, sed heu depravati  
Malis nostris actibus;  
Refove nos, gloriose,  
Christo Jesu viscerose,  
Bonis praevalentibus.
10. Donec lumen increatum  
Sit in nobis reparatum,  
Precamur suppliciter,  
Et in regno claritatis.  
Tuo nutu pietatis  
Colloca feliciter.

Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1. — 3, 1 Jam ut.

163. De sancto Benedicto.

1. Almi Benedicti vita  
Orbem illustravit ita  
Velut sol irradians,  
Qui jubare suae lucis  
Sub vexillo sanctae crucis  
Rutilat crepusculo.
2. O monarche Benedicte,  
Nomen tuum sonat rite  
In omni ecclesia,  
Patriarcha monachorum,  
Conservator es cunctorum,  
Qui ad te confugiunt.
3. Coenobitis praebes normam  
Anachoretisque formam  
Vias vitae ingredi,  
O archimandrita pie,  
Quis non optet tuae viae  
Prosequi vestigia?
4. Disertissimus interpres  
Facundiaque locuples  
Ordinando regulam;  
Hoc Gregorius testatur  
Stupor mundi, papa sacer  
In suo dialogo.

5. Septus liliis duobus,  
Albo, rubo cum ambobus  
Corruscas in medio:  
Maurus candet sanctitate,  
Uterque virginitate,  
Placidus martyrio.
6. Regnant jam cum Deo pleni  
Quatuor et ter milleni  
In coelesti gloria,  
Quos Johannes duodenus  
Apostolicus serenus  
Ex archivis prodidit.
7. De Romanis libris tulit,  
Quos exinde nobis fudit  
Sanctorum catalogo;  
Quisnam alter confessorum  
Secum ducit talem chorum  
Per coeli palatia?
8. Roga supplex tu pro nobis,  
Qui sanctorum sedis choris,  
Optime vexillifer;  
Pastor bone, tu catervam  
Ad vitam perduc aeternam,  
Ut cum sanctis gaudeat.
9. Tu conserva congregatam  
Sub Lunaco titulatam  
Undique familiam,  
Sed post mundi incolatum  
Duc ad verae vitae statum,  
Ubi tecum gaudeat.
10. Hanc trinus et unus Deus,  
Pius pater, amor verus,  
In cunctis adaugeat,  
Cui decus et majestas  
Semper exstat et potestas  
Per aeterna saecula.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 4089 anni 1460. A. — Clm. Monacen. (ol. SS. Udabrics et Afrac) 4423 anni 1481. B. — Cod. Mellicen. 932 saec. 15. C. — B ist Abschrift von A; beide haben die Notiz: Alia rescripta in Monte Casino. — 1, 1 Olim Benedicti AB. — 1, 4 Jubare qui C. — 2, 1 O fehlt C. — 3, 5 optet C. — 4, 5 sator AB. — 5, 4 und 5 umgestellt C. — 6, 2 und 3 umgestellt C. — 6, 4 und 5 desgl. C, und so fort bis zu Ende. — 7, 1 Te Romanus libris tulit C. — 9, 2 sq. ist in C also abgeändert:

Cujus [lies: Hujus] loci Udal. Augustensis  
Gregem serva hunc, ne ensis  
Hostilis confodiat.

9, 4 sqq. fehlen AB. — 10, 2 amor meus C. — 10, 3 augeat AB.

#### 164. De sancto Bernharde.

1. Ave pater et patrone,  
Bernharde sanctissime,  
Es suavis in odore  
Sonans hoc ex nomine;  
Fragrans nardus es Bernharde,  
Odor namque coelitus  
Te a mundi traxit fraude  
Et replevit penitus.
2. Adhuc in matris utero  
Per catulum signatus  
In adversanti populo  
Acutos das latratus,  
Huic mundo procreatus  
Eras bonae indolis,  
Cunctis placens atque gratus  
Es ad cuncta docilis.
3. Ab ipsa mox infantia  
Polles bonis moribus,  
Devitas, quae sunt noxia,  
Verecundus, providus,  
Ad salutis iter tendens  
Declinasti publica,  
Lignum vitae apprehendens,  
Quod fert dona plurima.
4. Clara natus parentela  
Caenosum fugis mundum.  
Conversando abs querela  
Tu tollis Christi jugum.  
Vitam amans spiritalem  
Intrasti coenobium,  
Ubi te ostendis talem,  
Quod es vitae speculum.

5. Salve, vas suavitatis,  
Bernharde melliflue,  
Es in scriptis dulcis satis,  
Vincis mel dulcedine;  
Te qui legit, experitur,  
Se gustasse suavia,  
Sensus ejus aperitur,  
Et exsultant viscera.
6. Pietate redimitus  
Es virtutum serinium,  
Naufraganti pandis litus,  
Iter praebens regium,  
Durus corporis castigatorem  
Subdens hoc spiritui,  
Disciplinae es amator  
Nihil ferens vitii.
7. Curam geris pastorem  
Multis cum laboribus,  
Verbis, factis efficacem  
Reddis te in omnibus,  
Es lucrator animarum,  
Multos mundo subtrahis,  
Ad salutem tendens harum  
Dei verbo reficis.
8. Tu fidelis pastor eras  
Ovem portans humeris,  
Temetipsum impendebas  
Obvians periculis;  
O pater, sub te vivere  
Tutum valde fuerat,  
Nam, qui decessit, libere  
Coelum mox conscenderat.
9. Gaude, pater gloriose,  
Dei fultus gratia,  
Nam virtutes copiosae  
Facis et prodigia,  
Nardum tuum fundis late,  
Bonus odor saeculi,  
Totus flagrans caritate  
Dei atque proximi.
10. Ad odorem tantae nardi  
Confuebant populi,  
Caeci, surdi, muti, claudi  
Atque daemoniaci,  
Per te, pater, hi curantur  
Lactique abierant,  
Deum laudant et mirantur  
De his, quae audierant.
11. Quocumque loco veneras,  
Opem quisque flagitat,  
Miranda, quae patreveras,  
Quis effari valeat?  
Morbos sanas, desperatos  
Simulque freneticos,  
Discordantes facis gratos  
Persequens haereticos.
12. Columna tu ecclesiae,  
Contra graves impetus  
Subveniens angustiae,  
Gaudet omnis populus,  
Ordo Cisterciensium  
Gaudet tuis meritis,  
Cunctorumque claustralium  
Vota nunquam despicias.
13. Vale, pater venerande,  
Mundum istum deserens,  
Plenus manens omni laude,  
Pondus carnis exuens,  
Sicut nardus fragrat late,  
Mundum hunc repleveras  
Et ad Deum, pater alme,  
Semper anhelaveras.
14. Vitae tuae complens cursum  
Es adeptus gloriam,  
Conscendisti montem sursum  
Ad plenam scientiam,  
De mundo isto sterili,  
Qui plenus est moerore,  
Ad Deum fructu fertili  
Conscendis cum honore.
15. Profecto nunc potentior  
Intrans in potentias,  
Ad impetrandum gratior,  
Quam in terris fueras,  
Te a mundo hoc sublatum  
Plangunt omnes populi,  
Et ad coelos te translato  
Jucundantur angeli.

16. Claravallis, tu lactare,  
 Apud te est conditus  
 Hic patronus, qui te clare  
 Ditat nunc honoribus,  
 Opem ejus implorare  
 Omnis debet populus,  
 Ipsum volens invocare  
 Supplex dicat famulus:
17. O patrone, mi Bernharde,  
 Meis adsis precibus,  
 Me ab omni serva fraude  
 Cunctisque sceleribus,  
 Fac, ut Deo pura mente  
 Serviamus singuli,  
 Ope tua suffragante  
 Simus semper fervidi.
18. Quidquid mali nos infestat,  
 Amove celeriter  
 Et, ad bonum quidquid spectat,  
 Hoc adauge jugiter,
19. Me, patrone, circumspectum  
 Facias in omnibus,  
 Da, ut sequar iter rectum  
 Deo haerens artius,  
 Ut sim fortis in agone  
 Contra malos spiritus,  
 Rogo, adsta, pastor bone,  
 Fugans illos eminus.
20. Ex odore tuae nardi  
 Animam refrigera,  
 Deo, qui non potest falli,  
 Ipsam reconcilia,  
 Sursum illam trahe tecum  
 In coelorum culmine  
 Ad videndum vultum tecum  
 Trinitatis sedule.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

165. De sancto Bernharde.

1. Bernharde, pater inclite,  
 Odorem tuae gratiae,  
 Quam designas ex nomine  
 In meo funde pectore.
2. Expelle cuncta crimina  
 Et ad virtutes incita,  
 Ut mens terrenis vacua  
 Meditetur coelestia.
3. Rixa catelli prodidit,  
 Quod mater, quae te peperit,  
 In mundo talem protulit,  
 Qui inimicos repulit.
4. Nardus, quae est herba humilis,  
 Odore delectabilis,  
 Signat, quod dono flaminis  
 Refertus es in intimis.
5. Ad sancta exercitia  
 Tendis a pueritia  
 Relinquens haec terrestria  
 Propter bona coelestia,
6. Religionem appetens  
 Cisterciumque adiens,  
 Virtutibus proficiens  
 Ac Deo pure serviens.
7. Doctrina tua mellica  
 Convertit dura pectora,  
 A saeculi fallacia  
 Erigens ad coelestia.
8. Ubique fama spargitur,  
 Undique ad te curritur,  
 Gaudium cunctis oritur,  
 Aeger quisque sanabitur
9. Salus nostra, o Bernharde,  
 Te laudantes in hac valle,  
 Hos ab omni serva fraude  
 Et coelesti junge aulae.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

166. De sancto Bernhardo.

1. Salve, candens flos doctorum,  
Irroratus coelitus,  
Bernharde, vernans gemma morum,  
Radians divinitus.
2. Castitatis ob decorem  
Cum agno legis lilia,  
Sanum tuis das odorem  
Humilitatis viola.
3. Tua florida doctrina  
Foeda mea separa,  
Cum virtutum disciplina  
Cor et corpus praepara.
4. Hunc effectum mihi praesta,  
Mi patrone, prece pia  
Ad agenda coeli festa  
Cum dulci Jesu et Maria.

Orat. ms. Ambergense anni 1476. Clm. Monacen. 2990.

167. De sancto Bernhardo.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Salve, Bernharde praeclare,<br>Te nunc precor, supplicare<br>Prece cordis intime, | 5. Te me semper defensante,<br>Te nocte dieque stante<br>Meo in circuitu,       |
| 2. Ut amore me ferventi<br>Atque vita condecenti<br>Digneris instruere.              | 6. Securum post dirae mortis<br>Patefactis coeli portis<br>Duc me sine strepitu |
| 3. Ut ignitus caritate,<br>Adornatus honestate,<br>Verbo atque opere,                | 7. De potestate daemonum<br>In conventum beatorum,<br>Alme pater, ubi tu        |
| 4. Intus Deo me ostendam,<br>Foris quemquam non offendam<br>Motu, statu, habitu.     | 8. In coelestis aula regis<br>Coronatus semper degis<br>Laetus absque gemitu.   |

Cod. Altovaden. 60. saec. 15.

168. De sancta Caecilia.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Ave, virgo gloriosa,<br>Toti mundo gaudiosa,<br>Beata tu Caecilia,<br>Rubens sicut florens rosa,<br>Tota dulcis et formosa,<br>Vincens candore lilia. | Corde Christi verba sana<br>Gerens ut salutis grana<br>Despectis mundi fabulis.  |
| 2. Digna nata es Romana,<br>Docta lege Christiana<br>Ab ipsis jam cunabulis,   | 3. Tuque saepe jejunasti,<br>Veste dura castigasti<br>Tuum corpus femineum,<br>Deum semper exorasti,<br>Cunctis sanctis commendasti<br>Tuum decus virgineum. |



4. Matri Christi plus aequata,  
Sponsis suis es praelata  
Cunctis in hoc articulo,  
Nam es viro desponsata,  
Manens tamen virgo grata  
In lecto, in cubiculo.
5. Qui attendit diligenter,  
Admiratur vehementer  
Tam magnam in te gratiam,  
Quod tam caute, tam prudenter  
Superasti innocenter  
Saevi sponsi audaciam.
6. Duos sponso habuisti,  
Quorum mater et fuisti  
Terrenum atque coelicum;  
Unum fide concepisti,  
Hunc in altero genuisti  
Per dogma evangelicum.
7. O argumentosa apis,  
Quae sunt Dei, bene sapis,  
In mel mutans fel mentium;  
Multos ab inferno rapis,  
Quos ad fidem Christi capis  
Es mater et egentium.
8. O salvatrix animarum,  
Fortis victrix et poenarum,  
Novo gaude signaculo,  
Tam pulchrarum coronarum,  
Paradiso allatarum  
Angelico miraculo.
9. O electa institutrix,  
Sis fidelis praelocatix  
Contra hostem nequissimum,  
Sis in morte mea tutrix,  
Tu mei fortis sis adjutrix,  
Ad sponsum duc carissimum.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV°. 29. A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B. — Orat. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. C.

### 169. De sancto Christophoro.

1. Egregie martyr Domini,  
Do laudes tuo nomini,  
Quod contulit tibi Deus.  
Tu vocaberis reprobis,
5. Nunc diceris Christophorus.  
Progenie Cananeus,  
Personae fortitudinem  
Habens et longitudinem  
Duodecim cubitorum,
10. Desiderabas quaerere  
Et nequaquam deserere  
Potissimum minorum.  
Primo potentis hominis  
Servus eras, hinc daemónis,
15. Sed postea Jesu Christi,  
Cui portando populum  
Per fluminis periculum  
Fideliter servivisti.  
Quem tandem personaliter
20. Per fluvium realiter  
In humeris transferebas,  
Et in hujus signaculum  
Tuum florere baculum  
Cum fructibus tunc videbas.
25. Post haec in Samon veniens  
Et linguam non intelligens,  
A Domino impetrasti  
Linguae intelligentiam  
Et fidei scientiam,
30. Qua plurimos confortasti.  
Fers risum, plagas judicis,  
Arentem virgam efficis  
Frondescere coram gente;  
Sic octo millia hominum
35. Conversi sunt ad Dominum  
Fideliter te docente;  
Hinc quadringentos equites  
Regis fecisti milites  
Et martyres Jesu Christi.
40. Qui non audebant tangere  
Te nec ad regem trahere,  
Spontanee sed ivisti.  
Te viso rex abhorruit,  
Sic quod de sede corruit.

45. Qui denique te volentem  
 Incarcerans sororibus  
 Commisit, ut amplexibus  
 Inficerent tuam mentem.  
 Has Christo facis credere.
50. Prostibulum deserere.  
 Sic idolis praeconfusis  
 Aquilina suspenditur,  
 Ense Incena caeditur  
 Precatibus Deo fusis.
55. Tu caesus virgis ferreis,  
 Ustus ignitis galeis,  
 Hinc ferreo super scamno  
 Vinctus in igne poneris,  
 Quo liquefacto solveris,
60. Egredieris sine damno.  
 Ligatum sagittaverant  
 Tota die nec laeserant  
 Te milites quadringenti;  
 Suspendebant aere
65. Sagittae, nec te tangere  
 Vis potuit instrumenti,  
 Sed retroversum spiculum  
 Excussit regis oculum.  
 Tu principi praedixisti.
70. Quod morereris crastino  
 Et a dolore pristino  
 Juvamine Jesu Christi  
 Ocellus sanus feret,  
 Si rex cum perungeret
75. Cum sarguine, quem fundebas.  
 Sic fusis Deo precibus  
 Pro tibi servientibus  
 Mox gratiam obtinebas,  
 Ut a delicti sordibus
80. Et morborum doloribus  
 Te venerans liberetur,  
 Decollabaris denique,  
 Regis ocellus, undique  
 Dum sanguine liniretur,
85. Recepit visus gratiam,  
 Rex fidei notitiam  
 Promeruit dans edictum,  
 Ut gentes suae pariter  
 Christo credant fideliter
90. Vel subeant ensis ictum.  
 Ob hoc te gloriosius  
 Laudat scribens Ambrosius  
 Prodigia, quae fecisti  
 Per signa mirabilia.
95. Quadraginta octo milia  
 Gentilium convertisti  
 Sicque palmam victoriae,  
 Coronam quoque gloriae  
 A Domino recepisti.
100. Cui congaudens jugiter  
 Vernis tuis fideliter  
 Succurrere meruisti.  
 Christophore, mi domine,  
 Pro tuo sancto nomine
105. Te deprecor confidenter,  
 Ut Christi nomen colere,  
 Te laudibus extollere  
 Me doceas diligenter.  
 Da mihi fortitudinem
110. Vitaequae longitudinem,  
 A daemone ne secura,  
 Me summum Deum quaerere  
 Semperque corde gerere  
 Fac removens nocitura.
115. Me peccatorem aridum  
 Virtutibus fac floridum  
 Et opere fructuosum;  
 Da sanam eloquentiam,  
 Devotam patientiam
120. Et judicem gratiosum.  
 Tu cum tuis sequacibus  
 Ab hostibus mordacibus  
 Me protege nec permittas  
 Malignorum perfidias,
125. Arma, minas, insidias  
 Me tangere nec sagittas.  
 Fac, ut me hostes metuant,  
 A vultu meo corruant,  
 Me captio non molestat
130. Nec noceat temptatio,  
 Sed fidei firmatio  
 Coelestia mihi praestet.  
 Plagas, ignes, supplicia,  
 Confusiones, vitia,
135. Non sinito me subire,  
 Da cuncta retrocedere,  
 Quae me deberent laedere.  
 Fac obitum me praescire,

- |  |  |
|--|--|
| <p>Da sanitatem corporis,<br/>140. Tranquillitatem temporis,<br/>Fac exitum vitae bonum.<br/>Tu posce vivis gratiam,<br/>Defunctis culpae veniam,<br/>Ecclesiae pacis donum,</p> | <p>145. Cunctis te venerantibus<br/>Sis in necessitatibus<br/>Solabile adjuvamen,<br/>Ut ex Dei clementia<br/>Futura et praesentia<br/>150. Sint prospera nobis. Amen.</p> |
|--|--|

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 52 d 11. saec. 15. — 57 Hinc ferro  
Hs. — 79 a dilecti Hs.

170. De ss. Cosma et Damiano.

O medici languentium,  
Cosma cum Damiano,  
Succurrite poscentium  
Votis ore plano  
Et populo Christiano  
Sitis in adjutorium,  
Ut nobis spiritu sano  
Christus det suum gaudium.

Horae ms. ad usum Blesensem. saec. 15<sup>1/16</sup>. Cod. bibl. Rossianae.

171. De sancta Cuthburga.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Ave, virgo Deo grata,<br/>Northumbrorum regis nata,<br/>Cuthburga castissima,<br/>Prece carnem carne degens,<br/>Cor et corpus caste regens,<br/>Carnis vincens vitia.</p> <p>2. Coelibatus ob amorem<br/>Mundi pompam et honorem<br/>Respuisti penitus,<br/>In virtute semper viva,<br/>Vernans, virens ut oliva,<br/>Inspirata coelitus.</p> <p>3. Sponsa Christo desponsata,<br/>Casta, constans et velata<br/>Velo pudicitiae,<br/>Rosa pulchra nunquam arens,<br/>Sorde carnis semper carens,<br/>Vasculum munditiae.</p> <p>4. Ope sponsi tui Christi<br/>Hostes trinos devicisti,<br/>Mundum, carnem, Satanam;</p> | <p>Corpus servans illibatam,<br/>Fame, siti castigatam,<br/>Culpae tegens maculam.</p> <p>5. O coelestis coenobita,<br/>Ad coelestem nos invita<br/>Coenam agni providi,<br/>Ut purgati a peccatis<br/>Jucundemur cum beatis<br/>Stolis albis candidi.</p> <p>6. Illis, qui te hic honorant<br/>Opem tuam et implorant,<br/>Cito fer auxilium,<br/>Per te sentiant juvamen<br/>Nunc et tandem consolamen<br/>Vitae post exilium.</p> <p>7. Benedicta o Cuthburga,<br/>Peccatorum faeces purga<br/>Dempta carnis scoria,<br/>Tecum tandem ut locemur<br/>In aeternum et laetemur<br/>In sanctorum gloria.</p> |
|---|--|

Orat. ms. Cantuariense saec. 15. Cod. Lambethan. 560. — 1, 4 Preces  
carnem. — 7, 2 preces purga.

172. De sancta Dorothea.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. Dulcis ave Dorothea,<br/>Post Mariam sola mea<br/>Sportella rosigera,<br/>Te pedissequam elegit<br/>Singularem et collegit<br/>Puella Christifera.</p>             | <p>5. Tandem revocantur tristes<br/>Christe atque Kallistes<br/>Per te, virgo nobilis,<br/>Quibus igne concrematis<br/>Et in coelo collocatis<br/>Tu perstas immobilis.</p> |
| <p>2. Ob hoc aevo puerili<br/>Culta studio senili,<br/>Informata coelitus,<br/>Deos falsos reperisti,<br/>Adamatrix Jesu Christi<br/>De corde medullitus.</p>            | <p>6. Heu tandem tu decollaris,<br/>Sed in coelis gloriaris<br/>Transmittens Theophilo<br/>Cum pomis vernantes rosas,<br/>Speciosas, odorosas<br/>Paradisi hortulo.</p>     |
| <p>3. Rosa vernans, sic odorem<br/>Tuum spargis et saporem<br/>Longe, late dulciter;<br/>Hinc a paganorum turbis<br/>Tradita praefecto urbis<br/>Es virgo ferociter.</p> | <p>7. Eja, dulcis Dorothea,<br/>De maligni me romphea<br/>Hostis pie libera,<br/>Fac ut plangam Christi mortem<br/>Cum Maria semper fortem<br/>Et haec adde munera.</p>     |
| <p>4. O quam dire cruciata,<br/>In catasta tua grata<br/>Sunt distenta viscera,<br/>Hinc in vultu fuste caesa,<br/>Faculisque tua laesa<br/>Sunt praeclara ubera.</p>    | <p>8. A verenda paupertate<br/>Et ab omni tempestate<br/>Nec non ab infamia<br/>Me custodi, me gubernas,<br/>O praeclara Christi verna,<br/>Per aeterna saecula.</p>        |

Orať. ms. Scotorum Vindobonen. 52 d 11. saec. 15. A. — Clm. Monacen. (ol. S. Udalrici et Afrae) 4423 anni 1481. B. — 5, 2 Kristen atque Kallistes AB. — 5, 6 Tu fehlt B. — 6, 1 Tu fehlt B. — 8, 1 berenda B.

173. De sancta Dorothea.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Dei sponsa inclita,<br/>Virgo Dorothea,<br/>Quae in coelis sequeris<br/>Agnum, ad te mea<br/>Heu peccatrix anima<br/>clamat mortis rea:<br/>Cor mundum et spiritum<br/>rectum in me crea.</p> | <p>Ut ejus sanctissimum<br/>nomen nunquam negem,<br/>Sed semper custodiam<br/>sacram ejus legem.</p>   |
| <p>2. O martyr egregia,<br/>ora Christum regem,<br/>Quod me ovem perditam<br/>reportet ad gregem,</p>   | <p>3. Regni Cappadociae<br/>impious praefectus<br/>Te in sponsam petiit<br/>specie illectus,<br/>Sed effectu caruit<br/>ipsius affectus;<br/>Per te, beatissima,<br/>sim Deo dilectus.</p> |

4. Odio Fabricii  
contra te furentis  
Missa es in dolium  
olei ferventis,  
Quod tibi non nocuit  
vi omnipotentis;  
Serva me a gladio  
in throno sedentis.
5. Tenebroso carcere  
innocens locata,  
Cibi alimonia  
tibi denegata,  
Per sanctos es angelos  
Dei confortata;  
Mea fiant opera  
per te Deo grata.
6. Hinc poenis equulei  
sancta cruciaris,  
In mammillis faculis  
Igneis cremaris,  
Ultimo sententia  
Capitis damnaris;  
Me a malis omnibus  
clemens tuearis.
7. Extra muros duceris  
Instar Jesu Christi,  
Pro cujus preconio  
mortem pertulisti,  
Rosasque Theophilo  
scribae tu misisti  
Et sic in palatia  
coeli introisti.
8. Adjuva, misericors,  
tuum laudatorem,  
Respice, piissima,  
tuum oratorem,  
Per te Jesum habeam  
pium adiutorem  
Et contra diabolum  
jugem protectorem.

Orat. ms. Sigismundi Span de Bernstein 1477. Cod. Pragen. XIII Hs. 3 b.

#### 174. De sancta Dorothea.

1. Ave, sancta Dorothea,  
Consolatrix et spes mea,  
Peccatorum de morphea  
Sana me et justum crea.
2. Ave, virgo mitis tota,  
Da, ut caritas sit nota  
Mibi, per quem fracta vota  
Scelerata forent lota.
3. Ave, szeptum Christi gratum  
Liliumque delicatum,  
Miseriae meae statum  
Mihî verte in beatum.
4. Ave, vultu nimis clara,  
Me pollutum mundum para,  
Ut gens saeva et avara  
Me non trahat ad amara.
5. Ave, coeli cornu digna,  
Mater cunctorum benigna,  
Christo, quaeso, me consigna,  
Ne me tangat vis maligna.
6. Ave, gemma virtuosa,  
Dorothea, vernans rosa,  
Esto mihi gratiosa  
In hac valle lacrimosa.
7. Ave, flos virginitatis,  
Patens glosa sanctitatis,  
Statum meae paupertatis  
Vide vultu pietatis.
8. Ave, speculum pudoris,  
Dorothea, vas honoris,  
Me emunda intus, foris  
De humore coeli roris.

9. Ave, rivus fluens melle,  
Mea mala procul pelle  
Et cor meum purga felle,  
Ut sim gratus maris stellae.
10. Ave, pietate plena,  
Coeli tu dulcoris vena,  
Paradisi ad amoena  
Me de faece duc terrena.
11. Ave, martyr eximia,  
Dorothea, virgo pia,  
Cordi meo allevia,  
Quae hactenus sunt gravia.
12. Ave, nutrix orphanorum  
Consolatrixque moestorum  
Et adjutrix afflictorum,  
Me consortem fac lectorum.
13. Ave, mea spes sublimis,  
Te deposco moestus nimis  
Ut cum vitae erit finis,  
Me ad Christum fer ab imis.
14. Ave, virtus virginalis,  
Tuis pasce me sub alis,  
Ne in finem jungar malis,  
Sed sim justis coaequalis.
15. Ave, balsamus odoris,  
Amygdalum clari floris,  
Me sanctorum junge choris,  
Ut te laudem cunctis horis.
16. Ave, lumen lucis merae,  
Dorothea, miserere  
Mei morbisque medere  
Et sinistra cuncta tere.
17. Ave, laetitia vera,  
Tu moestorum spes sincera,  
Cordis mei tu sis sera,  
Ne hoc intret vorax fera.
18. Ave, Christi disciplina,  
Mitem mihi te inclina  
Corque serves a ruina,  
Hostis fiam ne rapina.
19. Ave, rutilans aurora,  
Virgo fulgens et decora,  
Jesum flecte et exora,  
Ut sim felix mortis hora.
20. Ave, consors angelorum,  
Choris infer me sanctorum.  
Deum laudem ut deorum  
Cunctis horis saeculorum.
21. Ave, clemens et intacta,  
Dorothea virgo sancta  
Per te in me sint confracta  
Scelerata quaevis acta.
22. Ave, quae es cordis rei  
Ancora et forma spei,  
Interventrix esto mei  
In conspectu summi Dei.
23. Ave, sidus tu praeclarum,  
Causas aufer ruinarum  
Atque Christo fac me carum,  
Qui est salus animarum.
24. Ave, mea advocata,  
Dorothea sis rogata,  
Ut defectus et peccata  
Per te a me sint ablata.
25. Ave, domus pietatis,  
Flos totius honestatis,  
Dies praesta sanitatis  
Meque serva a peccatis.
26. Ave, virgo dulcis famae,  
Vitiosa aufer a me,  
Ut culparum mihi squamae  
Non sint cruciatus flammae.
27. Ave tu, quae scribam rosis  
Paradisi speciosis  
Reducis a falsis glosis  
Salvans dictis gloriosis.
28. Ave, virgo Christi bona,  
Te exoro voce prona,  
Ut haec laudis meae dona  
Tua perstent in corona.
29. Ave, palmes verae vitis,  
Dorothea sponsa mitis,  
Cum operibus contritis  
Aufer cordis flammam litis.
30. Ave, cellula virtutum,  
In extremis fac me tutum,  
Tuum praebens mihi scutum,  
Ne formidem tunc versutum.

- |   |   |
|---|---|
| <p>31. Ave, agouista fortis,<br/>Praesens sis in hora mortis,<br/>Ne inferni jungar portis,<br/>Sed in coeli laeter hortis.</p> | <p>32. Ave, victrix tormentorum,<br/>Te exoro, ut meorum<br/>Memor exstes amicorum,<br/>Vivorum et mortuorum.</p> |
|---|---|

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. B. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1. saec. 15. C. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. D. — 1, 1 Ave sancta Katharina CD. — 6, 2 Katharina vernans CD; ebenso 8, 2; 11, 2; 16, 2; 21, 2; 24, 2; 29, 2. — 12, 4 fac beatorum CD; lectorum statt electorum. — 16, 1 lucis meae CD. — 19, 2 Refulgens et decora CD. — 21, 3 Pro te . . . sunt CD. — 22, 2 formosa spei CD. — 26, 1 Ave virgo egregia CD. — 26, 2 Aufer a me vitiosa CD. — Str. 27 fehlt, weil auf Katharina nicht anwendbar CD. — 28, 4 praestent ACD.

### 175. De sancta Dympna.

Ave, Dympna, virgo sanctissima,  
Multa laude vere dignissima.  
Ave, gratiosa et jucunda,  
Agni sanguine rubicunda.  
Ave, beata Christi virguncula,  
Per quam tanta coruscant miracula.  
Gaude, dulcis et benedicta,  
Quae reorum deles delicta.  
Vale, pia mater, per saecula,  
Sis apud Christum pro nobis sollicita.

Orat. ms. saec. 15. Cod. der k. k. Fideikommissbibl. Wien 7977.

### 176. De sancta Ertrude.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Egregia Eretrudis,<br/>Vernis tuis tu recludis<br/>Aulam tuae gratiae,<br/>Tui fontis dispensatrix,<br/>Gazae coeli ac donatrix<br/>Tu flos honorantiae.</p>            | <p>4. Despondisti te sincero<br/>Jesu Christo, sponso vero,<br/>Regi regum omnium,<br/>Dote cujus semper fruens,<br/>Sine fine ipsum tuens<br/>Deitatis filium.</p>    |
| <p>2. Redimita auro poli<br/>Et adjuncta vero soli,<br/>O dulcis Christicola,<br/>Refecta es delicate<br/>Tui sponsi pietate,<br/>Hierarchiae incola.</p>                     | <p>5. Rosa florens, pulchra tota,<br/>Caritatis igne fota,<br/>Clarior sideribus,<br/>Rectrix filiabus Christi<br/>Sacrum dogma tu dedisti<br/>Verbis et operibus.</p> |
| <p>3. Normae verae observatrix,<br/>Sanctae vitae legislatrix,<br/>Aquaе vivae situla.<br/>Nos tu aqua illa riga,<br/>Ut sedetur mortis briga,<br/>Tu spes nostra patula.</p> | <p>6. Vitis vernans celebina,<br/>Vina donans dulcorina<br/>Te insuppentibus,<br/>Vera atque tu matrona,<br/>Advocata semper prona<br/>In necessitatibus.</p>          |

7. Diademate ornata  
Virginali, Deo grata,  
Es in throno gloriae  
Ebriata tu amore  
Trinitatis ac dulcore  
O quam multifarie.

8. Ingens claritatis lumen,  
Totam te illuxit numen  
Sua claritudine,

Incliti es favus mellis,  
Relevatrix in procellis,  
Protectrix in turbine.

9. Salutaris nostri ortus  
Ac securitatis portus,  
Me audi benigniter,  
Suspiro ad te benignam,  
Ut hic vitam mihi dignam  
Dones et perenniter.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 55 d 11. saec. 15. — 2, 4 Referta. —  
3, 5 sedatur. — 8, 5 Revelatrix.

### 177. De sancto Floriano.

1. In hoc festo martyris,  
Fratres jucundemur,  
Ne fermenti veteris  
Faece praegravemur,  
Sinceres in azymis  
Simul epulemur  
Et praeclari palmitis  
Palnam veneremur.

2. Iste sicut lilium  
Palmes germinavit  
Et in aquis Siloe  
Vestes candidavit,  
Ut vernans in Jericho  
Rosa rutilavit,  
Nam in agni sanguine  
Stolam suam lavit.

3. Tractus ante iudicem  
Litem contestatur,  
Se trinum Deum colere  
Non infitiatur  
Et mortis sententiam  
Pati gloriatur,  
Ut pereuni gaudio  
Libere fruatur.

4. Ex Aegypti tenebris  
Postquam est translatus,  
Mox accinctus renibus,  
Pedes calciatus,

Spiritali baculo  
Fortiter armatus,  
Phase verum peragens  
Transit immolatus.

5. Exiens de Jericho  
Hierusalem tendit,  
Unde quondam saucius  
Hic homo descendit  
Et palmae dulcissimos  
Fructus apprehendit,  
Cautus et ad lapidem  
Pedem non offendit.

6. Jam victor stelliferam  
Colit regionem  
Et compensat praemio  
Duram passionem,  
Nam de mensa percipit  
Benedictionem,  
Christum sibi computans  
Summam petitionem.

7. Nostram non ambigimus  
Catervam decere,  
Ut hoc festum studeat  
Colere sincere,  
Sed hoc non sufficimus  
Decenter implere,  
Tu autem, o Domine,  
Nostris miserere.

Cod. S. Floriani XI 220. saec. 12. fol. 211 b. — Daraus mit einzelnen Ungenauigkeiten bei Pez, *Scriptt. rer. Austr.* I, 53. — 3, 2 wegen Radierungen undeutlich. — 3, 8 perfruatur.



178. De sancto Georgio.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Salve, martyr gloriose,<br/>Ave miles pretiose,<br/>Christi flos militiae,<br/>O Georgi gratiose,<br/>Germen stirpis generosae<br/>Gentis Kappadociae.</p> <p>2. Salve, crucis vexillator<br/>Et virtute triumphator<br/>Coelestis significans,<br/>Per quem sola regis nata<br/>Est a fauce liberata<br/>Draconis pestiferi.</p> <p>3. Salve, miles summi Dei,<br/>Per virtutem sanctae spei<br/>Superans daemonia,<br/>Et pro Christo mente laeta<br/>Hujus mundi pompa sprete<br/>Despexisti omnia.</p> | <p>4. Salve, victor in tormentis,<br/>Fide constans verae mentis<br/>Spreta idolatria,<br/>Post tormenta decollatus<br/>Et cum sanctis exaltatus<br/>In coelesti patria.</p> <p>5. Salve, martyr, spes Anglorum,<br/>Dux et decus bellatorum,<br/>Honor te colentium,<br/>Alme Christi proelior,<br/>Sis benignus defensator<br/>In te confidentium.</p> <p>6. Ora Christum, Christi care,<br/>Et Mariam deprecare,<br/>Ut devictis hostibus<br/>Hic possimus triumphare<br/>Et post mortem conregnare<br/>Tecum in coelestibus.</p> |
|--|--|

Orat. ms. saec. 15. Cod. Loudinen. Harl. 2387. A. — Orat. ms. Trudonense saec. 16 in. Cod. Leodien. 395. B. — 1, 3 fehlt B. — 1, 5 sq. fehlen B. — 2, 3 solus A. — 3, 1 regis Dei B. — 3, 4 Et fehlt B; Christi A. — 4, 1 victor verae mentis A. — 4, 2 constans victor mentis A. — Str. 5 fehlt B. — 6, 3 de cunctis hostibus B.

179. De sancto Georgio.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Ave, Quiritum gloria,<br/>Ave, martyrum victoria,<br/>Ave, lux thronorum,<br/>Ave, dux patronorum,</p> <p>5. Ave, inclite proelior,<br/>Orthodoxe propagator,<br/>Inclitus et gloriosus,<br/>Nulla quippe labe rosus,<br/>Strenuitate fulcitus,</p> <p>10. In latria sistens citus,<br/>Georgi sanctissime,<br/>Moribus gravissime,<br/>Tu illaesus permansisti,<br/>Dum virtute Jesu Christi</p> <p>15. Intoxicatum bibisti,<br/>Unde magum convertisti.<br/>O rex, spreter mundanorum,<br/>Frivolantur vires quorum,</p> | <p>Quanta luce corruscasti,<br/>20. Virginem dum liberasti<br/>Mortis ab exitio<br/>Fidei mysterio,<br/>Draconem interficiendo,<br/>Ob hoc regem convertendo.</p> <p>25. Ex quo nobilissimus,<br/>Cunctis potentissimus,<br/>Certe nobilis equester,<br/>Inter me et hos tres hostes<br/>Coeli defende ut postes,</p> <p>30. Carnem, daemonemque mun-<br/>dum.<br/>Fac me iter ire mundum<br/>Et sic jube militare,<br/>Coelum possim ut intrare,<br/>Tuo sancto sub vexillo</p> <p>35. Locans nos tunc in tranquillo.</p> |
|--|--|

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

180. De sancto Georgio.

1. Fideles, huc attendite,  
Christi sanctum diligite,  
Mentibus laetis dicite:  
Georgi, martyr inclite,
2. Te decet laus et gloria,  
Praedotatum militia,  
Per quem puella regia  
Existens in tristitia
3. Coram dracone pessimo  
Te rogans corde intimo  
Salvata est et animo  
Se reddidit altissimo
4. Cum multis infidelibus.  
Fac ergo sic, ut civibus  
Tu nos reddas coelestibus  
Nostris ablutis sordibus.
5. Ut simul cum laetitia  
Tecum simus in gloria  
Nostraque reddant labia  
Laudes Christo cum gratia.

Orat. ms. saec. <sup>14</sup>/<sub>15</sub>. Cod. Bruxellen. 108 12—16. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. bibl. Rossianae s. n. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Vatican. 3768. C. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 206. D. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Parmen. GG I 124. E.

1, 1—4 fehlen CDE. — 2, 3 quam A. — 3, 2 sq. umgestellt D. — 3, 2 Te fehlt C; rogat A. — 3, 3 est a Domino. — 3, 4 fehlt C. — 4, 1 Nunc in crucis fidelibus B; Ut cum cunctis fidelibus C. — 4, 2 Fac ergo, ut cum civibus B; Coeli jungamur civibus C. — 4, 4 Mortis ablatis A.

181. De sancto Geraldo.

- |  |   |
|--|---|
| <ol style="list-style-type: none"> <li>1. O Geralde, gaude, plaude,<br/>Vir virtutum dignus laude,<br/>Non sit, qui te sileat;<br/>Claraevallis hinc exsultet,<br/>Omnis ordo sic resultet,<br/>Ut nec unus taceat.</li> <li>2. Huc venite et videte,<br/>Mecum, quaeso, congaudete,<br/>Tota coeli curia,<br/>Hic Geraldus, quem tenetis,<br/>Martyr factus, ut videtis,<br/>Sua tinxit lilia.</li> </ol> | <ol style="list-style-type: none"> <li>3. Erat heri candidatus<br/>Et en modo rubricatus,<br/>Flos in florem transiit;<br/>Flos in florem transmutatur,<br/>Liliumque decoratur,<br/>Cum in rosam prodiit.</li> <li>4. Claraevallis nostrae coetus<br/>Vobis psallens atque laetus<br/>Mittit haec encennia;<br/>Heri virum dealbatum,<br/>Nunc habetis purpuratum<br/>In coelesti gloria.</li> </ol> |
|--|---|

5. Talem fructum ab Avernis  
Modo legunt in supernis  
Montibus coelicolae,  
Non diebus tantum vernis,  
Sed diebus sempiternis  
Cujus rubent violae.
6. Nunc ad virum revertatur,  
Qui sic suo decoratur  
Pretioso sanguine,  
Qui pro legis Dei jure,  
Quam tenebat ita pure,  
Est defossus inguine.
7. Caro fuit ferro caesa,  
Sed permansit mens illaesa  
Sub virili pectore,  
Carnem fodit et cucullam,  
Laesionem tamen nullam  
Mens sensit de corpore.
8. Parce mihi, sanctus dixit,  
Cum cultellum latro fixit,  
Parce mihi, domine,  
Ad hanc precem se non flexit  
Et magistrum non respexit  
Vel pro Christi nomine.
9. Non est flexus nec mutatus  
Homo nequam exoratus  
Tam misericorditer,  
Sed percussit virum magnum  
Et invasit lupus agnum  
Nimium abtrociter.
10. O Geralde sancte, vale,  
Cui nomen aeternale  
Dominus largitus est,  
Pro me, quaeso, deprecare,  
Ne me mergat mundi mare,  
Ubi nemo tutus est.
11. Ille ego tuus quondam,  
Modo cantor, cur abscondam,  
Quod est meum canere?  
Me misisti trans marina,  
Ne te praesens in ruina  
Vae, vae possim plangere.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 1444. saec. 15.

### 182. De sancta Hedwige.

1. Hedwigis, praeclarissima  
Stirpe procreata,  
Ab adolescentia  
Summo regi grata,  
Pio es Poloniae  
Duci copulata,  
Mihi, mater, impetra  
praemia beata.
2. Exstingue, castissima,  
lubricum calorem  
In me tuo famulo  
castumque amorem  
Meis pete sensibus  
apud redemptorem,  
Ut castarum mentium  
vincam corruptorem.
3. Ducis tu Meraniae  
filia praeclara,  
Deo et hominibus  
Placens atque cara,  
Iter ad coelestia  
mihi tutum para,  
Ne me poena tartari  
cruciet amara.
4. Vulnera superbiae  
in me clemens cura  
Meaque peccamina  
dele prece pura,  
Quod evadam inferi  
tormenta tam dura  
Tecumque possideam  
gaudia ventura.

5. In praeclaro culmine  
et sic affixisti  
Diris cruciatibus,  
quod carnem fecisti  
Servire spiritui  
nec non subjecisti,  
Fac, ut corpus teneam  
sub rigore Christi.
6. Gloriosa trinitas  
sic te illustravit,  
Quod per te miracula  
multa perpetravit,  
Variis languoribus  
oppressos curavit,  
Tua prece salvet me  
is, qui me creavit.
7. In lege conjugii  
carnem sic domasti,  
Quod a viri thalamo  
thorum sequestrasti,  
Nudis semper pedibus  
felix ambulasti,  
Hunc me fac devincere  
hostem, quem calcasti.
8. Sub jugo altissimi  
fac me permanere  
Et ejus imperio  
jugiter parere,  
Quod fraus mihi Satanac  
nequeat nocere,  
Ut possim in gloria  
tibi congaudere.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

### 183. De sancto Henrico.

1. Rex Henricus sis amicus  
Nobis in angustia,  
Cujus prece nos a nece  
Salvemur perpetua.
2. Lampas morum, spes aegrorum  
Ferens medicamina,  
Sis tuorum famulorum  
Ductor ad coelestia.
3. Pax in terra, non sit guerra  
Orbis per confinia,  
Virtus crescat et fervescat  
Caritas per omnia.
4. Non sudore vel dolore  
Moriatur subito,  
Sed vivamus et plaudamus  
Coelis sine termino.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

### 184. De sancto Hieronymo.

1. Dispensator scripturarum  
Jeronyme tu sacrarum,  
Doctorque eximie,  
Protege me supplicentem,  
Serva tibi famulantem,  
Excelse Christicole.
2. Funde preces, flecte Deum,  
Ut illustret pectus meum,  
Ad te mentem erigo,  
Ut sim salvus tuo dono,  
Totam in te spem repono  
Te patronum cligo.

- |   |  |
|---|--|
| <p>3. Ecclesiae tuae electus<br/>         Doctor factus et perfectus<br/>         Et flos pudicitiae,<br/>         Vagos stringe cogitatus,<br/>         Per te salvus in me status<br/>         Degat innocentiae.</p> <p>4. Sensus frena fluctuantes.<br/>         Hostes fuga conturbantes,<br/>         Reprime daemonia,<br/>         Doma mentem, iram frena,<br/>         Confer pacem, cor serena,<br/>         Aufer adversantia.</p> <p>5. Doctor clare, tu dignare<br/>         Delictorum impetrare<br/>         Mihi Christi veniam,<br/>         Ut sic possim respirare<br/>         Excessusque emendare<br/>         Consecutus gratiam.</p> | <p>6. Confer vitae sanitatem,<br/>         Dona morum honestatem<br/>         Et quieta tempora,<br/>         Auge veram caritatem<br/>         Pectorisque puritatem,<br/>         Me languentem roboram.</p> <p>7. O lucerna, flos virtutum,<br/>         Doctor tenens iter tutum,<br/>         Stella lucens sedulo,<br/>         Jubar tuae pietatis<br/>         Me defendat a peccatis<br/>         Tollens ab ergastulo.</p> <p>8. Vitae meae rege cursum,<br/>         Post hanc vitam tolle sursum<br/>         Animam ad gaudia,<br/>         Ubi Deum contemplari<br/>         Justisque consociari<br/>         Merear in gloria.</p> |
|---|--|

Cod. S. Petri Salisburgen. a III 10. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b II 30. saec. 15. B. — Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Aefrae) 4423 anni 1481. C. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 4977. saec. 15. D. — Orat. ms. Palat. Vindobonen. 4106 saec. 15. E. — Cod. Palat. Vindobonen. 2014. saec. 15. F.

Das Lied steht als Sequenz, was es ursprünglich keinesfalls ist, in Miss. ms. Palat. Vindobonen. 1797 und mit verändertem Anfang: Dispensator regularum, Benedicite, tu sacrarum, als Lied auf den hl. Benedict in Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 20021 anni 1470.

1, 2 sanctarum AB. — 2, 5 spem pono AB. — 3, 2 Doctor perfectusque Dei amator AB. — 3, 3 Flos es pudicitiae AB. — 3, 6 Degant AB. — 4, 6 adversaria AB. — 5, 3 Christi fehlt AB. — 6, 5 que fehlt AB. — 7, 2 sternens iter C; cernens iter D. — 8, 6 Mereamur AB. — Man vgl. das Lied Contemplator trinitatis, welches der Dichter dieses gebrandschatzt hat.

### 185. De sancto Hieronymo.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. Confessor alme Domini,<br/>         Jeronyme beate,<br/>         Nefando mihi homini<br/>         De tua bonitate</p> <p>5. Tuisque sanctis precibus<br/>         Sincere confidenti<br/>         Et peccatorum sordibus<br/>         Crudeliter foetenti<br/>         Digneris pius veniam</p> <p>10. A Deo postulare<br/>         Per tuamque clementiam<br/>         Eundem deprecare</p> | <p>Pro tam indigno famulo<br/>         Tuac sanctitatis,</p> <p>15. Ut plasmati exiguo<br/>         Suae immensitatis<br/>         Ipse largitor gratiae<br/>         Per suam pietatem<br/>         Ob suae clementiae</p> <p>20. Immensam bonitatem<br/>         Dignetur sinum gratiae<br/>         Clementer aperire<br/>         Ad statum innocentiae<br/>         Praestetque pervenire,</p> |
|--|---|

25. Ut perseverans jugiter  
 In vitae puritate,  
 Conservet me fideliter  
 In omni caritate.  
 Ad virtuose vivere
30. Sis firmum adjuvamen  
 Hostesque dona vincere  
 Per tuum sanctum nomen.  
 O candor innocentiae  
 Ac gemma puritatis,
35. O splendor pudicitiae  
 Et norma sanctitatis,  
 O flos florum vernantium  
 Et speculum virtutis,  
 Cunctorum te amantium
40. Tutamen es salutis.  
 Tu sidus es irradians,  
 Doctor sinceritatis,  
 Ecclesiam illuminans  
 Doctrina veritatis,
45. Tu lux et lumen saeculi,  
 Tu stella claritatis,  
 Te amant omnes populi,  
 Qui tuae sanctitatis  
 Noverunt magnitudinem
50. Ac merita laudanda  
 Tuamque altitudinem  
 Et vota admiranda.  
 Per tuam te clementiam,  
 Egregie doctorum,
55. Tuamque excellentiam,  
 Eximie virorum,
- Te deprecor, Jeronyme,  
 O nimium beate,  
 Ut peccatrici animae
60. Pro tua pietate  
 Deus affectum satiet  
 Et ne ullius ultor  
 Se invenisse gaudeat.  
 Esto fidelis tutor,
65. Et quem pus premit scelerum.  
 Nunc et in hora mortis,  
 Confundat ne jus divinum,  
 Esto adjutor fortis.  
 Per merita sanctissima
70. Et intercessionem,  
 Quae sunt arma fortissima,  
 Et consolationem  
 Ipsum tremendum judicem  
 Efficias placatum.
75. Iram ejus ne vindicem  
 Propter meum reatum  
 Sentiens mirabiliter  
 Poenam experiendo  
 Et zabulo finaliter
80. Cum ipso permanendo  
 Associari merear  
 Ab eo puniendus,  
 Sed tua prece protegar  
 Et tecum perfruendus
85. Aeternae vitae gaudia  
 Laetus percipiendo  
 Per saeculorum saecula  
 Illie Deum laudando.

Cod. S. Petri Salisburgen. a II 10 saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b II 30. B. — 13 sq. fehlen A. — 28. In vera et omni caritate B. — 59. Et peccatrici AB. — 62. Et ne lius ultor A; Et nullius ultor B; die Stelle ist verdorben. — 63. Sed invenisse B. — 65. premat A. — 71. arma sanctissima AB.

### 136. De sancto Hieronymo.

1. Ave, gemma monachorum,  
 Jubar stellaque doctorum,  
 Praedicator inclite,  
 Expugnator perfidorum,  
 Illustrator devotorum,  
 O sancte Jeronyme,
2. Deprecare Jesum Christum,  
 Ut post nequam mundum istum  
 In coelesti culmine  
 Donet nobis cum beatis  
 Aeternae clarificatis  
 Perenniter vivere.

Cod. Altovaden. 31. saec. 15.

187. De s. Johanne Baptista.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Gaude, Johannes baptista<br/>Qui in ventris clausus cista<br/>Congaudebas Domino,<br/>Fac nos tecum tu gaudere<br/>Simul atque congaudere<br/>Christo sine termino.</p> <p>2. Gaude, nam tu nominatus<br/>Et ut Christus, nuntiatius<br/>Es eodem angelo,<br/>Nunc nos Christo fac conformes,<br/>Sic ut simus deiformes<br/>In futuro saeculo.</p> <p>3. Gaude, quia te infante<br/>Nato gaudet plebs, ut ante<br/>Gabriel praedixerat;<br/>Per hunc plausum temporalem<br/>Plebi plausum perennem<br/>Da, qui sensum superat.</p> | <p>4. Gaude, cujus fit soluta<br/>Lingua patris prius muta,<br/>Quando circumcideris,<br/>Nostras linguas nunc laxari<br/>Fac per laudem et laetari<br/>Nos fac post cum superis.</p> <p>5. Gaude, quia prophetavit<br/>De te pater cum cantavit:<br/>Benedictus Dominus;<br/>Isto cantu consolemur<br/>Et a cunctis conservemur<br/>Mundi malis protinus.</p> <p>6. Gaude, tenens strictum ritum<br/>Quoad victum et vestitum,<br/>Habitator eremi,<br/>Carnis vilis voluptatem<br/>Sanctam per sobrietatem<br/>Fac in nobis reprimi.</p> <p>7. Gaude tantae sanctitatis,<br/>Quod in mulierum natis<br/>Major te non fuerat,<br/>Tu, amice Christi care,<br/>Nos cum eo fac regnare,<br/>Qui te talem fecerat.</p> |
|---|--|

Orat. ms. Altovadense XXXVII. saec. 15. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2846. B. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Ar. 203. C. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinitatis Oxonien. 13. D. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 10776. E. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. saec. 15. F. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. G.

Das Lied kommt in einer längeren und kürzeren Fassung vor. Letztere, welcher die Verse 4, 5 und 6 der sechs ersten Strophen fehlen, bieten sämtliche Handschriften mit Ausnahme von CFG, welche die längere Form haben.

1, 1 Gaude Christi tu baptista FG. — 1, 2 in alvi clausus FG. — 1, 4 Fac me tecum hilarari FG. — 1, 5 Simul atque venerari FG. — 1, 6 Christum FG. — 2, 1 Gaude tu nam FG. — 2, 4 consortes FG. — 3, 4 Post hunc plausum C. — 4, 4 hic laxari FG. — 4, 6 Post civibus cum superis FG. — 5, 6 Mundi fehlt C. — 6, 5 Per sanctam C. — 7, 2 natis fehlt A.

188. De ss. Johanne Baptista et Johanne Evangelista.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Ave, Dei o gratia,<br/>Baptista, nobis spatia<br/>Des, vitam corrigamus;<br/>Divinae compar gratiae,<br/>Evangelista gloriac,<br/>Vos binos salutamus.</p> | <p>2. Gaude, Johannes nominatus<br/>Alvo matris nondum natus<br/>Gabrielis vocibus,<br/>Praeco Dei vocitatus<br/>Es propheta designatus,<br/>Baptista Christi praevious.</p> |
|--|--|

- |  |   |
|--|---|
| <p>3. Gaude, Johannes vocitatus,<br/>Aquila praefiguratus<br/>Ezechielis visibus,<br/>Prophetias es effatus<br/>Et apostolus dotatus,<br/>Evangelista coelitus.</p> <p>4. Gaude, Johannes, vox clamantis<br/>Et lucerna perlustrantis<br/>Veri luce numinis,<br/>Patris vocem audis fantis,<br/>Lavas corpus conregnantis<br/>Unda visu flaminis.</p> <p>5. Gaude, Johannes, verbum vocis,<br/>Eructabas multis locis,<br/>Quod verbum caro factum est,<br/>Patrem audis videns natum<br/>Corruscantem transfiguratum,<br/>Monte Thabor hoc actum est.</p> <p>6. Gaude, Johannes, nepos Christi,<br/>Amicus ejus adfuiti<br/>Agnum monstrans digito;<br/>Ipsam multum dilexisti,<br/>In deserto praedixisti,<br/>Advenit prope saeculo.</p> <p>7. Gaude, Johannes, nepos Christi,<br/>Christi care, tu vidisti<br/>Agnam Sion speculo,<br/>Praedilectus tu fuisti,<br/>Apocalypsim post scripsisti<br/>Pathmos in exsilio.</p> | <p>8. Gaude, Johannes, castitatis<br/>Exemplarque virginitatis,<br/>Praedicans poenitentiam<br/>Et salutem, baptizatis<br/>Pharisaeis reprobatis<br/>Affirmans indulgentiam.</p> <p>9. Gaude, Johannes, Dei matris<br/>Custos nutu deitatis,<br/>Virgo per excellentiam;<br/>Tu per verba veritatis<br/>Haereticorum pravitatis<br/>Superasti nequitiam.</p> <p>10. Gaude, martyr, cujus lumen<br/>Venit limbo quasi numen<br/>Redemptorem nuntians,<br/>Bone martyr, vates, virgo,<br/>Morituro, quando pargo,<br/>Sis reconciliatio.</p> <p>11. Gaude, martyr sanctitatis,<br/>Avis, virgo puritatis,<br/>Vas ferventis olei<br/>Te non laedit, Christi sacrista,<br/>Nos conserves cum baptista,<br/>Valete, sancti gemini.</p> <p>12. Vale, major hominum,<br/>Ora pro nobis Dominum,<br/>Johannes o baptista;<br/>Vale, qui prae ceteris<br/>A Christo plus diligeris,<br/>Johannes evangelista.</p> |
|--|---|

Orat. ms. saec. 15. Cod. Collegii SS. Trinit. Oxonien. 13.

### 189. De s. Johanne Evangelista.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Contemplator trinitatis,<br/>Speculum virginitatis,<br/>Johannes apostole,<br/>Protege me supplicantem,<br/>Serva tibi famulantem,<br/>Excelsae coelicole;<br/>Funde preces, flecte Deum,<br/>Ut illustret pectus meum,<br/>Ad te mentem erigo,<br/>Ut sim salvus tuo dono,<br/>Totam in te spem repono,<br/>Te patronum eligo.</p> | <p>2. Virgo Dei es electus<br/>Et prae ceteris dilectus,<br/>Gemma pudicitiae,<br/>Vagos stringe cogitatus,<br/>Ut sit salvus in me status<br/>Dei continentiae,<br/>Sensus firma fluctuantes,<br/>Hostes fuga conturbantes,<br/>Reprime daemona,<br/>Doma mentem, iram frena,<br/>Confer pacem, cor serena,<br/>Aufer adversantia.</p> |
|---|---|



3. Cum Jesu recubuisti  
Super pectus, ebibisti  
Dicta evangelica,  
Dum in Pathmos relegaris,  
Ad superna sublevaris,  
Contemplaris mystica.  
Praeelecte, tu dignare  
Delictorum impetrare  
Mihî Christi veniam,  
Ut sic possim respirare  
Et excessus emendare  
Consequi et gratiam.
4. O felix evangelista,  
Mihî jugiter in ista  
Aerumna subvenias;  
Sicut matrem Jesu Christi  
Commendam custodisti,  
Precor me custodias.  
Confer vitae sanctitatem,  
Corporis da sanitatem  
Et quietâ tempora,  
Aufer cordis pravitatem,  
Purga linguae foeditatem,  
Me languentem roborâ.
5. O lucerna, flos virtutum,  
Ductor cernens iter tutum,  
Stella lucens saeculo,  
Jubar tuae claritatis  
Me defendat a peccatis,  
Tollat ab ergastulo.  
Vitae meae rege cursum,  
Post hanc vitam trahe sursum  
Animam ad gaudia,  
Ubi Deum contemplari,  
Justis pie sociari  
Merear in gloria.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Orat. ms. Te-  
gurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20002 B. — Orat. ms. Lehninense anni  
1518. Cod. Berolinen. IV. 29. C. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod.  
Darmstadien. 521. D.

#### 190. De sancto Joseph.

1. Gaude, Joseph, fili David,  
Deus quod dignificavit  
Te regali prosapia,  
Orta qua fuit Maria.
2. Gaude, tibi non negatum,  
Quod Johanni est collatum,  
Intra matris suae ventrem  
Sanctam esse suam mentem.
3. Gaude, virginali flore,  
Quo nitebas ac decore  
Omnium virtutum clare,  
Fac, mi Joseph, te amare.
4. Gaude, Deus quod probavit  
Dignum te et demonstravit,  
Cui Mariam copularet,  
Virginem qui et servaret.
5. Gaude, quod te reputasti  
Ut indignum, recusasti  
Cum regina angelorum  
Copulae subire thorum.
6. Gaude, tibi quod illuxit  
Angelus, qui et induxit  
Te accipere conjugem,  
Mariam semper virginem.
7. Gaude, cui famulatum  
Et in Bethlehem ducatum  
Praestitisti mente pia,  
Ubi peperit Maria.
8. Gaude, cultu quod latriae  
Primitus regem gloriae  
Adorasti, solotenus  
Pro nobis missum coelitus.

9. Gaude, Deum quod laudantes  
Gloria audis cantantes  
Angelorum exercitus,  
Quod nobis natus est Christus.
10. Gaude, totis quod medullis  
Amas Jesulum, quem ulnis  
Tuis quam saepius stringis  
Dans oscula et maxillis.
11. Gaude, quod tu pater Christi  
Dignus dici meruisti,  
Eo quod eras nutritor  
Matris ejus atque tutor.
12. Gaude, annis quod ter denis  
Virtutibus cum his plenis  
Vixeras hic, cum patribus  
Dormis illis praesentibus.
13. De hac vita feliciter  
Coronandus sublimiter  
Pergis, Joseph, Deo care,  
Sis dux meus hoc per mare.

Orat. ms. Ambergense anni 1476. Clm. Monacen. 2990.

### 191. De sancto Joseph.

1. Gaude, Joseph, fili David,  
Quem cum magno decoravit  
Deus privilegio,  
Ut sis suae matris custos,  
Computatus inter justos,  
Credens Dei nuntio.
2. Non relinquens desponsatam,  
Sed in fine commendatam  
Observans puerperam,  
Ora tu Mariae natum,  
Ut se nobis det placatum  
Collocans in dexteram.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Vatican. 3768.

### 192. De sancta Katharina.

1. Ave, o eximia  
Virgo Katharina,  
Exorta de Graecia,  
Martyr et regina,
2. De tua praesentia  
Mons exsultet Sina  
In omni angustia  
Mihi sis vicina.
3. Ave, quae Maxentium  
Caesarem sprevisi  
Et ad Christum gentium  
Rhetores duxisti,
4. Rotarum supplicium  
Prece confregisti,  
Jucunda post gladium  
Coelos introisti.
5. Ave, quae in gloria  
Locum tenes gratum,  
Vide me in varia  
Culpa, quaeso, natum,
6. Currentem per devia  
Adhuc per peccatum,  
Spernentem felicia,  
Fac fine beatum.
7. Ave, virgo, propera  
Mihi in solamen,  
Exurgens ad prospera  
Tuum per levamen,
8. Da, ut spernam scelera,  
Mihi respiramen,  
Scandam super sidera  
Tuum per ducamen.

- |   |  |
|---|--|
| <p>9. Ave, mea gloria,<br/>Ave, vas virtutum,<br/>In mortis angustia<br/>Ferto mihi scutum,</p> | <p>10. Fac mea fallacia<br/>Satanæ solutum,<br/>Praebe ad coelestia<br/>Iter mihi tutum.</p> |
|---|--|

Cod. S. Petri Salisburgen. b. VIII. 1. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a. VI. 35. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. C. — Melodie: Costi regis filia.

193. De sancta Katharina.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. Ave, dulcis Katharina,<br/>Virgo martyr et regina,<br/>Florens rosa sine spina,<br/>Vitorum de sentina</p> <p>2. Me dignare sublevare<br/>Et a malis liberare,<br/>Propter tuam passionem<br/>Tutum meum fac agonem.</p> <p>3. Virgo prudens et formosa,<br/>Paradisi vernans rosa,<br/>Gloriosa sponsa Christi,<br/>Hostes omnes tu vicisti.</p> <p>4. Apud Christum impetrato<br/>Tuo interventu grato,<br/>Ut et ego superare,<br/>Tibi queam conregnare.</p> <p>5. Pretiosa margarita,<br/>In coelesti throno sita,<br/>Thorum tenes praeparatum,<br/>Sponsum mihi fac placatum.</p> | <p>6. Esto fida mediatrix<br/>Felixque interpellatrix<br/>Apud Christum, qui tuorum<br/>In pressuris tormentorum</p> <p>7. Te confortans visitavit<br/>Et finaliter salvavit.<br/>Oro, virgo, visitare<br/>Ut digneris et juvare</p> <p>8. Me in tribulatione<br/>Mundi nec non in agone<br/>Et ipsius salutare<br/>Mihi velis impetrare.</p> <p>9. Quando hinc sum transiturus<br/>Et a mundo exiturus,<br/>Precor, virgo praeamanda<br/>Et a cunctis veneranda,</p> <p>10. Ut tunc praesens esse velis,<br/>Inimicus ne crudelis<br/>Mihi queat insultare<br/>Et terrendo fatigare.</p> <p>11. Sed ad vitam perventurus<br/>Possim ipsum conditorem<br/>Contemplari cum beatis<br/>In conspectu trinitatis.</p> |
|--|---|

Cod. S. Petri Salisburgen. b. VIII. 1. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a. VI. 35. saec. 15. B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. C. — 4, 4 Tibi quoque conregnare AB. — 5, 3 Tuorum tenes AB. — 7, 3 O virgo visitare AB. — 8, 1 Ne in tribulatione AB. — 10, 2 ut crudelis AB.

194. De sancta Katharina.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. Ave, virgo speciosa,<br/>Katharina pretiosa,<br/>Costi regis filia,<br/>Cujus vultum et decorem<br/>Concupivit et amorem<br/>Cubans inter lilia.</p> | <p>2. In aetate juvenili<br/>Tui cordis in cubili<br/>Deo fruens dulciter<br/>Ejus cuncta pro amore<br/>Amorosa cum fervore<br/>Mundi spresti fortiter.</p> |
|--|---|

3. Quinquaginta superasti  
Atque Deo pretiasti  
Doctores malevolos  
Constrinxistique reginam  
Per divinam medicinam  
Linquere vaniloquos.
4. Cujus causa, o puella,  
Tibi multa sunt flagella  
Data per Maxentium,  
Sed sprevisi blandimenta  
Cuncta prosus et tormenta  
Ad salutem gentium.
5. Capitalem nimis dire  
Jussa tandem es subire  
Et pati sententiam;  
En res mira, pro cruore  
Lac manavit miro more  
Plebis ad praesentiam.
6. Et accedens angelorum  
Multitudo beatorum  
Corpus tuum tumultant  
Et in coelis multa dona  
Super datum esse bona  
Animae accumulant.
7. Ergo felix et beata  
Katharina, sociata  
Angelis in gloria,  
Omnes tibi famulantes  
Et juvamen postulantes  
Habe in memoria.
8. In eorum mortis hora  
Adsis cito sine mora  
Turbam fugans hostium,  
Tibi Deus nam promisit,  
Quisque tibi se commisit,  
Reddere solatium.

9. Eja, virgo praelecta,  
Duc me tecum in dilecta  
Dei tabernacula,  
Ubi sequar sine fine  
Tecum regis et reginae  
Agnum sine macula.

Orat. ms. saec. 15. Cod. bibl. Rossianae s. n.

### 195. De sancta Katharina.

1. Katharina regia,  
Virgo, martyr egregia,  
Speciosa amabilis,  
Generosa laudabilis,  
20. Potuisti celerrime  
Et ad Deum convertere  
In crucifixi nomine,  
Hos ad coeli palatium  
Praemittens per martyrium.
5. Virgo Christi castissima,  
Sponsa ejus dignissima,  
Esto mihi propitia,  
Quem multa gravant vitia.  
Passo, precor, compatere,  
25. O beatae primitiae  
Tuae sanctae militiae,  
O virilis constantia,  
Vincens blanda et aspera,  
Quam non mulcent blanditia,
10. Ad te compellor fugere,  
Quia non possum pergere  
Pro me, tu manum porrige,  
Vide meam miseriam  
Et peccatorum veniam
15. Mihi confer per gratiam  
A Deo tibi traditam  
30. Nec deterrent supplicia.  
Imperator Maxentius  
Caedens te scorpionibus,

- Hinc tenebrosi carceris  
In profundo detruderis,  
35. Fame, siti et frigore  
Maceranda continue.  
At te columba candida  
Refovebat interea,  
Dum dapes defert coelicas.
40. Cum te regina visitat,  
Christus eam illuminat,  
Quae cum duce Porphyrio  
Coronatur martyrio.  
Duces quoque mox milites
45. Ducenti fiunt martyres,  
Quorum felix victoria  
Tua laus est et gloria.  
Post haec visus est Dominus  
Cum coelorum agminibus,
50. Turba stipatus virginum,  
Hoc tibi dans solatium:  
Agnosce tuum, filia,  
Actorem, pro quo gravia  
Suscepisti certamina,
55. Constans esto per omnia,  
Tecum sum in auxilio,  
Nunquam ego te desero.  
Quam magna consolatio  
Fuit haec sponsi visio.
60. Vix enim fiunt machinae  
Rotarum acutissimae,  
Quas nimis horrens tacite,  
Et mox solvuntur turbine.  
Sed de plebe incredula,
65. Quae stabat ad spectacula,  
Quatuor perdidit milia  
Manus vindex angelica.  
Post hoc factum miraculum  
Turba gaudet fidelium,
70. Grex terretur incredulus,  
Mente dolet Maxentius,  
Cum se vinci a femina  
Vidit immitis bellua,  
Capitali sententia
75. Te plecti jubet, domina.  
Et jam ante martyrium  
Preces fundis ad Dominum  
Pro cunctis, qui memoriam  
Tui agunt mellifluam.
80. Exauditur oratio  
In coelorum palatio,  
Vox tibi mandat angelica,  
Haec impetrasse per omnia.  
Hinc grates agens Domino,
85. Cervicem subdens gladio,  
In Jesu Christi nomine  
Lac fudisti pro sanguine.  
Corpus sumentes angeli  
Conduunt in monte Sinai,
90. Ex quo destillat oleum  
Infirmis saluberrimum,  
Ubi Deus innumera  
Per te facit miracula,  
Sed et per orbis climata
95. Tua laudantur merita.  
O viva Christi hostia,  
Katharina sanctissima,  
Tua mihi sit passio  
Peccatorum remissio,
100. Jugis commemoratio  
Sit mentis reparatio.  
O virgo sole pulchrior  
Et omni melle dulcior,  
Fac, ut tua memoria
105. Mihi sit perpes gloria,  
Exaudi haec precamina  
Mea delens peccamina  
Virtute potentissima.  
Katharina piissima,
110. Quae perpetravi scelera  
Et mala innumera,  
Ab eorum me sarcina  
Tua prece exonera.  
Cum mala cogitatio
115. Vel carnalis temptatio  
Fit hostis expugnatio,  
Tua commiseratio  
Sit cordis reparatio.  
Audi preces cum júbilo
120. Tuae laudis, quam recolo,  
Katharina fortissima,  
Post Mariam dulcissima.  
O Maria, flos virginum,  
Mitem fac mihi Dominum
125. Deum tuum [et filium]  
Per Katharinae meritum.

- |   |  |
|---|--|
| <p>Katharina, archangeli<br/>Pro me orent et angeli,<br/>Apostoli et martyres,<br/>130. Confessores et virgines;<br/>Cuncta coelorum agmina<br/>Pro me ut orent, depreca<br/>Tu, quae de sponsi gloria<br/>Felix vivis per saecula.</p> <p>135. O Christe, salus unica,<br/>Qui de carne virginea</p> | <p>Pro me nasci dignatus es<br/>Et mortem crucis passus es,<br/>Sis Katharinae precibus<br/>140. Mihi semper propitius,<br/>Post hujus vitae terminum<br/>Aeternae confer praemium.<br/>Cum patre, sancto flamine<br/>Regnas tu sine tempore,<br/>145. Tibi laus sit et gloria<br/>Per saeculorum saecula.</p> |
|---|--|

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. anni 1351. — 37. Et te. — 82. Lies vox tibi dat? — 105. tua haec memoria. — 125. fehlt die Hälfte des Verses. — 135. O fehlt.

### 196. De sancto Laurentio.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Ad te, Deus, clamo reus,<br/>Dona mihi veniam<br/>Dans, ut quaeram opem veram,<br/>Adde, ut inveniam.</p> <p>2. De profundo corde fundo<br/>Lacrimarum flumina,<br/>Mortis metu largo fletu<br/>Mea madent lumina.</p> <p>3. Meos planctus ad te sanctus<br/>Martyrum grex provehat<br/>Et affectum in me rectum<br/>Generet ac foveat.</p> <p>4. Te, Laurenti, mihi flenti<br/>Poscente solatia<br/>Det post luctum luctus fructum<br/>Summi regis gratia.</p> <p>5. Martyr Dei, cordis mei<br/>Maculas extermina,<br/>Fac honorum in me morum<br/>Pullulare germina.</p> <p>6. Unde ductus crescat fructus<br/>Cremento multiplici,<br/>Habens scutum non occultum<br/>Cultoris mirifici.</p> <p>7. Martyr digne, tuam igne<br/>Tortor carnem torruit</p> | <p>Nec cremare, Deo care,<br/>Te vivum abhorruit.</p> <p>8. Vere bonum te carbonum<br/>Probavit congeries<br/>Et poenarum aliarum<br/>Multiformis series.</p> <p>9. Vis tormenti tuae menti<br/>Nequaquam praevaluit,<br/>Carne usta mens robusta<br/>Coeli flamma caluit.</p> <p>10. Reddens grates, cum te crates<br/>Crucicaret ferrea,<br/>Da, ut aequae vincam quaeque,<br/>Moles quae vult terrea.</p> <p>11. Tormentorum tu tuorum<br/>Vicisti incendia,<br/>Vitiorum da meorum<br/>Mihi refrigeria.</p> <p>12. O levita, cujus vita<br/>Vitam veram meruit,<br/>Vitae finis te divinis<br/>Legibus inseruit.</p> <p>13. Da, ut ita fruam vita,<br/>Ne mortem promerear,<br/>Peccatori da sic mori,<br/>Ut ad vitam provehar.</p> |
|---|--|

Cod. Oxonien. Laud. Miscell. 508. saec. 13. in. — Das Lied steht unter den Meditationes et Oraciones sancti Anselmi, was die Vermutung nahelegt, daß es von Anselm verfaßt sei. Die Metrik erinnert sehr an das sog. Mariale. — 12, 4 Lies: Civibus inseruit?

197. De sancto Longino.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. Ave, miles nobilis,<br/>Longine translanciator,<br/>Tu cordis et lateris<br/>Jesu reserator.</p> <p>5. Grates tibi plurimae,<br/>Quia thalamum dulcoris<br/>In latere fecisti<br/>Jesu amatoris,<br/>Foederis oraculum,</p> <p>10. Cameram amoris,<br/>Pacis tabernaculum,<br/>Clibanum ardoris.<br/>Cruorem purpureum<br/>Extraxisti et aquarum</p> <p>15. Viventium puteum</p> | <p>Atque gratiarum<br/>Pelagus deigenum<br/>Et deliciarum,<br/>Immensum profluvium</p> <p>20. Opulentiarum.<br/>Tu cum lancea tua,<br/>O sancte Longine,<br/>Aurea et ignea<br/>In extremo fine</p> <p>25. Propugna et libera,<br/>Januam pietatis<br/>Divinae resera,<br/>Intrare me sine<br/>Procul fac sint minae.</p> |
|--|---|

Orat. ms. S. Caeciliae Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 1.

198. De sancto Mammete.

Magnus et insignis, psalmo venerandus et hymnis,  
Ad calidas flammam deductus carcere Mammas,  
Insiluit tutus, pueros puer igne secutus.  
Verberibus caesus, sed nec tunc nec modo laesus,  
Quinque dies passus, sexto processit inassus.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Musaei Czartoryski 1217.

199. De sancta Margareta.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. Ave, virgo Margareta,<br/>Sponsi summi quae secreta<br/>Penetras cubicula,<br/>Ibi per amoris nexus<br/>Fideique per amplexus<br/>Celebratur copula.</p> <p>2. Eja corpore formosa,<br/>Fide magis speciosa,<br/>Tu praeclara genere,<br/>Margareta Deo grata,<br/>Gratiarum decorata<br/>Et virtutum munere.</p> <p>3. Salve, sancta Margareta,<br/>Voluptate mundi spreta<br/>Omnique ludibrio<br/>Hostem superas antiquum,<br/>Castitatis inimicum<br/>Una cum Olybrio.</p> | <p>4. Cum tu Christum confiteris<br/>Carcerari mox juberis,<br/>Post hoc in equleo<br/>Laniata vi tortoris,<br/>Rubens manat fons cruoris<br/>Corpore virgineo.</p> <p>5. Gaude, felix Margareta,<br/>Tu virtute Christi freta<br/>Triumphatrix inclita,<br/>Infernalem tu draconem<br/>Et ingentem passionem<br/>Vincis Christo dedita.</p> <p>6. Quae dum cultum detestaris<br/>Idolorum, cruciaris<br/>Diris poenis ignium,<br/>Aqua frigans dum succedit,<br/>Sed non laedens, Christo credit<br/>Turba quinque milium.</p> |
|--|---|

- |   |  |
|---|--|
| <p>7. Vale, dulcis Margareta,<br/>Vere gratia repleta,<br/>Quae in vitae termino<br/>Pro his, quibus veneraris<br/>Et a quibus tormentaris,<br/>Preces fundis Domino.</p> | <p>9. O beata Margareta,<br/>Quae cum Christo regnas laeta<br/>In coelesti requie,<br/>Tu delictis et peccatis<br/>Meis malis perpetratis<br/>Posce dona veniae.</p> |
| <p>8. Post haec capite truncata,<br/>Nunc a Christo coronata<br/>Passionis laurea,<br/>Ut praefulgens margarita<br/>Es in sponsi sermo sita,<br/>Sponsa tu virginea.</p>  | <p>10. Da contemptum mundanorum<br/>Et amorem supernorum<br/>Cum augmento gratiae,<br/>Fac, evadam inferorum<br/>Portas, portum beatorum<br/>Adipiscar gloriae.</p>  |

Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815.

### 200. De sancta Margareta.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Ave, virgo Margareta,<br/>Peccatorum via spreta<br/>Lege Dei vere laeta<br/>Meditari sine meta.</p>                   | <p>8. Ave, virgo spes moestorum,<br/>Margareta, lux mundorum,<br/>Viam spernis mundanorum,<br/>Vitam gerens angelorum.</p>  |
| <p>2. Ave, mundum quae sprevisti,<br/>Jugum Christi suscepisti,<br/>Ergo, quidquid expetisti,<br/>Margareta recepisti.</p>  | <p>9. Ave, virgo derelicta<br/>Ab amicis, sed relicta<br/>Jesu Christo benedicta,<br/>In tormentis non devicta.</p>         |
| <p>3. Ave, clamans exaudita<br/>Nec a malis impedita,<br/>Voces audi nostras ita,<br/>Clara Christi margarita.</p>          | <p>10. Ave, virgo, Dei sedes,<br/>Nos supernas duc ad aedes,<br/>Fac nos Christi cohaeredes,<br/>Ubi cum dilecto sedes.</p> |
| <p>4. Ave, virgo, signo Christi<br/>Consignata quae fuisti,<br/>Per quem fortis exstitisti,<br/>Margareta, dum vicisti.</p> | <p>11. Ave, virgo gloriosa,<br/>Margareta generosa,<br/>Lingua fallax et mendosa<br/>Nos non tangat et dolosa.</p>          |
| <p>5. Ave, virgo, curans mentes,<br/>Nomen tuum diligentes,<br/>Margareta, fac ferventes,<br/>In amore te sequentes.</p>    | <p>12. Ave, virgo, ne in morte<br/>Obsint nobis mortis portae,<br/>Lumen nobis dona forte<br/>Et a mala duc cohorte.</p>    |
| <p>6. Ave, sanans tu languorem<br/>Infirmorum et dolorem,<br/>Virgo, Dei per amorem<br/>Iram pellas et furorem.</p>         | <p>13. Ave, virgo, salutare<br/>Christi nobis fac adstare,<br/>Ut cum sanctis exsultare<br/>Valeamus et cantare.</p>        |
| <p>7. Ave, rosa castitatis,<br/>Judex justus veritatis<br/>Tuae testis puritatis<br/>Te servavit a peccatis.</p>            | <p>14. Ave, virgo, te rogemus,<br/>Mala mundi ne gustemus,<br/>Post te coelum ut intremus<br/>Et cum sanctis habitemus.</p> |

Cod. S. Petri Salisurgen. a III 10. saec. 15. — 9, 2 Ab inimicis sed relicta, gegen Versmafs und Sinn.



201. De sancta Margareta.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Ave, coeli redimita<br>Margareta laurea,<br>Pretiosa margarita<br>Coelibatu nivea,<br>Tunsonibus polita,<br>Vita, signis splendida,<br>In corona Jesu sita,<br>Nos in Christo solida. | 2. O victrix eximia,<br>Virgo Margareta,<br>Tua desideria<br>Bonis sunt impleta,<br>Duplex sertum gloriac<br>Fers inter beatos,<br>Grata fonti gratiae,<br>Fac nos ipsi gratos. |
| 3. O rosa per saecula<br>Vernans sempiterna,<br>Tibi sine nebula<br>Lucet lux superna,<br>Summo bono frueris,<br>Victrix coronata,<br>Margareta, superis<br>Junge nos beata.             |   |

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

202. De sancta Margareta.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Salve, felix Margareta,<br>Quae virtute Dei freta<br>In agone Jesu Christi<br>Non es victa sed vicisti.             | 7. Salve, virgo, lux insignis,<br>Cujus corpus faces ignis<br>Et lampades exurebant,<br>Sed te tamen non vincebant.       |
| 2. Salve virgo Margareta,<br>Quae corporis morte spreta<br>Veritatem es confessa<br>Mente semper indefessa.            | 8. Salve, virgo, quam praefectus<br>Legi Christi non subjectus<br>Vinclis jussit alligari<br>Et in aqua suffocari.        |
| 3. Salve, fortis Margareta,<br>Quae constanti mente laeta<br>Mortem reddis salvatori,<br>Qui voluit pro te mori.       | 9. Salve, virgo, quam solutam<br>Et ab aquis fecit tutam<br>Christus, qui te per columbam<br>Hortabatur ad coronam.       |
| 4. Salve, virgo vere munda,<br>Cujus sanguis velut unda<br>Puri fontis emanavit,<br>Cum te tortor flagellavit.         | 10. Salve, virgo, quam viderunt<br>Et videntes crediderunt<br>Virorum quinque milia,<br>Perpessi sunt martyria.           |
| 5. Salve, virgo, quae serpentem<br>In carcere te sorbentem<br>Nihil laesa dirupisti,<br>Nec tu tamen sed crux Christi. | 11. Salve, virgo, quam insignem<br>Et per aquam et per ignem<br>Transeuntem Christus rexit<br>Et ad thorum suum vexit.    |
| 6. Salve, virgo, per quam stratus<br>Et sub pede conculcatus<br>Fuit daemon et coactus,<br>Ut referret suos actus.     | 12. Salve, virgo, quam orantem<br>Et pro multis deprecantem<br>Exaudivit auris Christi,<br>Plus promittens, quam petisti. |

13. Salve, virgo, quae devotos  
Tuos habes bene notos,  
His succurrens in necesse,  
Quando cernis opus esse.
14. Salve, virgo, vere digna,  
Vere dulcis et benigna,  
Pretiosa sponsa Dei,  
Miserere, quae, me.
15. Salve, martyr Margareta,  
Fac, ut mihi sint deleta  
Et reatus et delicta  
Per te, virgo benedicta.

Cod. Bruxellen. II 1069 (ol. Philipps 4649) saec. 13.

203. De sancta Margareta.

1. Margareta nobilis,  
Gemma virtuosa,  
Fide stans immobilis,  
Facie formosa.
2. Virgo pia, tenera  
Carne delicata,  
Ad omnia genera  
Poenarum parata.
3. Ob amorem Domini,  
Sponsi tui Christi,  
In mortem, in carcerem  
Te ipsam dedisti,
4. Aureolam geminae  
Portans sanctitatis,  
Martyrium feminae  
Et virginitatis.
5. Ergo cum sis meritis  
Dives et praeclara,  
Nobis tuis famulis  
Locum pacis para.
6. Ut ex hac miseria  
Laeti transeamus  
Et secum in patria  
Semper gaudeamus,
7. Audituri virginum  
Dulce jubilamen  
Et vestrum ad canticum  
Responsuri: Amen.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Colomien. 7.

204. De s. Maria Magdalena.

1. O piissima peccatrix,  
Pedum Domini lavatrix,  
Non de fontibus aquarum,  
Sed de guttis lacrimarum,
5. Ut te multis a peccatis  
Fons lavaret pietatis.  
O praeclarum Dei templum,  
Poenitentium exemplum,  
Quae beatos pedes Christi
10. Sanctis crinibus tersisti,  
Ut meretricialis usus  
A te fieret exclusus,
- Tergeretque tuas sordes  
Manus per misericordes.
15. O solamen peccatorum,  
Certa spes erraneorum,  
Quae unguentum pretiosum  
Super regem gloriosum  
In tugurio leprosi
20. Sanctis manibus fudisti,  
Ut foetori tuae mentis  
Bonus odor recumbentis  
Christi per hanc unctionem  
Faccret abjectionem.

- |  |   |
|--|---|
| <p>25. Audi me nunc exprobrantem,<br/>Sed te magis exorantem,<br/>Per eundem verum Deum<br/>Fac mollescere cor meum,<br/>Fac, ut saxum meae mentis</p> | <p>30. Fletus abluat fluentis,<br/>Ut per lacrimationem<br/>Habeam consolationem<br/>Et ut bonum per odorem<br/>Perdam criminum foetorem.</p> |
|--|---|

Cod. Oxonien. Laud. Miscell. 508 saec. 13. in. — Das Lied steht unter Gebeten Anselms von Canterbury, so daß der Gedanke an eine Abfassung durch ihn sich nahelegt. — 1. O fehlt. — 23. hanc ergänzt.

205. De ss. Martino et Brictio.

1. Ave dulcis o Martine,  
Ave et Bricti domine,  
Laus sit vobis sine fine  
Sed in Dei nomine.
5. Praesules o gloriosi,  
Sitis mihi gratiosi,  
Per vos mihi bonum nomen  
Detur et beatum omen,  
Salus et prosperitas,
10. Quod det summa trinitas.  
Doxa tibi trinitas,  
Indivisa unitas,  
O beata deitas.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Chimen.) 4724. saec. 14.

206. De sancto Matthaeo.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Gaude, spes salutis meae,<br/>Alme pater mi, Matthaeae,<br/>De honore triplicato<br/>Tibi soli simul dato,</p> <p>5. Quem sanctorum simul vere<br/>Nullus scitur possidere.<br/>Nam apostolus es clarus<br/>Et evangelista gnarus,<br/>Es et martyr triumphalis,</p> <p>10. Quis tibi in his aequalis?<br/>Qui in coelis sic praeferris,<br/>Opem reis fer in terris.<br/>Lucra mundi reliquisti,<br/>Lucra coeli recepisti,</p> <p>15. O evangelista prime,<br/>Leva corda in sublime,<br/>Ne hic vanis maculentur<br/>Sed divinis delectentur,<br/>Et ut fiat hoc perfecte,</p> | <p>20. Modum, doctor, doce recte.<br/>Tu praelatus puellarum<br/>Primus Deo sacratarum,<br/>Quas amasti, custodisti,<br/>Tam fidenter protexisti,</p> <p>25. Quod ob virginalem florem<br/>Tuum fuderis cruorem.<br/>O Matthaeae, tibi tantus<br/>Erga me sit fervor sanctus,<br/>Quantus fuit erga illas;</p> <p>30. Vires robora pusillas,<br/>Tua sacra sub tutela<br/>Sume me cum parentela.<br/>O praeclare princeps mundi,<br/>Fac nec laedi nec confundi</p> <p>35. Me et mihi attinentes,<br/>Ubicunque consistentes,<br/>Ut in Deo semper laeti<br/>Simus bona pace freti.</p> |
|---|---|

- |  |  |
|--|--|
| <p>Fortis Dei agonista,<br/>40. Nunquam ope mihi dista,<br/>Velox mihi sis adjutor,<br/>Ut sim Christi consecutor,<br/>Tuum sit, pensare, nosse<br/>Tam infirmum meum posse;<br/>45. Quanto scis fragiliorem,<br/>Tanto opem da majorem.<br/>O Matthaeae, iudex orbis,</p> | <p>Sana me a cunctis morbis;<br/>Oro, licet lingua balba,<br/>50. Veste clara me dealba,<br/>Sicut Mauros dealbasti,<br/>Quos ad Christum convocasti,<br/>Ut in morte laete, compta<br/>Sic occurram sponso prompte<br/>55. Ad convivii solamen<br/>In coelis cum sanctis. Amen.</p> |
|--|--|
- Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

207. De sancto Matthia.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Gaude, o Matthia, gaude,<br/>Te laudare sine fraude<br/>    Servum tuum dignifica,<br/>A me mala cuncta claude,<br/>Ut semper de tua laude<br/>    Possim fare magnifica.</p> <p>2. Gaude, quia es electus<br/>Et tam summe es provectus<br/>    Ad thronum apostolicum,<br/>A quo Judas est dejectus,<br/>Juste et sic est profectus<br/>    Ad locum diabolicum.</p> <p>3. Gaude, munus tam praeclarum<br/>Te sortitum non est parum<br/>    In principum colegio,<br/>Nam tam dignum, Deo carum,<br/>Ut tu eras tunc terrarum,<br/>    Non tulit omnis regio.</p> <p>4. Juste potes hinc gaudere,<br/>Altum thronum possidere<br/>    Cum saeculi iudicibus;<br/>Hoc praedixit David vere,<br/>Frui alterum debere<br/>    Donis Judae felicibus.</p> | <p>5. A Judaeis lapidaris,<br/>Cum securi mox mactaris<br/>    Complendo sic martyrium,<br/>Coelo digne coronaris<br/>Et per orbem festivaris<br/>    Cum toto nisu virium.</p> <p>6. O mi princeps duodene,<br/>Me commendo tibi plene<br/>    Contra cuncta obstacula,<br/>Me in castitate tene<br/>Et in cunctis rege bene,<br/>    Ut fiam sine macula.</p> <p>7. Parvus tu humilitate<br/>Dictus es non quantitate,<br/>    Donatus Dei gratia,<br/>Dulcis pater mi beate,<br/>Precor te in veritate,<br/>    Me tuis donis satia.</p> <p>8. Fac me bonis sic donari,<br/>Ut digner adnumerari<br/>    Viventium consortio,<br/>Ubi Deum contemplari<br/>Atque tecum jucundari<br/>    Sit semper mea portio.</p> |
|--|--|

Orat. ms. Lehminense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B. — 1, 1 O Matthia gaude, gaude B. — 3, 5 tu fehlt A. — 7, 6 socia A.

208. De sanctis Mauris.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Ave, martyr, cujus nomen<br/>Ignoratur sed non omen,<br/>    Tu pro Christo pateris,</p> | <p>Legionis Thebaeorum<br/>Nomen ornat te decorum,<br/>    Illi dum adscriberis.</p> |
|--|--|

2. Ortu, fide, sanctitate,  
Sensu, actu, dignitate  
Clarus et militia,  
Spe mercedis et coronae  
Pugnas, martyr, in agone  
Tendens ad coelestia.
3. Caesar furit cum profanis,  
Et tu, martyr, spretis vanis  
Immolaris hostia;  
Dum occidit te scienter,  
Introducitur nescienter  
Ad superna gaudia.
4. Corpus tuum venerandum  
Huc translatum ad pausandum  
Dei providentia  
Nobis exstat honorandum  
Atque per te impetrandum  
Bona permanentia.
5. Intendentes tuae laudis  
Nos attende, nos exaudi,  
Nos a malo libera,  
Christo Jesu nos commenda,  
Ut exutos omni menda  
Collocet in patria.
6. Tuique commilitones  
Nostras dent orationes  
Coram Deo placitas,  
A cunctis nostris domibus  
Repellant et a mentibus  
Daemonis fallacias.
7. Ipsorum patrocinio  
Gubernemur a Domino  
Nunc et in perpetuum.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. Mit dem Vermerk: „Item oratio ad martyrem sine nomine de societate sancti Victoris, quem venerabilis Archiepiscopus Coloniensis Philippus transtulit de Xanctis ad monasterium Campense circa annum Domini millesimum centesimum octogesimum.“

209. Item alia oratio ad eundem martyrem sine nomine  
vel ad s. Victorem.

1. Salve, miles triumphalis,  
Christi martyr specialis,  
Nos a mundi conserva malis,  
Ne nos amor mundialis  
Mergat in flagitia.
2. Palma fruens triumphali,  
Poena plexus capitali,  
Vitam claudis morte tali,  
Ut post mortem immortalis  
Frueris trabea.
3. Una voce, mente pari  
Nos honore singulari  
Te studemus venerari;  
Dum versamur in hoc mari,  
Exhibe suffragia.
4. Ut tua per magnalia  
Crescant spiritualia,  
Nec desint temporalia,  
Post haec et aeternalia  
Dentur Christi munera.
5. O miles, martyr Domini,  
Tuo beato nomini  
Nostra subscribe nomina  
In libri vitae pagina  
Christi dante gratia.
6. Ne permittas spe frustrari,  
Quibus potes suffragari,  
Fac nos Christo praesentari,  
Ut hunc tecum contemplari  
Possimus in gloria.

7. Ubi nec cras nec hesternum,  
Sed est idem hodiernum,  
Ubi salus, ubi vita,  
Ubi pax est infinita,  
Ubi Deus omnia.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

210. De sancto Michaelē.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Christiane vir fidelis,<br>Qui regnare vis in caelis,<br>Saepe recordari velis<br>Gloriosi Michaelis,<br>Principis ecclesiae;<br>Hic defensor animarum<br>Crucifixo devotarum<br>Et susceptor est earum<br>Ad coeleste jubar clarum<br>Paradisi gloriae.        | 2. Istum principem decorum<br>Et primatem angelorum<br>Laudet chorus electorum,<br>Qui vult esse gaudiorum<br>Particeps coelestium.<br>Habeamus istum talem<br>In patronum specialem,<br>Ut nos ducat ad regalem<br>Mansionem aeternalem<br>Supernorum civium. |
| 3. Michael, o princeps bone,<br>Qui pugnasti cum dracone,<br>Fac nos fortes in agone,<br>Ut in Dei visione<br>Laetemur in patria.<br>Tu pro nobis omni hora,<br>Sancte Michael, exora,<br>Ut post mortem sine mora<br>Nos perducas ad decora<br>Sempiterna gaudia. |  |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen). 4089 anni 1460. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824 saec. 15. B. — Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Afrae) 4423 anni 1480. C. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. D. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20 021. E. — 1, 5 Principem alle Hss.

211. De sancta Odilia.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Ave, virgo gloriosa,<br>Sanctitate radiosa,<br>Clarescens Odilia,<br>Stirpe prodis generosa,<br>Sed virtutum plus famosa<br>Facta per humilia. | Ne noxae nos stringat hamus,<br>Sed soluti quam praestamus,<br>Laus sit acceptissima.  |
| 2. O praecelsae stirpis ramus,<br>Ad te miseri clamamus<br>Prece deyotissima,   | 3. Dulcis Adalrici nata,<br>De illustri propagata<br>Francorum familia,<br>Verum caeca generata,<br>De te mens patris turbata<br>Tractat horribilia. |

4. Infrunitus vi ruboris  
Vibrat arina mox furoris  
Te jubens interfici,  
Sed decretum hoc horroris  
Mutat mater sanioris  
Cordis et deifici.
5. Domo patris occultaris  
Et per annum educaris  
Abrae ministerio,  
Post te rumor popularis  
Prodit causa singularis  
Late in mysterio.
6. Nam tum nutrix praeparatur,  
Quae itura proscribatur  
Tecum in exilium,  
Sed de fuga dum tractatur,  
Palma claustrum inspiratur  
Dei per consilium.
7. Illic annis sex ignota  
Tamquam pauper et aegrota,  
Orba dulci lumine,  
Patris aedibus remota,  
Lates baptismali lota  
Nec lustrali flumine.
8. Jubet Christus hinc benignus,  
Pergens ad te praesul dignus  
Erhardus Bavariae,  
Det sacrantis undae pignus,  
Quo depulsus it malignus  
Artis multifariae.
9. Baptizata dum chrismaris,  
Vigor venit ocularis  
Cum fulgoris acie;  
Mira res et salutaris,  
Intus, extra collustraris  
Simul luce gratiae.
10. Crescit virtus cum aetate,  
Grata morum probitate,  
Noxae necans scoriam,  
Mens repleta caritate  
Carnem domat castitate  
Mundi calcans gloriam.
11. Unguentorum hoc odore  
Avulsisti mundi flore  
Tres germani filias,  
Trinitatis in honore  
Permansuras cum virore  
Tres plantasti tilias.
12. Palma claustro dum donaris,  
Cui mater delegaris  
A Christo Odilia,  
Quo sagena voti paris  
De procella magni maris  
Trabis ad te milia.
13. Dicens: omnes huc venite,  
Ferte jugum sponsi mite,  
Ipsum vos alleviet  
Ad currendam viam rite,  
Quae ad portas ducit vitae,  
Vestrum nulla deviet.
14. Has exemplo castitatis  
Et mirandae sanctitatis  
Constanter aedificas  
Ad contemptum vanitatis  
Amoremque paupertatis  
Hortatu aedificas.
15. Patrem sciens in tormentis  
Pia prece et lamentis  
Exsolvis supplicio,  
Vini vas deficientis  
Replet mero purae mentis  
Sacrata petitio.
16. Post adesse finem pandis,  
Tibi detur honor grandis  
Quo coeli palatio,  
Sed priusquam illuc scandis,  
Filiabus verbis blandis  
Dulcis fit collatio.
17. In qua fortes adhortando,  
Tristes pie sonsolando  
Tui das memoriam,  
Templum petunt hae orando,  
Sponsus adest evocando  
Te ad coeli gloriam.

- |   |   |
|---|---|
| <p>18. Veni, ait, sponsa cara,<br/>De fallaci et amara<br/>Vita, coronaberis.<br/>Martyr voto, virgo clara,<br/>Ad Luciam ire para,<br/>Cum qua praemiaberis.</p>                       | <p>20. Fac nos digne conversari,<br/>Plene mundum aspernari<br/>Suis cum deliciis,<br/>Intus, extra decorari<br/>In palaestra regulari<br/>Sacris exercitiis.</p> |
| <p>19. Tandem solvit carnis nexus<br/>Mors, suaves in amplexus<br/>Sponsi volas coelitus;<br/>In nos, quaeso, duc reflexus<br/>Precum, hostis ne perplexus<br/>Nos evertat penitus.</p> | <p>21. Ora sponsum, virgo pia,<br/>Ne privemur in hac via<br/>Visus dono luminis,<br/>Nos in coeli politia<br/>Vera frui det sophia<br/>Luce celsi numinis.</p>   |

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — Nach dem Liede folgt vor der Oration zur Heiligen noch folgender Versikel:

V. Carnis linquens edulium [l.: exsilium?]  
Ad sponsi triclinium  
Laetanter ingressa,  
R. Sana, serva lumina,  
Virgo placa numina  
Prece indefessa.

#### 212. De sancto Petro.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Salve, pastor gregis Christi,<br/>Quem pascendo docuisti<br/>Fidem salutiferam,<br/>Ejus cultum dilatasti,<br/>Idolorum extirpasti<br/>Sequelam mortiferam.</p>            | <p>5. Te rogamus mente pura,<br/>Solve nos a ligatura<br/>Nostrorum peccaminum,<br/>Ut possimus in futura<br/>Vita fine caritura<br/>Contemplari Dominum.</p>                  |
| <p>2. Prius Simon vocabaris,<br/>Dehinc Petrus nominaris<br/>A petra firmissima,<br/>Quae est Christus noster rector,<br/>Nostra salus et protector<br/>Et spes solidissima.</p> | <p>6. Tu cephas apostolorum<br/>Atque princeps singulorum<br/>Constitutus coelitus,<br/>Ut plus flagrans in amore,<br/>Dignum erat, quod honore<br/>Magis esses praeditus.</p> |
| <p>3. O piscator animarum,<br/>Qui et prius belluarum<br/>Marinarum fueras,<br/>In hoc mari fluctuantes<br/>Salva nos periclitantes<br/>Ob culpas pestiferas.</p>                | <p>7. Ob amorem tam extensum<br/>Non relinquis indefensum<br/>Gregem tibi subditum,<br/>Para sed nobis ascensum<br/>Gaudium ad hoc immensum<br/>Coeli tibi praestitum.</p>     |
| <p>4. Tibi Christus militantis<br/>Claves nec non triumphantis<br/>Contulit ecclesiae,<br/>Ut quod solveres, solutum<br/>Quod ligares, insolutum<br/>Ejus esset requie.</p>      | <p>8. Salve, jubar singulare,<br/>Opacum illuminare<br/>Meruisti saeculum,<br/>Dogma tuum salutare<br/>Vere constat effugare<br/>Haeresis umbraculum.</p>                      |



- |   |   |
|---|---|
| <p>9. Nos volutos in peccatis<br/>         Duc ad viam veritatis<br/>         Tuis piis precibus,<br/>         Aeternae felicitatis<br/>         Congaudere cum beatiss<br/>         Fac superni civibus.</p> | <p>11. Et in fine exsultantes<br/>         Nos precamur te rogantes<br/>         Ob tuam clementiam,<br/>         Ut devote visitantes<br/>         A coelo peregrinantes<br/>         Hanc tuam ecclesiam,</p> |
| <p>10. Claviger o paradisi,<br/>         Exitus nos improvisi<br/>         Serves a periculo,<br/>         Ut securi et gavis<br/>         Transcendamus, cum divisi<br/>         Simus ab hoc saeculo.</p>   | <p>12. Non decedant in mortali<br/>         Crimine vel veniali<br/>         Maculare spiritum,<br/>         Gaudio sed aeternali<br/>         Frui bonoque finali<br/>         Possint post hunc exitum.</p>   |

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Orat. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11917 B. — 1, 2 Qui vitare docuisti B. — 1, 3 Cultum idolorum B. — 1, 4 Vitia tunc extirpasti B. — 1, 5 Jesu nomen dilatasti B. — 1, 6 Qui es via morum B. — 2, 2 Petrus inde B. — 2, 3 serenissima B. — 2, 4 Qui est Christus verus rector B. — 2, 5 Saulus nostra B. — 2, 6 Sis spes B. — 3, 1 O fehlt A; O pastor B. — 4, 1 Tibi claves triumphantis B. — 4, 2 Christus nec non militantis B. — 4, 6 Ejus pia requie B; hierauf folgen in B 7, 1 bis 3. — 5, 1 precamur B. — 5, 3 Meorum A. — 6, 4 Magis flagrans B. — 6, 6 esset B. — 7, 1 und 2 umgestellt B. — 7, 4 Para nobisque B. — 7, 5 hoc in immensum B. — 8, 2 Spatium illuminare B. — 8, 3 Docuisti saeculum. — 8, 4 Tuum dogma B. — 8, 5 Vere praestat B. — 8, 6 Criminis umbraculum B. — 10, 4 Sed ut tecum et gavis B. — 10, 5 dum divisi B. — 10, 6 Sumus. B. — 11, 1 Ut in A. — 11, 5 Attende periclitantes B. — 12, 2 nec veniali B. — 12, 3 Maculare lesen AB; zu korrigieren scheint entweder Maculave oder Maculati. — 12, 6 Possim A; hoc exsilium B. — Nach 11, 6 ist das Lied für eine Petruskirche geschrieben worden.

### 213. De sancto Procopio.

1. Bonae lucis fulgor mundo jam illuxit,  
 Quam mystice stirps deicola produxit  
 In patrem adjutoremque inopum,  
 Quem nunc omnes collaudemus sanctum.
5. Cujus vita, sanctitate plena,  
 Clare claruit, et miserationis vena  
 Per ipsum misericorditer est aperta,  
 Ut apparet per ejus signa certa.  
 Nam per ipsum peccatoribus venia impetratur,
10. Ad ipsumque venientibus caecis visus datur,  
 Surdi, leprosi, contracti inibi sanantur,  
 Muti, caduci, paralytici sua prece curantur.  
 Vincitis misericorditer vincula relaxat,  
 Depressos suaviter erigit, correxit
15. Infirmis debilibus ossa dissipata  
 Ad se venientibus sua prece grata.  
 Pauperum penurium potens scit ditare,  
 Quorum cordis se typum vere indet amare,  
 Moestis et flebilibus confert consolamen,

20. Servientes spiritu sibi salvat tamen.  
Pius horum scelera precibus abstergit,  
A fluctuanti mundo hos in coelum vergit,  
Qui dignis sibi precibus et meritis se praebent.  
Suis servientibus devotis non hebet,
25. Sed devoto spiritu corde dicunt vere:  
Consolator pauperum, Procopi, miserere,  
Et nostrorum nunc relaxa peccatorum onus,  
Nostri cordis caecitatem illustra, summe bonus.  
Quod in nobis est confractum, dissipatum, sana,
30. Ab hostium malitiis eripe et pugna  
Mundi, carnis miserae delectatione vana.  
Pauperiem animae a nobis procul pelle,  
In Dei servitiis conforta nostrum velle,  
Ut justa, Deo placita agamus te docente
35. Et mundati sordibus te interveniente  
Sacramentum corporis Christi hora mortis  
Digneque suscipiamus, ut cum leo fortis  
Nobis insurrexerit, ejusdem virtute  
Viam ad coeli atria perambulemus tute,
40. Ubi tecum Domino gratias agamus  
Et cum sanctis perpetim hymnum et dicamus.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

#### 214. De sancto Rudberto.

1. Salve, sancte mi Rudberte,  
Praesul in Wormatia,  
Almae vitae sic repertae  
Plenus sanctimonia.
2. Nobili ex regum stirpe  
Francorum et accola,  
Castus, mansuetus, quippe  
Devotorum formula.
3. Tu virtutum armamentum  
Per divinam gratiam,  
Eras gregis fulcimentum  
Per doctrinae copiam.
4. Rebus plene actitasti,  
Quae doctrina sonuit,  
Vere bene praedicasti,  
Ut scriptura tonuit.
5. Deus homo Jesus coepit  
Facere et docuit,  
Beatus Rudbertus egit,  
Dicendo quae monuit.
6. Ejus verbum sic ornat  
Dis misericordia,  
Rectum actum dispensabat  
Pietas, justitia.
7. Tute corpus affligebas  
Vigiliis, jejuniis,  
Omne opus exercebas  
Egenis et viduis.
8. Omne tuum aestimabas,  
Quod inops acceperat,  
Reliquum parvipendebas,  
Quod lucrum non aggerat.
9. Alta fama longe, late  
Sanctum virum sparserat,  
Prorsus multos indilate  
Ad ipsum attraxerat.
10. Religionis veritatem  
Puram eo audiunt  
Omnesque anxietatem  
Moesti cito deserunt.


11. Numerosi tam benigno  
Liberati fame  
Ope ejus a maligno  
Juncti coeli agmine.
12. Boni credunt, mali ruunt  
Divinis judiciis,  
Justum caedunt squali, trudent,  
Afigunt suppliciis,
13. Sanctitatem non ferentes  
Grandi cum injuria  
Obaudire renuentes  
Sua pro duritia.
14. Mentis foedae hunc repellunt  
Ab urbe Wormatia,  
Nullae morae intercedunt  
Nec annorum spatia.
15. Incunctanter famam audit  
Sancti prudens Theodo,  
Bavarorum dux, applaudit  
Mittens pro episcopo:
16. Visitare dignaretur  
Sedentes in tenebris,  
Suscitari mererentur  
Foetentes illecebris.
17. Tunc praemittis cum legatis  
Sacerdotes fidei,  
Verum jubar post hos vadis,  
Fundamentum populi.
18. Audiens princeps praefatus  
Grandi ovat gaudio,  
Militum auceps stipatus  
Suscipit cum populo.
19. Sanctus ducem Ratisponae  
Instruxit jejuniis  
Ac luce salutis bonae  
Indidit mysteriis.
20. Nobiles et populares  
Salvatorem omnium,  
Cuncti simul generales  
Agnoverunt Dominum.
21. Theodone obsecratus  
Alveum Danubii  
Intrans spargis Deo gratus  
Verbum evangelii.
22. Tendens usque Lauriacum  
Et Noringos visitas  
Ac Germanis coelibatum  
Praedicando intimas.
23. Tali opere commendans  
Jesum natum Dominum  
Ex aeterno patre signans  
Ante ortum temporum.
24. Matris virginisque partum,  
Deum veri luminis,  
Crucifixum, passum, captum  
Pro salute hominis.
25. Omnes salvans resurrexit,  
Ascendit ad patriam,  
Nobis spiritum direxit  
Pandens suam gloriam.
26. Facto Christiano duce  
Ac fidei populo  
Incunctanter locum tute  
Censes episcopio.
27. Tumulum urbis collapsae,  
Quae Juvavo nomine  
Erat dicta, indilate  
Renovasti prospere.
28. Nomen in Salzburgam vertunt  
Sicque et nunc dicitur,  
Tot illi bona impertunt,  
Quod summe perficitur.
29. Ibi structam dedicasti,  
Fundasti ecclesiam,  
Beate, quam decorasti  
Ad divinam gloriam.
30. Vernas Christi sacerdotes,  
Clericos ac populum  
Sexus utriusque doces  
Sacramentum ordinum.
31. Ad quos tuas sanctas laudes  
Non possum exprimere,  
Cunctasque malorum fraudes  
Dignare ignoscere.
32. In labore praedicandi  
Magna tua proelia,  
Nunc ecclesias fundandi  
Multa sancta merita.

- |   |   |
|---|---|
| <p>33. Vocas viros, mulieres<br/>Moniales, monachos,<br/>Optas tibi coequales<br/>Simul omnes populos.</p> <p>34. Cunctis impendis virtutem,<br/>Caritatem singulis,<br/>Amas omnes, ad salutem<br/>Quare plures attrabis,</p> <p>35. Nunc docendo, praedicando,<br/>Orando assidue,<br/>Temet ipsum macerando,<br/>Castigando undique.</p> <p>36. Inde prophetiae gradum<br/>Meruisti pleniter,<br/>Beatum quo finem tuum<br/>Praedixisti circiter.</p> <p>37. Vere multum consternati<br/>Juvavenses filii<br/>Sancta morte patris tanti<br/>Lacrimantes singuli.</p> <p>38. At commendans spe erectum<br/>Noriconum populum,<br/>Multum Salzburgensem clerum<br/>Creatori omnium,</p> <p>39. Eligendumque Vitalem<br/>Successorem census,<br/>Non frustra commendans talem,<br/>Deo flatum exeris.</p> <p>40. Plane voces angelorum<br/>Animam ferentium<br/>In coelestem beatorum<br/>Sacrosanctum numerum:</p> | <p>41. Ecce sic transivit justus<br/>Ad aeternam gloriam,<br/>Pravis qui non est adustus<br/>Nec contraxit maculam.</p> <p>42. Ad sepeliendum viri<br/>Sanctum adsunt splendidi,<br/>Tunc post neque ante visi<br/>Et creduntur angeli.</p> <p>43. Eja nunc felix Juvavo,<br/>Civitas laetitiae,<br/>Redolens tali patrono,<br/>Tanto clarens lumine.</p> <p>44. Felix turba Bavarorum<br/>Tui patris oramine<br/>Et populus Noriconum<br/>Ejus adjuvamine.</p> <p>45. Laurea nunc coronatus<br/>In aeterna gloria,<br/>Illic nostri incolatus<br/>Memor abde vitia.</p> <p>46. Christum salvatorum nostrum<br/>Fac nobis propitium,<br/>A mundanis cor erectum<br/>Contemnamus saeculum.</p> <p>47. Malis nostris ne depressi<br/>Praeda simus hostibus,<br/>Ex hac carne sed egressi<br/>Jungas sanctis omnibus.</p> <p>48. Exuturos carnem certe<br/>[Hujus] vitae post examen,<br/>Nos tecum, sancte Rudberte,<br/>Duc, amoene pater. Amen.</p> |
|---|---|

Clm. Monacen. (ol. Andacen). 3012. saec. 15. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19354. B. — Orat. ms. Unterdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815. C. — Cod. Londinen. (ol. Buxhemen.) Add. 33438 anni 1499. D. — 1, 1 Mi sancte D. — Str. 5 bis 34 fehlen C. — 6, 2 Dis misericordia, vermutlich statt Dei misericordia, missverstandene Bildung nach Analogie von mei = mis, Dei = Dis. — 7, 3 Almae opus A. — 9, 1 Ita fama D. — 9, 2 spargerat A. — 12, 1 Mali cedunt D. — 15, 3 Barbarorum A. — 15, 4 Mittit D. — 17, 1 praemittens D. — 17, 3 post hoc A. — 21, 3 Intras D. — 23, 3 aeterno patre D. — 28, 2 et fehlt A. — 48, 3 amen tecum sancte ABC; Nos tecum Rudberte D. — 48, 4 Duc amen pater amen ABC.

215. De sancta Sitha.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Salve, sancta famula,<br/>Sitha, Jesu Christi,<br/>Quae cum tota anima<br/>Deo placuisti.</p> | <p>2. Egenos et flebiles<br/>De cibo pavisti,<br/>Semper elemosynam<br/>Dare consuevisti.</p> |
|---|---|



3. Caecos, mutos, debiles  
Et claudos juvisti,  
Deum et ecclesiam,  
Virgo, dilexisti.

4. Fraudem et nequitiam  
Tu nimis odisti,  
Para nobis gloriam,  
Quam tu meruisti.

Orat. ms. Praedicat. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2445.

216. De sancto Sixto.

1. Ave, pater et domine,  
Sixte, te Dei nomine  
Imploro, ne me deseras,  
Sed pro me preces offeras.  
Altissimo, ne peream,  
Sed hostibus praevaleam  
Cunctis et in virtutibus  
Per te perorner omnibus.

Te exoro, miserere  
Nunc mihi peccatori,  
Qui tibi preces fundo,  
Non me permittas mori  
Peccatorum profundo.

2. Ave, pater omnis orbis,  
Pie Sixte, adsis, morbis  
Nostris pie miserere,  
Fac utroque nos gaudere  
In anima et corpore  
Nunc et in omni tempore,  
Sed praecipue peccatis  
A nobis procul fugatis.

5. Ave, Sixte peroptime,  
Post Petrum papa septime,  
Per quem septenum numerum  
In te virtutum cumulum  
Completem esse novimus,  
Unde potes, quod petimus,  
Nobis et cunctis subditis  
Prodesse sanctis meritis.

3. Ave, decus Graeciae,  
Flos exortus ab Athenis,  
Prius philosophiae  
Scriptis, mundi pompis plenis,  
Sixte, qui floruisti,  
Sed ipsas reliquisti  
Teque subdidisti  
Suavi jugo Christi.

6. Ave, martyr et pontifex,  
Virtutum potens artifex,  
Sixte, praesul Romanorum,  
Hinc fidelium cunctorum,  
Sed nobis specialis,  
Qui degimus sub alis  
Tuis, quis confovemur,  
Adesto, ne damnemur.

4. Ave, dulcis domine,  
Tibi cupio placere,  
Hinc in Jesu nomine

7. Ave, Sixte beate,  
Praedulcis et amate,  
Qui tibi supplicamus,  
Fac tecum gaudcamus  
In summis coelorum  
Per saecula saeculorum.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Chimen.) 4724. saec. 14.

217. De Sororibus BMV.

1. O nobile collegium  
Sanctarum sororum trium,  
Quibus nomen est Maria,  
Vestrum sanctum suffragium  
Imploro ad praesidium  
In ista angustia.

Nulla sibi conjunctior,  
Nulla sibi proximior,  
Quam sit vestra cognatio.

2. Quae erit Christo gratior  
Aut quae sibi acceptior,  
Quam sit vestra oratio,

3. Tu sibi, virgo, mater es,  
Inde sibi quod imperes,  
Et naturae dat ratio;  
Vos vero duae ceterae  
Estis ejus materterae,  
O quam ingens affectio.

- |   |  |
|---|--|
| <p>4. Vobis me dedicaveram<br/>In servum et decreveram,<br/>Memetipsum expendere<br/>In devotis officiis<br/>Et debitis obsequiis<br/>Vestri Deique munere.</p> | <p>5. Sed in morbo jam imbibor,<br/>Deficiens et delibor,<br/>Si nunc desit remedium;<br/>Ergo dulce consortium,<br/>Vestrarum precum dulcium<br/>Sentiam nunc auxilium.</p> |
|---|--|

Cod. Parisien. 1147. saec. 15. — Der Handschrift zufolge ist der Verfasser des Liedes „Reverendus Petrus, Sancti Pauli Leonensis episcopus, morum elegantia clarissimus virque magnae caritatis et literaturae“; er habe das Lied in schwerer Krankheit gedichtet und nach seiner Genesung auf einer Ex-voto-Tafel anbringen lassen. Pierre Bernard (nicht zu verwechseln mit dem Karmeliten Pierre de Saint-Pol-de-Leon) hatte den Stuhl von Saint-Pol inne um 1328.

218. De sancta Ursula.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Ave, virgo Ursula,<br/>Genere regalis,<br/>Non te carnis macula<br/>Fuscat aliqualis,<br/>In te tabernacula<br/>Princeps illocalis<br/>Fixit praebens oscula<br/>Sponsi spiritalis.</p> <p>2. Ave, primiceria,<br/>Victoriosarum<br/>Te undena milia<br/>Ornant puellarum,<br/>Tibi per martyria<br/>Totidem sanctarum<br/>Frequentatur gloria<br/>Per orbem terrarum.</p> <p>3. Ave, mundi dulcia<br/>Quae aspernabaris,<br/>Juste tympanistria<br/>Agni nuncuparis,<br/>Christo multa milia<br/>Martyrum lucraris,<br/>Cum quibus in curia<br/>Coeli gloriaris.</p> <p>4. Ave, ecce sceleris<br/>Me ligat ligamen,<br/>Cujus quoque ponderis<br/>Opprimit gravamen,</p> | <p>Per hoc curre prae caeteris<br/>Meum ad juvamen,<br/>Ut mihi non noceat<br/>Hostis, sis levamen.</p> <p>5. Ave, vitae speculum,<br/>Virginum regina,<br/>Quam illustrat undique<br/>Gratia divina,<br/>Aurem tuam pauperum<br/>Precibus inclina,<br/>Quos involvit misere<br/>sordium sentina.</p> <p>6. Ave, his temporibus<br/>quae surgis ut stella,<br/>In occidentis partibus<br/>Patria novella,<br/>A me piis precibus<br/>Mortis fuga bella,<br/>Me junge coelestibus,<br/>O dulcis puella.</p> <p>7. Ave, virgo regia,<br/>Regem contemplando<br/>Preces nostras suscipe<br/>Sibi praesentando,<br/>Ut pro tuo nomine<br/>Nobis miseretur<br/>Nosque tibi famulos<br/>Tecum coronetur.</p> |
|---|--|

Orat. ms. Unterdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815. — Der Reim der ungeraden Zeilen ist nicht durchgeführt.

IV.

**D I V E R S A.**

---





## 219. De Rebus Humanis.

1. Lingua rudis, hebes ingenio  
Viri docti sermonem facio,  
Sed quid loquar, qui loqui nescio?  
Necessitas et non praesumptio.
2. Nulli vestrum reor ambiguum,  
Viris bonis hoc esse congruum,  
Ut supportet magnus exiguum,  
Aegrum sanus et prudens fatuum.
3. Ne sim dignus et reus odio,  
Si lucernam ponam sub modio,  
Quid de rebus humanis sentio,  
Pia loqui jubet intentio.
4. Ne vos gravet longa narratio,  
Nec dormitet lector prae taedio,  
Nec *Tu autem* dicat in medio,  
Verbis brevem sermonem facio.
5. Ad aeternam beatitudinem  
Ipsam Deum revocans hominem,  
Verbum suum, suam imaginem  
Misit ad nos per mitem virginem.
6. Est unita deitas homini,  
Servo suo persona Domini,  
Morti vita, splendor caligini,  
Misera beatitudini.
7. Scimus ista potentialiter  
Magis facta certe quam aliter,  
Scrutantibus spiritualiter  
Scire datur, nescio qualiter.
8. Arte mira, miro consilio  
Quaerit ovem bonus opilio,  
Vagantibus in hoc exsilio  
Locutus est nobis in filio.
9. Sed cum suae mentis consilium  
Patefecit mundo per filium,  
Ut neglecto cultu gentilium,  
Deum noscat sic error hominum,
10. Poetarum seductos fabulis  
Veritatis instruxit regulis,  
Signis multis atque miraculis  
Fidem veram dedit incredulis.
11. Obmutescant humana labia,  
Nil occultum, jam patent omnia,  
Revelavit sacra latentia  
Non sapiens sed sapientia.
12. Conticescas fari, temeritas,  
Ubi palam loquitur veritas,  
Quod divina probat auctoritas,  
Non improbet obscura falsitas.
13. Hujus mundi praeterit orbita,  
Stricta ducit ad vitam semita,  
Qui scrutatur rerum abscondita,  
Trutinabit omnium merita.
14. Justus iudex, inspector cor-  
dium,  
Nos ad suum trahit iudicium,  
Redditurus ad pondus proprium  
Bonis bona, malis contrarium,
15. In hac vita misere vivitur,  
Vanitas est omne, quod cernitur,  
Heri natus, hodie moritur,  
Finem habet omne, quod oritur.
16. Sed qui dedit ad tempus vivere,  
Vitam brevem potest producere,  
Vitam potest de morte facere,  
Qui mortuus potest resurgere.
17. Nos ad regna vocat coelestia,  
Ubi prorsus nulla miseria,  
Sed voluptas adsunt et gaudia,  
Cum sit Deus omnibus omnia.
18. Puniamus virtute vitium,  
Terreat nos ignis incendium,  
Foetor, fletus et stridor dentium,  
Cujus caret fine supplicium.

- |   |  |
|---|--|
| <p>19. Sciens Deus nos esse teneros<br/>Et gehennae dolores asperos,<br/>Pia voce revocat miseros,<br/>Ovem suam ponens in humeros.</p> <p>20. O pietas inenarrabilis,<br/>Omnipotens, incorruptibilis<br/>Creaturae misertus nobilis<br/>Est pro nobis factus passibilis.</p> <p>21. Est alapas passus et verbera,<br/>Ludicrorum diversa genera,<br/>Sputa, spinas et praeter cetera<br/>Crucis morte damnatus aspera.</p> <p>22. Cum creator in cruce patitur,<br/>Ferreus est, qui non compatitur,<br/>Cum salvator lancea pungitur,<br/>Saxeus est, qui non compungitur.</p> <p>23. Compungamur intus in anima,<br/>Iram Dei placantes lacrima,<br/>Dies irae, dies novissima<br/>Cito venit nimis celerrima.</p> <p>24. Ecce redit districtus arbiter,<br/>Qui passus est misericorditer,<br/>Redit quidem, sed jam minaciter,<br/>Coactus est, non potest aliter.</p> <p>25. Judex justus commotus acriter<br/>Judicabit iniquos graviter<br/>Et torquebit eos perenniter,<br/>Quamvis juste, tamen crudeliter.</p> <p>26. Vos iudicis estis discipuli<br/>Et scriptura divina seduli,<br/>Christiani lucerna populi,<br/>Contemptores praesentis saeculi.</p> <p>27. Vos non estis virgines fatuae,<br/>Vertrae non sunt lampades<br/>vacuae,</p> | <p>Vasa vestra madent assidue,<br/>Caritatis oleo mutuae.</p> <p>28. Vos pascitis gregem dominicum<br/>Erogantes divinum triticum,<br/>Quibusdam plus, quibusdam<br/>modicum,<br/>Prout quemque scitis famelicum.</p> <p>29. Decus estis ecclesiasticum,<br/>Cum venerit iudex in publicum,<br/>Ut puniat omnem maleficum,<br/>Sedebitis in throno iudicum.</p> <p>30. Verumtamen in mundi fluctibus,<br/>Ubi nemo mundus a sordibus,<br/>Quod dicitis in vestris cor-<br/>dibus,<br/>Compungendum est in cubili-<br/>bus.</p> <p>31. Insistite bonis operibus,<br/>Bene vestris utentes opibus,<br/>Nam Deo dat, qui dat inopibus,<br/>Ipse Deus est in pauperibus.</p> <p>32. Ut divina testatur pagina,<br/>Opes multae sunt viro sarcina,<br/>Summa virtus est elemosyna,<br/>Dici potest virtutum domina.</p> <p>33. Hanc commendo vobis prae<br/>ceteris,<br/>Abscondatur in sinu pauperis,<br/>Crede mihi, si quid deliqueris,<br/>Per hanc Deum placare poteris.</p> <p>34. Hanc commendo vobis prae-<br/>cipue,<br/>Haec est via vitae perpetuae,<br/>Quod salvator ostendens con-<br/>grue<br/>Dixit: Omni petenti tribue.</p> |
|---|--|

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351. — 3, 1 Sed ne sim. — 4, 3 Jede Lesung des Officiums schließt mit der Formel: Tu autem Domine miserere nobis. Das „tu autem“ ist also soviel als „Schluß“ rufen. — 7, 3 adsunt ergänzt. — 30, 4 est in vestris cubilibus. — 34, 2 est ergänzt.

220. Visio sancti Morandi Abbatis.

1. Mira loquor, sed digna fide. — Bernarde? quid hoc est?  
Vivis adhuc? — Vivo. — Non es, rogo, mortuus? — Immo.  
Et quid agis? — Requiesco. — Taces an faris? — Utrumque.  
Cur retices? — Quia dormio. — Cur loqueris? — Quia vivo.
5. Quid loqueris? — Sacra mystica. — Cui? — Mea scripta legenti.  
Num cunctis? — Non. — Ergo quibus? — Qui dulcia quaerunt.  
Nomen habes? — Ita. — Quod? — Bernardus. — Num sine  
causa?  
Non. — Dic ergo, quid est Bernardus? — Id est bona nardus.  
Cur nardus? — Quoniam fragro. — Quo flamine? — Dulci.
10. Cui fragras et ubi? — Lectori codice sacro.  
Quod cognomen habes? — De Clara Valle. — Manes hic?  
Mansi, sed modo non. — Ubi nunc? — In vertice montis.  
Qualis eras in valle manens? — Humilis. — Modo quantus?  
Major nunc sursum, quanto minor ante deorsum.
15. Nilne tui vallis habet? — Immo? — Quid? — Ossa. — Quousque?  
Donec coeleste fiat terrestre cadaver.  
Hoc quando fiet? — Omnis caro quando resurget.

Cod. Altovaden. 60. saec. 15. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 1946 anni  
1482. B. — Die Aufschrift giebt B. — 3. Ey quid agis B; taces confaris  
A. — 4. Cur taces B. — 9. flagro A. — 10. ubi? Studioso codice B. —  
11. Quod tibi cognomen? B. — 14. minor antea fui B. — 15. Immo fehlt  
A. — 16. Donec terrestre fiat coeleste A. — 17 fehlt A.

221. Oratio Regis Anglorum.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Rex cunctorum saeculorum,<br>Rex arcis aetherae,<br>Rector poli, rector soli,<br>Regum rex altissime.    | 5. Hos coronas atque donas<br>Gloria multiplici,<br>Qui in mundo corde mundo<br>Vita vivunt simplici.  |
| 2. Qui et maris dominaris,<br>Conturbas et exitas,<br>Et, cum placet, stratum jacet,<br>Motum ejus mitigas. | 6. Hi beantur, coronantur<br>In superlunaribus,<br>Quorum mentes sunt ferventes<br>Igne sancti spiritus.   |
| 3. Tu creasti, tu formasti<br>Coelos, terras, maria,<br>Quae fecisti, condidisti,<br>Tu gubernas omnia.     | 7. Peccatorem, adiutorem<br>Qui non ponit Dominum,<br>Exaltatum, elevatum<br>Super cedros, Libanum,<br>Infernalem, gehennalem<br>Demergis in clibanum. |
| 4. Omne bonum tuum donum,<br>Omnipotentissime,<br>Cuncta grata tua data,<br>Dominorum domine.               | 8. In Averni, in inferni<br>Tenebroso carcere  |

- Habes clausos reos, ausos  
Te Deum contemnere.
9. Ibi rei jussu Dei  
Pro forma sententiae,  
Lugent, rigent, ardent, frigent  
Et torquentur undique.
10. Ibi metus, ibi fletus,  
Ibi stridor dentium  
Ibi poenae, omnes plenae  
Vocibus gementium.
11. Hic dolores acriores  
Aliis doloribus,  
Hic tortores nequiores  
Aliis tortoribus.
12. Deus meus, ego reus  
Tibi me humilio,  
Deus vere, miserere  
Adoptivo filio.
13. Supplex tuus, servus tuus,  
Deus clementissime,  
Te adoro, te imploro,  
Tuae donum gratiae.
14. Rex coelorum, me, Anglorum  
Dictum regem, suscipe,  
Regem rege, sua lege  
Qui se nequit regere.
15. Est regnare, ministrare  
Toto tibi animo,  
Obedire et servire  
Tuo sub imperio.
16. Tuus miles actus viles  
Declinem peccaminum,  
Incentiva rediviva  
Exstinguam libidinum,  
Falsa laeta consueta  
Devitem excessuum.
17. Non procuro corde puro,  
Quod te Deum diligam,  
Parvipendo, vix attendo,  
Quomodo me habeam.
18. Hujus lucis in caducis  
Rebus nimis glorior,  
Inpeccatis supra satis  
Immorans immorior.
19. Aberravi et peccavi,  
Fateor me, Domine,  
Temera vi violavi  
Jura castimoniae.
20. Patuerunt, putruerunt  
Cicatrices criminum,  
Aestimati, similati  
In lacum descendentium.
21. Honestatis, castitatis  
Legem fregi tutius,  
Est sopita mea vita  
In malis diutius.
22. Me immundum non secundum  
Peccata corripias,  
Qui elatos vulneratos  
Hos et hos humilias,
23. Sed correcto et respecto  
Tua, Deus, gratia  
Te laudare et amare  
Da mihi coelestia.
24. Emundare, emendare,  
Quae commisi omnia,  
Spem salutis, rem virtutis,  
Vitae innocentiam,  
Castitatis, puritatis  
Dona mihi gratiam.
25. Cum in ira mente dira  
Interdum efferveo,  
Deus care, moderare  
In me, quod non valeo.
26. Nec sit cura mihi, jura  
Cuicumque tollere  
Vel suorum vicinorum  
Terminos revellere,  
Licet censu, armis, sensu  
Queam hos devincere.
27. In Bragmani, in pagani  
Regis est apicibus  
Quod habemus, possidemus,  
Quaecunque non cupimus.
28. Urbes illas, castra, villas,  
Nisi prius cupiam,  
Non abesse vel deesse  
Eas mihi sentiam.

- |   |  |
|---|--|
| <p>29. Regum turres, pauperum res<br/>Simili interitu,<br/>Opum plenus et egenus<br/>Aequo cadunt obitu.</p> <p>30. Regni sedes da haeredes<br/>Meos pro me scandere<br/>Et pacatum regni statum<br/>Te tutante regere.</p> <p>31. Meum clerum da sincerum<br/>Fas et jus eligere<br/>Et devota mente tota<br/>Te Deum diligere.</p> <p>32. Vivant ita bona vita,<br/>Ut tibi complaceant,<br/>Nobis normam atque formam<br/>Vivendi se praebeant.</p> <p>33. Populique mei quique<br/>Commissi regimini<br/>Dirigantur et subdantur<br/>Tuo moderamini.</p> <p>34. His intende, hos defende,<br/>His te praebe clipeum,<br/>Sceptrum tuum, regnum tuum,<br/>Dominaris gentium.</p> <p>35. Aufer bella et flagella<br/>Tuae iracundiae,<br/>Nobis parce, hostes arce,<br/>Pacem nobis tribue.</p> | <p>36. Est humana virtus vana,<br/>Scis, quod est in homine,<br/>Nam in parvis nostris armis<br/>Non salvamur, Domine.</p> <p>37. Saepe nisa et confisa<br/>Sequelis auxilii<br/>Retro vadit, in se cadit<br/>Vis expers consilii.</p> <p>38. Sed de throno tuo dono<br/>Virtus adest coelica,<br/>Per quam datur, procuratur<br/>De hoste victoria.</p> <p>39. Nostra sata duplicata<br/>Nos fruge laetificent,<br/>Nostra culta messe multa<br/>Copiam multiplicent.</p> <p>40. Sic utamur, sic fruamur<br/>Bonis temporalibus,<br/>Ut laetemur, jucundemur<br/>Tecum in coelestibus.</p> <p>41. Et meorum propinquorum<br/>Miseratus animas<br/>Has absolve et revolve<br/>Delictorum maculas.</p> <p>42. Vivis cunctis et defunctis,<br/>Domine, fidelibus<br/>Da paccatam et beatam<br/>Vitam in coelestibus.</p> |
|---|--|

Cod. Oxonien. Douce 287 saec. 13. — Das Gedicht ist von William Fitz Stephen, dem bekannten Anhänger und Biographen des hl. Thomas Becket. Die Hs. der Vita führt es mit der Bemerkung ein: „Wilhelmus, filius Stephani, per orationem unam, quam fecerat et regi in capella de Bruhulla dederat, pacem habuit. Haec autem est illa oratio propria Domini regis Anglorum.“ — 6, 2 superliminaribus. — 26, 2 Cuiquam tollere. — 26, 6 Queant devincere.

## 222. Lessus Poenitentiae.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. O mi custos, o mi heros,<br/>mi pater misericors,<br/>Flecte, precor, ad me tuos<br/>miseranter oculos,<br/>Lucem super omnem pulchros,<br/>super solem splendidos.</p> | <p>2. Tuque, mi redemptor, Christe,<br/>fili patris optime,<br/>Dignare tuo cum patre<br/>me, quaeso, respicere,<br/>Ut respectus possim flere<br/>miser amarissime.</p> |
|---|--|

3. Tuque, spiritus o sancte,  
pie mi paraclite,  
Qui ex patre filioque  
procedis assidue,  
Me tuo misellum more  
conturbandum commove.
4. Novi namque, me pecasse  
coram te gravissime,  
Sicut die, ita nocte,  
corde, ore, opere,  
Laboravi semper valde  
te, Deus, offendere.
5. Laboravi, inquam, valde  
plura mala facere,  
Quam sint homines in orbe,  
quam astra in aethere  
Vel quot pisces intra mare,  
Arena in litore.
6. Volo unde nunc lugere,  
sed non possum, Domine,  
Sine te quivi peccare,  
sed non possum plangere,  
Sine te sum lapsus male,  
sed non possum surgere.
7. Non enim possum plorare  
nec lamenta fundere,  
Potui multa patrare  
qui mala quotidie,  
Quorum soli patet tuae  
numerus sententiae.
8. Caro ita quidem mea  
sine te est arida,  
Sicut terra sine aqua,  
sicut petra rigida,  
Oculorum est pupilla  
ceu crystallum frigida.
9. Sicque sicut silex dura  
cuncta sunt praecordia,  
Ideo non valet ulla  
emanare guttula  
Exque me nec saltem una  
ire potest lacrima.
10. Proinde meorum multa  
criminum cum milia  
Sunt et plura quam arena  
marina per litora  
Atque multa graviora  
massa exstant plumbea,
11. Clamat, ecce, supplex mea  
nunc ad te miseria,  
Petens, ut digneris tua  
me misericordia  
Hac respicere in hora  
torpentem socordia.
12. Age, jam mei mollita  
cordis [hac] duritia  
Educ, quaeso, modo multa  
lacrimarum flumina  
Ad facinora defenda  
simul et flagitia.
13. Graviter peccavit mea  
nam tibi dementia,  
Fortiter succurrat tua  
sed mihi clementia,  
Quoniam est tibi tanta  
ceu nulli potentia.
14. Tu es trinus unus Deus,  
tu es potentissimus,  
Tu es pius, tu benignus,  
tu es clementissimus,  
Ob hoc meis da dignatus  
flumina luminibus.
15. Tu petram in stagna aquarum  
convertisti laticum  
Atque rupem in aquarum  
fontes multiplicium,  
Tu quoque potes cor meum  
emollire ferreum;
16. Tu pectus adamantinum  
reddere ut carneum,  
Tu mutare hunc belluinum  
in humanum animum,  
Veterem sive antiquum  
in jam novum spiritum.

17. Ad cadendum sola mea  
sufficit miseria,  
Ad surgendum tua sola  
sed misericordia,  
Quia inest mihi multa,  
proh dolor, vecordia.
18. Porrigere jam lapso manum,  
da luctum, da gemitum,  
Dona fletum, dona planctum  
ploratumque plurimum  
Facque cor humiliatum,  
conturbatum spiritum.
19. Florem, pater, vehementer  
te donante jugiter,  
Florem, fili patris, semper,  
flagito suppliciter,  
Florem, spiritus o sacer,  
te favente fortiter.
20. Lacrimae indesinenter  
et incessabiliter,  
Lacrimae nec non instanter,  
infatigabiliter,  
Ut post perpetim consoler  
tecum et exhilarer.
21. Summe pater, miserere  
fons misericordiae,  
Miseranter tuae clemens  
plasmae reminiscere  
Et ad meum me adtrahe  
forti Jesum robore.
22. Tuque, Domine o Christe,  
o caput ecclesiae,  
Attraham deosco a te  
me dignanter recipe  
Et receptum solidare,  
in te noli spernere.
23. Tuque, spiritus o sancte  
ac dulcis paraclite,  
Mei semper meminisse  
noli, rex, contemnere,  
Sed da patrem filiumque  
atque te diligere.
24. Deus trine, Deus une,  
Deus clementissime,  
Trinitas colenda corde,  
mente atque pectore,  
Unitas amanda valde  
omni nobis tempore.
25. Qui es quadri diligendus  
orbis in climatibus,  
Sed mei plus irritatus  
corporis heu sensibus,  
Quam sis mundi a totius,  
credo, peccatoribus.
26. Miserere, quaeso, Deus,  
miserere citius,  
Succurre, deosco, prius,  
quam inferni abyssus  
Me absorbeat, quo nullus  
utilis est gemitus.
27. Respice quapropter prius,  
pater, fili, spiritus,  
Trine atque unus Deus,  
pereat quam famulus,  
Quem plasmasti tuis pius  
miserando manibus.
28. Manuum tuarum opus  
respice clementissimus,  
Si respexeris, ploratus  
sequetur uberrimus,  
Immo simul ululatus  
erit amarissimus.
29. Ego, pater, ille tuus  
prodigus sum filius,  
A [te] procul exsul factus  
qui fui diu[tius]  
Meretricibus conjunctus  
et consumptis omnibus,
30. Quae tu bonus es largitus,  
panis miser indigus  
Effectus fui subulcus,  
saturari cupidus  
Siliquis, sed dedit nullus,  
quae dabantur suis.

31. In me autem cum reversus  
nunc sum mendicissimus,  
Cumque tute sciam prorsus  
multis penetralibus  
Mercenarios in domus  
abundare panibus;
32. Reminiscens, quod benignus  
es atque piissimus,  
Pietate tua fisus,  
quamvis indignissimus  
Nomine servi misellus  
filiique penitus,
33. Advolatus clamo tuis  
ejulans vestigiis:  
Pater mi, peccavi nimis  
in coelum miseriis  
Atque coram te deliqui  
gravibus et nimiis.
34. Non sum dignus dici tuus  
servus nedum filius,  
Sed me jam dignetur meus  
pater clementissimus  
Tractare sua benignus  
pietate citius.
35. Eripe de portis mortis  
me, pater amabilis,  
Pereat ne tui juris  
suis plasma meritis,  
Abest panis, adest famis,  
pestis miserabilis.
36. Nemo panem habet vitae  
praeter te, altissime,  
Quem nunc cernor esurire,  
indignus percipere,  
Sed gratuitus largire  
tu pius hunc munere.
37. Saginatus est occisus  
fratri meo vitulus,  
Qui fuit peregrinatus  
a patre diutius,  
Cum multis luxuriatus  
miser meretricibus.
38. Qui ad te ubi reversus  
fuit mendicissimus,  
Consumptis paternis rebus  
atque bonis omnibus,  
Indigens suillo victu  
sed carens hoc funditus,
39. Inops panis, dives famis,  
ut est piis oculis  
A longe respectus patris,  
est donatus oculis,  
Amplexatus et benignis  
vehementer brachiis.
40. Aliud nil fuit fassus,  
ni quod esset filius  
Ejus ultra jam indignus,  
servis a fidelibus  
Prima stola est indutus,  
inque manu annulus
41. Est confestim sibi datus,  
tegumenta pedibus  
Pariterque saginatus  
est occisus vitulus,  
Sicque fuit epulatus  
tecum, pater, filius.
42. Ergo quia est inventus,  
fuerat qui perditus,  
Rediit[que] suscitatus  
et revixit mortuus,  
Gaudio magno gavisus  
est cum servis dominus.
43. Igitur ego ipsius  
nunc ad te fraterculus  
Clamo tuis advolutus,  
pie pater, pedibus,  
Tuus, fateor, indignus  
nihil minus filius.
44. Ecce, jam petit misellus  
veniam sceleribus,  
Pro suis offensis, quibus  
te tristavit pluribus,  
Quam polus ipse depictus  
splendeat sideribus.



45. Ergo sicuti tunc pius  
nihil eras amplius,  
Clementer ejus misertus  
cito currens obvius,  
Miserere sic dignare  
atque mei ocius.
46. Et quidem nil eo minus,  
verum multo amplius  
Peccavi tibi protervus  
diebus ac noctibus,  
Ad bonum, proh nefas, tardus,  
ad malum promptissimus.
47. Justificavi misellus  
meis facinoribus  
Peccatores omnes, mundus  
quos tenet quadrifidus,  
Proinde peto prostratus  
veniam sceleribus.
48. Jesu, jam quatruiduanus,  
bone pastor, Lazarus  
Mortis in sepulcro situs  
jamque nimis foetidus,  
Monumento quamvis pressus,  
jamjam scatens vermibus,
49. Ecce jacet interemptus  
multis pro criminibus,  
Quae gessit e contra stultus  
signis hebetissimus,  
Privatus velut ambobus  
cum sensu Inminibus.
50. Freme, freme bone Jesu  
ac turbare spiritu,  
Lacrimare pio fletu  
servi pro interitu,  
Propria qui semet manu  
interemit jamdiu.
51. Clama, clama, Jesu Christe,  
voce magna, Domine:  
Prodi foris, tumulate,  
veni foras, Lazare,  
Exi, exi et procede  
jam de mortis carcere.
52. Si clamaveris me, Christe,  
redemptor piissime,  
Exibo laetus repente  
ac procedam propere,  
Que vita servum vocante  
fugiet mors rapidus.
53. Ligatus manus et pedes  
faciemque Lazarus  
Prodiit ille antiquus  
voce Dei excitus,  
Sic ego, plus licet vinctus,  
non prodibo tardius.
54. Fili Dei, Christe, vivi,  
jube tui Lazari  
Pedes, manus, ora solvi  
et abire desini  
Et vestigiis advolvi  
sui sacris Domini.
55. Quin tibi tuoque patri,  
quin sancto spiritui,  
Trino Deo atque uni  
corde, ore supplici  
Grates agat voce tali  
honore sub triplici:
56. Benedictus sit excelsus  
genitor et genitus  
Spiritus nec non et sanctus,  
perdulcis paraclitus,  
Per quem suus est [jam] servus  
suscitatus Lazarus.
57. Manicis qui magnis vinctus,  
constrictus compedibus  
Flammis eram destinatus  
poenarum ultricibus,  
Quae tormentis extant prorsus  
plena multiplicibus.
58. Gloriam cantabo sane  
omni tibi tempore,  
Si digneris evocare  
mortis me de limine,  
Cui est vita cum patre  
et regnum cum flamine.

59. Tange, tange, Jesu Christe,  
meos clementissime  
Oculos et squamas inde  
serpentinae ablue  
Fluminaque multa valde  
lamentorum elice.
60. Actus terge et reterge,  
quo plus fluant lacrimae,  
Fluant nocte, fluant die,  
ut possim restinguere  
Flammam, quae sunt mihi jure  
poenis meis debita.
61. Spiritus o sancte, pia  
respice me gratia  
Et mersum mortis in urna  
me, precor, vivifica  
Ac vivificatum tua  
luce jam illumina.
62. Gratis nam fecisti tua  
me misericordia,  
Gratis, flagito, reforma  
demum et resuscita,  
Gratis tua dantur dona,  
hinc donorum gratia.
63. Memento, Domine Deus,  
quod gignens et genitus,  
Ut es potens atque pius,  
sic tu nihilominus  
Ante saecula es benignus,  
mitis, potens, validus.
64. In quemcunque enim spiras,  
hunc statim vivificas,  
Cum patre, filio tonas,  
regis et illuminas,  
Gratiam cujus [tu] donas,  
solidas ac vegetas.
65. Quos placet, benigne vocas,  
vocatos sanctificas,  
Humiles pius exaltas  
et altos humilias,  
Immundosque quosvis mundas,  
impuros purificas.
66. Quid plura, leprosos sanas,  
impios justificas,  
Cum patre proleque cunctas,  
quas vis, mentes recreas,  
Insuper et recreatas  
tu, pater, glorificas.
67. Quamobrem te, Deus pie,  
postulo humillime,  
Cito mihimet succurre  
cum patre, cum sobole,  
Et ovi nimis infirmae  
gratiam jam tribue.
68. Da, precor, in te clamare  
Abba, pater, Domine,  
Nec non atque Jesu Christe  
simul, quaeso, dicere,  
Quin et te, o flatus almae,  
vocare humillime.
69. Da amare, da timere,  
da frequenter colere  
Patrem, prolem, sanctum atque  
da flatum diligere  
Toto corde, tota mente,  
toto nec non pectore.
70. Esto mihi timor ingens  
atque amor vehemens,  
Diligam te nimis timens  
timeamque diligens,  
Serviamque contremiscens,  
contreniscam serviens.
71. Non permittas me perire  
nec digneris perdere,  
Quem plasmasti manu pia,  
Deus, ne despicias,  
Sed dignanter miserere  
et clementer respice.
72. Noli, noli me delere  
sed parce, piissime,  
Parce, parce et defende,  
clemens rex, et protege,  
Protege, nec non defende  
nimis pressum pondere.

73. Tuam, Deus potens, pie,  
mihi manum porrige  
Et dignare sublevare,  
peccata dimittere  
Nec non atque collocare  
in coelesti requie.

74. Erue me, peto, meis,  
Domine, flagitiis,  
Quibus te offendi grave  
retroactis saeculis  
Et nunc quoque plura priscis  
addo nova maculis.

75. Deduc me in viam pacis,  
cum obire jusseris,  
Portioque mihi lucis  
tunc patescat perpetis  
Merearque cum beatis  
te laudare angelis.

76. Gloria, laus, honor patri,  
proli ac spiritui,  
Ex ambobus procedenti  
ante orsus saeculi,  
Trinitati lux perennis  
unitate perpeti.

Cod. Gratianopolitan. (ol. Majoris Carthusiae) 265 saec. 12. — 1, 3 precor alme. — 21, 4 plasmæ statt plasmatis. — 36, 4 praecipere. — 38, 5 suilliviam. — 45, 1 nunc prius. — 45, 3 Tam clementer. — 45, 5 sq. sic dignatus nec mei ocius. — 52, 5 Que in vita. — 56, 4 produlcis. — 59, 6 lamentorum ablue. — 61, 3 mortis in una. — 64, 3 cum filio. — 7, 4 orsa saeculi.

### 223. De Praelatis et Subditis.

1. Rex, de coelo respice,  
visita clementer,  
Quam plantasti, vineam,  
quae perit frequenter;  
Cultores, quae sua sunt,  
quaerunt diligenter  
Vineamque Domini  
colunt negligenter.

2. Heu, pastores ovium  
sub umbra quiescunt,  
Se in voluptatibus  
pascere assuescunt  
Et Christi oviculas  
pascere pigrescunt,  
De quibus victum tollere  
minime pavescunt.

3. Pastores ecclesiae  
dicuntur praelati,  
Injuste hoc nomine  
sic sunt nuncupati,  
Pro grege dominico  
non jam sunt parati  
Laborare strenue,  
ut quondam beati.

4. Nemo turbat gregem plus  
quam quidam pastores,  
Vitiose negligunt  
jam inferiores,  
Innocentes opprimunt  
et turbant meliores  
Et amicos praeferunt  
multum viliores.

5. Deus, quam mirabilis  
Hujus mundi status,  
Nam si simplicissimus  
Fuerit praelatus,  
Hic in brevi tempore  
Totus fit mutatus,  
Qui fuit humillimus,  
Valde fit elatus.

6. Dehonorat subditos,  
perit spes salutis,  
Superbire incipit  
immemor virtutis,  
Elevatur supra se  
laqueis salutis,  
Gradiens per devia  
gressibus non tutis.

7. Dignitatis gloria  
et novi honores  
Convertunt humillimum  
et pervertunt mores,  
Quod sui obliviscitur  
spernens digniores  
Et ignorat socios  
stantes ante fores.
8. Vivere vult splendide  
raro stans in choro,  
Ob sua solatia  
saepe est in foro,  
Vel languorem simulans  
se locans in thoro:  
Heu me, dicit, pauperem,  
quantum nunc laboro.
9. Monachus si coeperit  
pauper aegrotare,  
Docetur prae omnibus  
olus manducare,  
Ad chorum in triduo  
non differt remeare,  
Qui fieret libentius,  
cogitur cantare.
10. De Christi pauperibus  
pauci habent curam,  
Qui gerunt frequentius  
paupertatem puram,  
Sed qui potest capere,  
fugit vitam duram  
Et vivit ad libitum  
regens praelaturam.
11. Nil de praelatis refero,  
qui nunc onerantur  
Et pro suis subditis  
hic sollicitantur,  
Amant, regunt, corrigunt  
neque indurantur,  
Deus det, [ut] gaudium  
isti consequantur.
12. Sed sunt dii gentium,  
daemonia praelati,  
Qui hic suis subditis  
non sunt inclinati,  
Ad quorum custodiam  
sunt hic deputati,  
Nec regunt nec diligunt,  
socii Pilati.
13. Praelatorum viscera  
dum gaudent repleta,  
Tunc clamatur altius,  
cantant mente laeta,  
Jubent, ut similiter  
clament tali meta,  
Quorum in jejunio  
frequens est dieta.
14. Ultra modum debitum  
cogunt laborare  
Subjectum sibi populum,  
student fatigare,  
Cogitantes intra se,  
hi solent murmurare,  
Obruantur onere,  
ne possint vacare.
15. Et si fratres inter se  
volunt discordare  
Pro causa tam minima,  
nolunt revocare  
Eos ad concordiam  
rogitantes quare,  
Isto modo possumus  
non in pace stare.
16. Sic vadunt ad interitum  
cum suo grex pastore,  
Plebs plebanum sequitur  
bestiarum more,  
Seducit pater filios  
misero errore,  
Et sic premuntur animae  
perpetuo dolore.
- Cod. Zwethalen. 6 saec. 12. add. saec. 14.

224. Prosa de Evangelio.

1. Parabolam vitae  
Omnes hanc audite,  
Sine dolo et sine lite
- Unanimus ite,  
5. Ne de vera vite  
Cadatis excisi

- Agricolae invisi.  
 Qui vineam plantavit  
 Et in hanc vocavit
10. Multos operarios  
 Per singulos denarios,  
 Qui summo mane mundi  
 Pro mercede nummi  
 Adam introduxit,
15. Quem serpens seduxit.  
 Hora vero sexta  
 Fide subintexta  
 Abraham intravit,  
 Qui natum immolavit.
20. Hora vero nona  
 Per scriptae legis dona  
 Moyses intravit,  
 Qui decalogum portavit.  
 Undecima David
25. Rex subintravit,  
 Qui fortiter pugnavit  
 Et Christum figuravit.  
 Tandem Christus venit,  
 Qui mercedem dedit,
30. Qui crucis in angaria  
 Calcavit torcularia;  
 Qui per confessionem  
 De cruce latronem  
 In paradisum duxit,
35. Quem sero conduxit.  
 Post hunc patriarchae,  
 Reges et prophetae  
 Mercedem acceperunt,  
 Qui pondus portaverunt
40. Aestus et diei.  
 Sic gratia Dei  
 Quos praedestinavit,  
 Hos et remuneravit.  
 Post hos duodeni
45. Atque Nazareni  
 Et evangelistae  
 Te sequuntur, Christe.  
 Post hoc crucis victores,  
 Deinde confessores,
50. Cum oleo prudentes  
 Fuerant sequentes  
 Regis sponsam magni,  
 Novam nuptam agni.
- Tunc epithalamica
55. Sponsae cantabant cantica.  
 Hanc intrate vineam,  
 Ut malorum veniam  
 Inveniatis.  
 Cur otiosi statis?
60. Cur non laboratis,  
 Ut fructum afferatis?  
 Cur non festinatis,  
 Ut omnes occurratis  
 Ecclesiae sponso,
65. Qui videt in absconso,  
 Qui mercedem tribuet,  
 Cum Samaritanus rediet?  
 Sex gradus aetatis,  
 Ut intelligatis,
70. Hic praefigurantur.  
 Qui bene operantur,  
 Regnant in aeternum;  
 Descendunt in infernum,  
 Qui stabunt otiosi,
75. Semper criminosi,  
 Quos nemo conduxit,  
 Cujus flos exaruit,  
 Cum verus sol incaluit.  
 Per quos ab infantia
80. Per ora lactantia,  
 Mox a pueritia  
 Cum animi prudentia,  
 In adolescentia  
 Cum animi peritia,
85. Mox in juventute,  
 Dehinc in senectute  
 Ad vineam vocamur,  
 In qua coronamur.  
 In ultima aetate
90. Sero laborate.  
 Cum sero factum esset,  
 Ut labor mundi cesset,  
 Vocantur operarii  
 Et dantur denarii
95. His, qui sero venerunt.  
 Tunc primi putaverunt  
 Se plus accepturos,  
 Cum patre regnatos  
 Et ipsi acceperunt,
100. Sed murmuraverunt,

- Singulos denarios,  
Ut decet operarios.  
Tunc patri dixerunt,  
Qui mane venerunt,  
105. Cur pares fecisti,  
Quos sero conduxisti  
Nobis, qui portavimus  
Pondus diei et aestus.  
Respondit uni pater:  
110. Nonne ego, frater,  
Cum omni operario  
Conveni de denario.  
Quod promisi, tolle  
Nec ultra te extolle;  
115. Noli murmurare,  
Novissimo dare  
Sicut primo volo,  
Te audire nolo.  
Tu nequam, ego bonus,
120. Mecum qui portat onus,  
Trabem tollat de oculo,  
Pecuniam de loculo,  
Ne racca dicat fratri,  
Sic carus erit patri.  
125. Tollat omne vitium,  
Ne subeat supplicium,  
Cum mundi fit destructio  
Nec ultra fit corruptio.  
Tunc erunt electi,  
130. Qui fuerunt perfecti,  
Et erunt abjecti,  
Qui non sunt perfecti.  
Multi sunt vocati,  
Pauci coronati.  
135. Magna dies illa,  
Quam pace tranquilla  
Dignetur praestare,  
Qui venit nos salvare.

Clm. Monacen. (ol. Altahen.) 7950 saec. 12.

## 225. Planetus Ecclesiae.

### I.

1. Ad te, Domine, levavi  
animae praecordia,  
In te, Domine, speravi  
Tota cum fiducia,  
Ad te, Domine, clamavi  
Ego, flens ecclesia.
2. Bone Deus, te actore  
Concepi et genui,  
Sacro scripturarum rore  
Natam prolem abluï,  
Sed nunc me replent moerore  
Nati semimortui.
3. Cum enim unicus Deus,  
Sic est fides unica,  
Unicusque sponsus meus,  
Spes ecclesiastica,  
Crescit tamen pharisaeus  
Et pestis schismatica.
4. Divisa flet hierarchia,  
Quam formarat gratia,  
Nam, plena olim sophia  
Salutari, Graecia  
Romana relicta via  
Secedit per devia.
5. Erant enim Philippenses  
Pauli quondam filii,  
Erant Thessalonicenses,  
Galatii, Corinthii,  
Absunt Graeci, Colossenses,  
Vatum olim socii.
6. Fletibus genae funduntur  
Et corda suspiriis,  
Dum epistolae leguntur  
Pauli factae studiis,  
Quae praefatis diriguntur  
Lapsis nunc ecclesiis.

7. Gratae quidem sunt scripturae,  
Sed amari tituli,  
Dum ex his tantae jacturae  
Memorantur populi,  
Quod cadunt tot creaturae,  
Tot Christi vernaculi.
8. Heu me, secti sunt Alani,  
Jasones, Iberii,  
Jacobitae, Nubiani  
Et qui restant Tyrii,  
Armeni, Georgiani  
Viciniq̄ue Ziquii.
9. Indi quidem baptizantur,  
Qui, quamvis innumeri,  
Non accedunt nec vocantur  
Ad sedem clavigeri,  
Sed sub causa conversantur  
Johannis presbyteri.
10. Kalendas ritus Graecorum,  
Fidem et consilia  
Sequitur gens Bulgarorum  
Et gentes de Jascia  
Populique Ruthenorum  
Cunctique de Servia.
11. Lapsi sunt Nestoriani  
Decepti fallacia,  
Nulla quaerunt Africani  
Romana judicia  
Ignotique sunt Farfani  
Mixti cum perfidia.
12. Misere patriarchales  
Quatuor ecclesiae,  
Quae ut bases cathedrales  
Substant primariae,  
Ut arbores autumnales  
Substant ignominiae.
13. Nam Jerosolymitana  
Et urbs Antiochiae,  
Constantinopolitana  
Et urbs Alexandriae,  
Calcantur gente profana,  
Nequam, plena rabie.
14. O Deus, cur Christiana  
Plebs ita diffinditur?  
Cur deserta via plana  
Per asperas graditur,  
Cur gens angelis germana  
Tot malis subjicitur?
15. Porro talem dissuturam  
Graviorem sentio,  
Quia curatorum curam  
Modicam adspicio,  
Vix est, qui contra jacturam  
Penset de remedio.
16. Quare vivunt tot perversi  
Latentes haeretici,  
Inter fideles dispersi  
Ut lupi malefici?  
Et qui videntur conversi,  
Raro sunt catholici.
17. Rei secant Ariani  
Divinam essentiam,  
Confundunt Sabelliani  
Personarum gloriam,  
Negantque Pelagiani  
Operantem gratiam.
18. Stoici mundi naturam,  
Formam et substantiam  
Deum dicunt et figuram  
Ejus circumstantiam,  
Facturae praestant culturam,  
Factori blasphemiam.
19. Tabefacti Manichaei  
Duos Deos praedicant,  
Corporea quidem rei  
Fore Dei judicant,  
Ceteraque boni Dei,  
Quae magis magnificent.
20. Valdenses vociferantes  
Diversis erroribus  
Meos praelatos causantur  
De perversis moribus,  
Suos tantum arbitrantur  
Fungi posse clavibus.

21. **Xristo** sicut Christiani  
Hic omnes se offerunt,  
Tamen ad errores vanos  
Damnandi se conferunt,  
Quos culpae tamquam insanos  
Ad inferna deferunt.

22. **Zeli** quidem tui telis  
Sauciata crucior,  
Multis in membris fidelis  
In multis concrucior,  
Fioque sine medelis  
Jugiter amarior.

II.

23. **Animales** Saraceni  
Mittunt in me gladios,  
Multa pravitate pleni  
Meos necant filios,  
Et ut domini terreni  
Faciunt exitios.

29. **Gutta** ligat membra mea  
Et spasmus vecordiae,  
Nam nec spata Maccabaea  
Nec verbo scientiae  
Arma vinco Cananaea  
Minorum potentiae.

24. **Bethlem** sanctam rapuere,  
Peremerunt incolas,  
Jerusalem foedavere,  
Violarunt violas,  
Moschetas ibi fecere,  
Fugarunt Christicolas.

30. **Hebet** mens, fides miratur,  
Quod hae sint ecclesiae,  
Quibus salus destinatur,  
Pax et fructus gratiae  
Apocalipsisque datur,  
Privatae sint specie.

25. **Cleri** festa non honorant,  
Campana non tinniant,  
Viae sanctae Sion plorant,  
Nam plebes non veniunt,  
Salvatorem non adorant,  
Qui loca custodiunt.

31. **Istis** magistri scripsere  
Petrus, Paulus, aquila,  
Istis dogmata dedere  
Praeceptaque rutila,  
Ista nunc evanuerunt  
Ut figmenta nubila.

26. **Dolorem** Turci auxerunt  
In arcu et ascia,  
Qui me moestam expulserunt  
De minori Asia,  
Ubi paucos reliquerunt  
De Christi familia.

32. **Karitas** refrigerata  
Venit prope nihilum,  
Iniquitas augmentata  
Sanctis aufert jubulum,  
Candelabra sunt sublata  
Propter culpam vigilum.

27. **Ephesina** et Smyrnensis  
Migrarunt ecclesiae,  
Pergami, Thyathirensis,  
Sardis, Laodiciae,  
Sola Philadelphiensis  
Perseverat hodie.

33. **Longe** Deus me fecisti  
Meis a benevolis,  
Solamenque subtraxisti  
Concessum apostolis,  
Hinc inde circumdedisti  
Me multis malevolis.

28. **Fractae** sunt ecclesiarum  
Aedes et altaria,  
Pulsa sunt inde missarum  
Quaeque sacrificia,  
Et pastoris animarum  
Fugata memoria.

34. **Mei** praelati pomposi  
Tument ut hydropici,  
Quidam volunt spiritosi  
Videri magnifici,  
Quidamque deliciosi  
Sunt ut paralytici.



35. Nequam sunt religiosi  
Multi sine foedere,  
Multi literis ventosi  
Sine legis opere  
Et multi, qui sunt exosi,  
Volunt pie vivere.
36. Omnes, quae suasunt, quaerunt,  
Non ea, quae Domini,  
Omnes vota contulerunt  
Tam carni quam sanguini,  
Omnes in his exarserunt  
Clericorum animi.
37. Principes nimis elati  
Minus sunt pacifici,  
Dediti cupiditati,  
In dando parvifici,  
Non intendunt aequitati  
Principes tyrannici.
38. Quo iverunt margaritae  
De locis Aegyptiacis,  
Viri sanctissimae vitae  
De mille coenobiis,  
Cessarunt anachoritae  
Non relictis filiis.
39. Religio viduata  
Taliū solatio,  
Nimis est refrigerata  
Ab orandi studio,  
Ad mundi mores laxata  
Multis est fastidio.
40. Sanctus, sanctus, sanctus Deus,  
Meas vide lacrimas,  
Deficit spiritus meus,  
Mori cernens animas,  
Infelix gaudet Judaeus  
Videns tot res pessimas.
41. Tutor pie pupillorum,  
Segregatos congrega,  
Ovile orthodoxorum  
Truncatum redintegra,  
Seminatores errorum  
Ab electis segrega.
42. Unum da cor in credendo  
Christum invocantibus,  
Unum os in confitendo  
Exclusis erroribus,  
Animam in diligendo  
Una cum operibus.
43. Christianis pacem praesta,  
Cuncta tolle schismata,  
Sana vulnera funesta,  
Deauge charismata,  
Jucunda largire festa  
Et jucunda sabbata.
44. Zyma purga vitiorum,  
Da virtutum azyma,  
Statum meum fac decorum  
Data praebens optima,  
Fontem ostende bonorum,  
Quo fruatur anima.

Cod. Carnoten. 341. saec. 14. — 14, 2 dissinitur. — 24, 1 Bethel. — 30, 2 haec sic.

## 226. De vero amore.

1. Amor sponte cor afficit  
Et spontaneum efficit,  
Nulla cupit praemia,  
Amori non est angulus,  
Amori simplex oculus,  
Nulla habet propria.
2. Amor non est in timore,  
Timor non est in amore,  
Sunt enim contraria,  
Amor lex est filiorum,  
Timor vero lex servorum,  
Magna est distantia.
3. O quanta est vis amoris,  
Quae exclusa vi timoris  
Servum facit liberum,  
De nocente innocentem,  
De mortuo dat viventem  
Et de sene puerum.
4. Amor metu non frangitur,  
Nullo pudore flectitur  
Nec curat dominium;  
Amor amat concordiam,  
Veritatem, justitiam,  
Spiritale gaudium.

5. Amor nescit iudicium  
Nec recipit consilium  
Nec se modo temperat;  
Amor gratis obsequitur,  
Nullo lucro conteritur,  
Libenter obtemperat.
6. Amor verus non est duplex,  
Se contentus, se locuplex,  
Scit omnibus sufficere;  
Per se satis est subjectus,  
Non contractus sed affectus  
Reveretur libere.
7. Amor prudens non effluit  
Sed abundanter affluit  
Nescitque marcescere,  
Amor accensus fortiter,  
Semper conatur dulciter  
Et pure diligere.
8. Amor ille, qui spe crescit  
Et subtracta spe decrescit,  
Adhuc est impurior;  
Amor non est hic sine spe,  
Sed non sumit vires de spe  
Nec ea fit fortior.
9. Amor non est hiemalis,  
Amor novus et paschalis,  
Per quem virent omnia;  
Amor nunquam otiosus,  
Amor semper fructuosus  
Sicut aestas florida.
10. Quantum homo desiderat,  
Quantum credit, tantum sperat,  
Tantum est in opere;  
Qui amoris succo caret,  
Fides ejus et spes aret,  
Nescit fructum facere.
11. Amor dulcis, non amarus,  
Amor largus, non avarus  
Et sine tristitia;  
Amor caret senectute,  
Amor floret juventute  
Semper in laetitia.
12. Amor purus pure amat,  
In spe non propter spem amat  
Sicut docet ratio;  
Amor sperat hoc, quod amat,  
Et quod sperat, illud amat  
Appetitu anxio.
13. Amor, quia amat, sperat,  
Sed non amat, quia sperat,  
Ordine legitimo;  
Amor praeit, spes sequitur  
Amor praeest, spes subditur  
In amantis animo.
14. Amor laudem non appetit,  
Nec, quae sua sunt, repetit,  
Nec despectum metuit;  
Amor pie socialis  
Nec pro malis mala malis  
Sed bona retribuit.
15. Amor nescit irritari,  
Invidere nec inflari,  
Sed amat humilia;  
Amor malum non cogitat,  
Injurias non recitat,  
Nulla fovet odia.
16. Amor mollit duritiam,  
Amor tollit acidiam,  
Gelu mentis adimit;  
Amor sicut mors est fortis,  
Amor mors est nostrae mortis,  
Omne malum perimit.
17. Amor nihil vult praeter se,  
Per se placet et propter se,  
Sui tantum conscius;  
Nullo pacto adquiritur,  
Nulli spei innititur,  
Non est mercenarius.
18. Amor semper vult amare,  
Sibi soli scit vacare,  
Se solum complectitur;  
Non quaerit fructum alium,  
Quam usum sui proprium  
Et seipso fruitur.

19. Amor est res suae spei,  
Spes etiam suae rei,  
Ipse sibi gratia;  
Ipse causa, ipse fructus,  
Neque foris a se ductus  
Sibi quaerit alia.
20. Amor solus vult regnare,  
Totam mentem occupare,  
Solutus menti praesidet;  
Non est, quo intret vitium,  
Ubi tenet imperium,  
Ubi totum possidet.
21. Amor sanctus, amor mundus,  
Amor festus et jucundus  
Cuncta fugat vitia;  
Amor plenus plene gaudet,  
Osculari Deum audet  
Cum omni fiducia.
22. Amor semper triumphalis,  
Amor semper nuptialis,  
Amor semper ebrius;  
Amor summus et regalis,  
Amor plus quam filialis,  
Amor sponsus proprius.
23. Ubi amor, nihil deest,  
Qui non amat, quicumque est,  
Is nihil est penitus;  
Per amorem fit anima  
Christi sponsa carissima  
Et nubet divinitus.
24. Patrem honoret filius,  
Sed sponsa, quod est dulcius,  
Sponsum suum diligit;  
Sicque rejectis omnibus  
Mundi dilectionibus  
Ipsam solum eligit.
25. Servus timore serviat  
Et mercedem accipiat,  
Qui est mercenarius;  
Sed sponsa sponsum cernere  
Et osculum vult habere,  
Quod est longe dulcius.
26. Amor legis plenitudo,  
Amor cordis latitudo,  
Amor mentis specula,  
Amor dulces dat lacrimas,  
Lex est convertens animas  
Omni carens macula.
27. Amor gemit, amor orat,  
Amor plangit, amor plorat,  
Pascitur suspirio;  
Amor, qui caret lacrimis,  
Nec suspirat ab intimis,  
Caret desiderio.
28. Amor mundo vult conteri,  
Mundus est ei oneri,  
Lux ipsa fastidio;  
Cum differtur, amor crescit,  
Minuere eum nescit  
Sed auget dilatio.
29. Amor nescit meditari,  
Vel audire vel effari,  
Nisi quod amaverit;  
Amor expers et erroris,  
Qui socius est amoris,  
Errare non poterit.
30. Amor currit diligendo,  
Perseverat in currendo  
Et cursum accelerat;  
Tarde enim pervenire,  
Tarde credit invenire,  
Quod nimis desiderat.
31. Sponsus, qui sponsam diligit,  
Sponsae amorem exigit  
Nec requirit amplius;  
Sponsa novit diligere,  
Nec scit nec valet reddere  
Sponso quidquam gratius.
32. Sponsa non habet aliud,  
Nec sponso placet aliud  
Quam sponsae dilectio;  
Nil aliud sponso debet,  
Nec aliud sponso praebet  
Sponsa in conjugio.

33. *Sponsa amat, quia amat,  
Et ut amet, semper amat  
Voluntate libera;  
Praeter sponsum nihil amat,  
Proptersponsum sponsum amat,  
Spe nequaquam altera.*
34. *Amor vivendo patiens  
Sed amando impatiens,  
Donec Deum videat;  
Nunquam cessat esurire,  
Quem diligit, et sitire,  
Donec votum compleat.*
35. *Poenam habet pro satie  
Et laborem pro requie,  
Dolorem pro gaudio;  
Amor, qui non perseverat  
Nec in finem desiderat,  
Non est dignus bravo.*
36. *Amor caduca negligit  
Nec spem suam in his figit,  
Quae sunt transitoria;  
Amor supernis inhiat,  
Amor amantem cruciat,  
Sed sine molestia.*
37. *Amor exsul amarescit,  
Post amarum spe dulcescit,  
Spe consolatoria;  
Amor luget exsilium,  
Nec ibi quaerit gaudium,  
Ubi non sunt gaudia.*
38. *Amor vult difficilia,  
Immo impossibilia  
Et sine solatio;  
Amor semper vult languere,  
Anhelando deficere  
Et sine remedio.*
39. *Amor nullum vult temporem,  
Immo aestum et ardorem,  
Nulla ei gravia;  
Amor suave jugum Christi,  
Qui se jugo subdit isto,  
Cuncta ei levia.*
40. *Multi gradus in amore,  
Summum gradum suo more  
Sponsa sibi vendicat;  
Sponsa amat cum fervore,  
Sponsa abundat amore,  
Cui nemo communicat.*
41. *Major sponsae affectio  
Circa sponsum quam filio  
Cum parentum gratia;  
Magis amat, magis sapit,  
Magis ardet et vix capit  
Sua desideria*
42. *Non mercedem, non honorem,  
Non doctrinam sed amorem  
Sponsa sibi eligit;  
Et amare et amari,  
In hoc solo vult laetari,  
Si perfecte diligit.*
43. *Amor legi non subditur,  
Neque justis lex ponitur,  
Qui amori serviunt;  
Amor enim est beatis  
Lex perfectae bonitatis,  
Quam injusti nesciunt.*
44. *Amor amat silentium,  
Placet ei suspendium,  
Id est contemplatio;  
Amori multiloquium  
Est omnino contrarium  
Et ejus turbatio.*
45. *Amor summe delicatus,  
Esse debet eliquatus  
Ab omni contagio;  
Nihil admixtum habeat,  
Nulla in eo maneat  
Obliqua intentio.*
46. *Amor idem in se manet  
Et semper in se permanet  
Locus amicitiae;  
Amor nutrit unitatem,  
Simul et stabilitatem  
Fortis patientiae.*

47. Inimicis est amicus  
Et nulli est inimicus,  
Sed cultor justitiae,  
Culpam odit, non naturam,  
Omnem cernit creaturam  
Columbina facie.
48. Tanta flamma est amoris,  
Tanti amor est ardoris,  
Ut exstingui nequeat;  
Nullis aquis exstinguitur,  
Nec flumine obruitur,  
Quin amplius ardeat.
49. O quam amplum palatium  
Caritatis est gremium,  
In quo omnis recipit;  
Et invidis et ingratis  
Sinum pandit pietatis,  
Nullum a se excipit.
50. Amor est vita omnium,  
Unum est necessarium;  
Omnis virtus alia  
Sine eo non proficit,  
Et delinquit et deficit,  
Et nihil sunt omnia.

Cod. Carlopolitian. (ol. Carthusiae Montis Dei) saec. 14. A. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. B. — Letzteres mit der Überschrift: Sanctus Bernardus de amore. — Str. 1—26 fehlen B. — 29, 2 affari A. — 30, 5 Tarde quoque invenire B. — Nach Str. 30 folgen in B Str. 35, 4 bis 40, 1. — 31, 6 Quidquam ei gratius B. — 32, 1 Nec sponsa habet B. — 32, 4 sqq. fehlen B. — Von Str. 34 springt B auf Str. 40 über. — 35, 1 bis 4 fehlen B. — 40, 5 Et abundat in B. — Nach 44, 3 schiebt B ein:

Amor non agit perperam,  
Non sinistram, non dexteram  
Ejus habet actio.

45, 1 Amor esse defaecatus B. — 45, 4 Et nihil mixtum habeat B. — 46, 1 idem semper manet B. — 46, 2 Semper locum suum tenet B. — 46, 3 Locum B. — 46, 4 sqq. lauten in B:

Stat firmiter et non nutat,  
Statum suum nunquam mutat,  
Statum patientiae.

47, 3 Nisi inimicitiae B. — 48, 2 ardor est A. — 50, 2 Sine quo necessarium A. — 50, 3 Est omnis A. — 50, 5 Et delirat et B. — Am Schlusse fügt B noch bei

Amor, amor dulcis labor,  
Amor vincit omnia.

## 227. De Ordine s. Benedicti.

1. Sacer ordo Benedicti  
Utitur amictu miti  
Pro suo velamine,
2. Albo, nigro, camelino,  
Lana texta sine lino,  
Prout est religio.
3. Hic monarcha monachorum,  
Patriarcha est cunctorum,  
Qui ad se confugiunt;
4. Coenobitis praebet normam  
Et anachoritis formam  
Vias rectas ingredi.
5. Cujus regularis usus  
Nunc ubique est diffusus  
Inter orbis climata,
6. Nam Specus cultus divini  
Locusque montis Cassini  
Redolent virtutibus.
7. Hinc Fuldenses cum fervore  
Claustra multa cum decore  
Regunt in Almannia,
8. Adsunt et Cluniacenses  
Simulque Camaldulenses  
Cum Cisterciensibus.

9. Valumbeni, Silvestrini  
Supersunt et Coelestini  
Sub diverso habitu,

10. Montis Oliveti patres  
Humiliatisque fratres  
Sub eadem regula.

11. Vigent quoque Justinieneses,  
Cum candore Bursfeldenses  
His diebus ultimis.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin) 20015. anni <sup>1500</sup>/1508. — 4, 1 praebent. —  
9, 1 Lies Vollumbrosi? — 11, 2 Zursfeldenses.

228. De Conductu in itinere Hierosolymitano.

1. Christiani nominis  
Corruit insigne,  
Spurci pompa germinis  
Et gentis indignae  
Regnat in Jerusalem,  
Quis ferro vel igne  
Deleat propaginem  
Sobolis malignae?

2. Capta est haereditas  
Pendentis in ligno,  
Si quos regit veritas  
Munere benigno,  
Horum crucis pectora  
Consignentur signo,  
Publicentur roborata  
Populo maligno.

3. O florens militia  
Christianae gentis,  
Quis ferat opprobria  
Saecula regentis,  
Ordinetur acies  
Populi credentis,  
Fabricetur aries,  
Dentur vela ventis.

4. Nostrae, fratres, vigeat  
Disciplinae cultus,  
Pax inter nos maneat,  
Sit rancor indultus,  
Sentiant Jerusalem  
Gentiles tumultus  
Christiani roboris  
Viriles assultus,

5. Cur gens non opprimitur  
Vitae bestialis,  
Qua sic Christi premitur  
Sedes principalis?  
Factum in prostibulum  
Civitas regalis,  
Versa est in stabulum  
Domus specialis.

6. A summo pontifice  
Exiit edictum,  
Neminem detineat  
Scelus vel delictum,  
Indulgetur penitus  
Culpae maledictum,  
Si quis occubuerit  
Per iter indictum.

7. Vestris qui sceleribus  
Estis involuti,  
Piscina comparuit  
Congrua saluti,  
In qua quotquot sanguine  
Fuerint abluti,  
Laetabuntur illico  
Coelum consecuti.

8. Ergo si vos moveat  
Zelus domus Dei,  
Rogo vos, admoneat  
Illud Maccabaei,  
Sub quo pauci totiens  
Vicerunt Judaei,  
Valde mentes acuit  
Tanta formae rei.

9. Constipetur classibus  
  Maris latitudo,  
  Plebs, Quirites, proceres,  
  Regum celsitudo,  
  Ire si quem hostium  
  Terret multitudo,  
  Noverit, quod desuper  
  Datur fortitudo.
10. Surgat invincibilis  
  Pastor Romanorum,  
  Accingatur nobilis  
  Probitas Francorum,  
  Producatur agilis  
  Populus Anglorum  
  Nec non et horribilis  
  Turba Bohemorum.
11. Sedens adhuc modicum  
  Cinere conspersa  
  Tuum lauda medicum,  
  Civitas dispersa,  
  Ad te nostra convolat  
  Gens bene conversa,  
  Ut jam te non incolat  
  Medus neque Persa.
12. Ad hoc sulcant aequora  
  Plus quam rates mille,  
  Plenae gente libera  
  Mentis non pusillae,  
  Ni gurges impediatur  
  Charybdis et Scillae,  
  Tutum est, ut fugiat  
  Filius ancillae.
13. Ergo nunc accelerent  
  Fortes regionum,  
  Cedat amor sanguinis  
  Et cognationum,  
  Aderit in proelio  
  Deus ultionum,  
  Cujus cadet brachio  
  Robur nationum.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883 saec. 14/15.

### 229. De Chori Officio.

1. Dum in nocte video  
  in choro conventum  
  Et ad laudem Domini  
  quemlibet intentum,  
  Esse me considero  
  ut ad tournamentum,  
  Ubi non est licitum  
  ire somnolentum.
2. Tournamentum ludus est  
  fortium virorum,  
  Strenue pugnantium  
  et non pavidorum,  
  Quibus bene convenit  
  ordo griseorum,  
  Quorum nullus tepidus  
  intret jure chorum.
3. Tournamentum longius  
  quaerit bonus miles,  
  Ut probare valeat  
  vires juveniles,  
  Matutinas monachi  
  sic petunt viriles,  
  Quas frequenter nesciunt  
  frequentare viles.
4. Reges, duces, comites  
  Solent exercere  
  Tournamenta, ut queant  
  saeculo placere,  
  Sic in choro monachi  
  non debent silere,  
  Ut laudem a Domino  
  valeant habere.

5. Simplex miles arripit  
regem aliquando,  
Ludum, quem praediximus,  
saepe frequentando,  
Sic et pauper monachus  
bene vigilando  
Coeli capit Dominum  
devote cantando.
6. Talis enim captio  
dulcis est et bona,  
Jesum capientibus  
dat rex larga bona,  
Quia non discernitur  
ab ipso persona,  
Quando vigilantibus  
dabitur corona.
7. Dum mane consurgimus  
de dormitione,  
Christum regem capimus  
brevis cum sermone,  
Vulnerum, quae passus est,  
recordatione  
Disciplinae, lanceae,  
spineae coronae.
8. Ex his solet fluere  
nectaris resina,  
Quae est peccatoribus  
summa medicina,  
Quando Deo psallimus  
mente columbina,  
Datur procul dubio  
gratia divina.
9. Corona promittitur  
mane vigilanti,  
Ubi Deus praemia  
dabit militanti,  
Cum sponsus advenerit,  
et cum dormitanti  
Non patebit janua,  
quam intrabunt sancti.
10. Somnus est dulcissimus  
semper in aurora,  
Tunc cibus digestus est  
ad inferiora,  
Et laetatur anima  
sanguinis in hora,  
Tunc natura solvere  
solet graviora.
11. Non debet hoc tempore  
monachus dormire,  
Castitatem qui suam  
volet custodire,  
Tunc solet fragilitas  
carnis ebullire,  
Quam sacrae vigiliae  
faciunt perire.
12. Asperae vigiliae  
sunt pigris ut spinae,  
Sed vere sciendum est,  
quia matutinae  
Corporis et animae  
fiunt medicinae,  
Nam caput a phlegmate  
purgant sine fine.
13. Ergo diu vivere  
monachi probantur,  
Quia nec cibariis  
nec somno gravantur,  
Probatur, quod plurimi  
inde moriantur,  
Quod carnis in crapula  
nimis gloriantur.
14. Ad choream leviter  
stetimus in foro,  
Placentes hominibus  
vestitu decoro,  
In veste nunc humili  
psallimus in choro  
Canentes, ne similes  
simus sycomoro.
15. Sycomorus foliis  
optime vestitur,  
Sed nullus sub foliis  
fructus reperitur,  
Ad quid corpus vestibus  
sanctis operitur,  
Si sub illis tepidus  
monachus nutritur.



16. Solet potus tepidus  
nauseam parare,  
Nec Deus vult tepidum  
sibi sociare,  
Nam justus ut lilium  
debet germinare,  
Non ut ficus fatua  
terram occupare.
17. Sicut noctis tempora  
terrae dant humorem,  
Sic sanctae vigiliae  
auferunt teporem  
Bene vigilantibus  
et reddunt amorem  
Cordibus psallentium  
coeli dando rorem.
18. Jesus personaliter  
est in psalmodia,  
Angeli, apostoli  
et virgo Maria  
Cum suis virginibus  
et laetantur, quia  
Ire nos conspiciunt  
in coelesti via.
19. Fuit quidam monachus  
physica peritus,  
A terrarum dominis  
multum requisitus,  
Laute procuratus est,  
mollibus vestitus,  
Ivit ad vigilias  
saepius invitus.
20. Hic in choro tepide  
stetit nec cantavit  
Et in psalmis maxime  
chorus laboravit,  
Licet dignus non fuit,  
hic consideravit,  
Quod virgo pulcherrima  
cunctis propinavit
21. Pigmentum de pixide  
valde pretiosa  
Et ad ipsum veniens  
quasi taediosa  
Pertransivit tepidum  
facie rugosa,  
Quae fuit prae omnibus  
rebus speciosa.
22. Tunc cognovit physicus,  
quod erat illusus,  
Abbatis consilio  
mane fuit usus,  
Mollia deposuit,  
quae non habet usus,  
Et valde poenituit  
animo confusus.
23. Matutinis laudibus  
fortiter intentus,  
Vestibus, cibariis  
vivens ut conventus,  
Et ab illo tempore  
nunquam fuit lentus  
Nec est in collegio  
melior inventus.
24. Non diu post tempus hoc  
meruit videre  
Visionem pristinam,  
qualiter fovere  
Virgo solet monachos,  
qui nolunt torpere,  
Et partem cum ceteris  
meruit habere.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883 saec. 14/15. A. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 3848 saec. 15. B. — Cod. Graecen. 1294 saec. 15. C. — Clm. Monacen. 3594 saec. 15. D. — Cod. Palat. Vindobonen. 1420 anni 1548. E. — Str. 7 fehlt A. — 11, 1 Non debent BC. — 11, 2 monachi BC. — 11, 4 volunt BC. — 14, 1 sq. stetimus leviter B. — 15, 3 Nullus tamen in eo BC. — 15, 5 Ut quid B. — 20, 1 tepidus BC. — 21, 1 Pigmenta B. — 24, 1 Non post multum temporis B. — Nach 2, 6 ist das Lied von einem Cistercienser.

230. Hymnus confundens Gregorium, alias Errorium, olim papam.

1. Alte cantando porrige nunc aures,  
Fallax Errori, traditor tu noster,  
Calles in omnes fama pro nunc fundit  
Se tua turpis.
2. Qui temptas aedem pulsibus, quam Petrus  
Doctus et Paulus manibus firmarunt,  
Ruat ut cinis alma Dei fides,  
Astu laborans.
3. Octies decem annis obumbratus,  
Angelus lucis creditus per orbem,  
Pestifer daemon esse qui probaris  
Noctis opacae.
4. Usu maligno teneris ab annis  
Sectas sinistro ordine captasti,  
Quarum nunc semen senio digestum  
Pro fide spargis.
5. Hinc fraticellos, comites errorum,  
Varie comis roseis galeris,  
Eis nocendi maribus et terrae  
Posse donando.
6. Clare dum produnt, quale tuum genus,  
Corii labor, artis banausiae,  
Ausus es sanctum mango phaleratus  
Sumere nomen.
7. Claves, quas gestas, aetheris ad portas  
Credis deceptus apte pertinere,  
Mulciber Aetnae, faber inferorum,  
Has tibi dedit.
8. Christum quae credit, natio fidelis  
Omnis gaudebat vota tua videns,  
Odio dignus Graeco et Latino  
Cuncta fraudasti.
9. Voce promissa unica dum possis  
Haec stipulata solvere cedendo,  
Ortus tu foves simul et occasus  
Schismata duo.
10. Si simplex aetas senii tam grandis  
Infantum canat fictionum dolos  
Eaque mundum visere non putas,  
Pueri cernant.

11. Omine malo novimus quam tristis  
Genitus orbi nuntius fuisti,  
Nam Antichristum signas adfuturum,  
Cui praecurris.
12. Non reus usquam legitur fuisse,  
Quem sic damnandum clamitarent una  
Caupo et cerdo, virgines et nuptae  
Clerus et omnis.
13. O nimis miser, quamvis adhuc vivus  
Jam destinatus mortibus gehennae,  
Fractor votorum, perfidiae pater,  
Pseudopropheta.
14. Nunc te magistro nemo coelos rapit,  
Iter sed sursum undique rarescit,  
Augent pressuras, nomine qui tuo  
Tartara petunt.
15. Si vota ponis, languida non sanant,  
Sed sonant Christo sibila Medaeae,  
Necis aut vitae nullae tibi partes,  
O bone praesul.
16. Ne vita functos suscitare velis,  
Pacto naturam bene securasti,  
Tutus est Orcus, ne prece Trajanum  
Addes electis.
17. A nobis procul sint tua nociva  
Linguae, dum orat, murmura mendacis  
Et quae donantur periturae cruces  
Dextra perosa.
18. In celsa sede nullus honor patri,  
Nec Gabrieli, primae geniturae,  
Sed Ragusino spiritui sancto  
Poena perennis.

Cod. Londinen. (ol. Vratislaviens.) Add. 18922. saec. 15. — Das Lied, aus der Zeit des abendländischen Schismas stammend, richtet sich gegen Gregor XII.

### 231. Cursus Mundi.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Heu, quam vana vanitas,<br>Quam fallax inanitas,<br>Quidquid est in mundo;<br>Si quid habet placidum,<br>Totum reddit acidum,<br>Quidquid est in fundo. | 2. Lacrimando nascimur,<br>Laborando pascimur,<br>Respiramus raro;<br>Trituratur variis,<br>Proh dolor, injuriis<br>Moritura caro. |
|--|--|

3. *Mundus est sophisticus,  
Non amicus, pisticus,  
Ridet nunc, nunc frendet;  
Quod clementer respicit  
Hodie, cras despicit,  
Tribulat et premit.*
4. *Fallax ejus gratia,  
Modo dat solatia,  
Modo dat lamentum;  
Probis dat angarias  
Multas atque varias,  
Impiis argentum.*
5. *Modo dat, cras recipit  
Et sic ludens decipit  
Hic non advertentes;  
Tollens, quod jam dederat,  
Sibi non confoderat  
Animos prudentes.*
6. *Rara consolatio,  
Multiplex turbatio,  
Hic dolores mille;  
Vita nostra labilis,  
Status variabilis,  
Ridet hic, flet ille.*
7. *Iste flet penuriam,  
Ille flet injuriam  
Vel suorum mortem;  
Alter cum inedia  
Mille suffert taedia  
Ob stupendam sortem.*
8. *Iste rursus quaeritur,  
Qui morbis conteritur,  
Alio valente;  
Modo fluxum patitur,  
Modo febre quatitur,  
Dolet hic in dente.*
9. *Iste dolet humerum,  
Multis super numerum  
Morbis anxiatur;  
Alter in lascivia  
Instruit convivia,  
Nunquam infirmatur.*
10. *Alius irascitur  
Et intus depascitur,  
Quod non exaltatur;  
Ambiens divitias,  
Honorum delicias,  
Nunquam tamen satur.*
11. *Quidam e contrario  
Semper usu vario  
Se humiliantes,  
Spernunt transitoria,  
De coelesti gloria  
Semper meditantes.*
12. *Torpet hic acidia,  
Ille prae invidia  
Semet ipsum rodit,  
Illum ira stimulat,  
Hic amare simulat  
Proximum, quem odit.*
13. *Iste vero patiens,  
Spem in Deo jaciens,  
Sustinens perversos,  
Exsecrat dissidia,  
Procul ab invidia  
Amat universos.*
14. *Hic conventus oculis  
Cibus atque poculis  
Nimis se distendit,  
Ille vivens parcus  
Se constringit artius,  
Carnem vilipendet.*
15. *Hic ut emissarius  
Continendo rarius  
Lumbos non compescit,  
Ille immunditias  
Carnisque spurcicias  
Multum abhorrescit.*
16. *Sed, heu, fraus erigitur,  
Virtus crucifigitur  
Contra normam juris,  
Tantus error devius  
Puniendus saevius  
Est in creaturis.*

17. Virtuosus spernitur,  
Dum egere cernitur,  
Nequam honoratur,  
Si sit opulentior,  
Creditor prudentior,  
Pluris aestimatur.
18. Quaeritur prosperitas,  
Jacent lux et veritas,  
Virtus relegatur;  
Qui nummis caruerit,  
Licet bonus fuerit,  
Nullus reputatur.
19. Ideo denariis  
Student modis variis  
Homines ubique;  
Pauci quaerunt qualiter,  
Utrum curialiter,  
Juste vel inique.
20. Hic spilucit stramina,  
Ille vendit gramina,  
Ille barbas radit;  
Iste vendit olera,  
Ille plenus colera  
Tribulosque tradit.
21. Hic exstirpat lolium,  
Ille parat dolium  
Ad condendum vinum,  
Iste pottos aereos,  
Iste vendit cereos,  
Lanam atque linum.
22. Rusticus agricola,  
Bonus vix Christicola,  
Agrum suum arat;  
Iste vestes reficit,  
Addens, si quid deficit,  
Ille pannos parat.
23. Ille rude aratrum  
Exsecrans ut barathrum  
Se committit mari;  
Sulcat vane maria  
Secum ducens varia,  
Ut possit lucrari.
24. Iste domos reparat,  
Ille grana separat,  
Ut coquantur panes;  
Sic per astus varios  
Sequuntur denarios  
Sicut carnem canes.
25. Faber per fabrilia,  
Sculptor per sculptilia  
Nummum consequuntur,  
Quem cum apprehenderint,  
Antequam expenderint,  
Forte moriuntur.
26. Quidam plus divitias,  
Heu, quam amicitias  
Dei ambientes  
Villas, monasteria  
Tenent in miseria,  
Foenore praementes.
27. Illud genus hominum  
Nullum timet dominum  
Neque timet mori,  
Sed, heu, modo oritur  
Homo, modo moritur,  
Comparandus flori.
28. Clarus nunc dominio  
Cras in sterquilinio  
Forte reponetur,  
Quidquid nunc habuerit,  
Postquam mors adfuerit,  
Totum auferetur.
29. Heu, quid sunt divitiae  
Horum et deliciae,  
Quae praeterierunt,  
Quas in his miseriis  
Totis desideriis  
Male ambierunt.
30. Certe, qui suavius  
Hic vixerunt, gravius  
Sentient infernum,  
Ubi stridor dentium,  
Ululatus flentium  
Erit in aeternum.

31. Heu, cur miser glorior,  
Vivo nunc, cras morior  
Cuncta relicturus;  
Nihil hic melodiae,  
Nam, qui rex est hodie,  
Cras est moriturus.
32. Vere nil hic stabile,  
Immo totum labile,  
Totum fugitivum,  
Cuncta sunt horaria,  
Non aeternis paria,  
Nihil est mansurum.
33. Iste nunc est dominus,  
Illi nihilominus  
Vix est unus nummus,  
Sed cum rota volvitur,  
Prior status solvitur  
Et fit imus summus.
34. Igitur cum omnia  
Transeant ut somnia,  
Quae sunt in hoc mundo,  
Qui haec mente respicit  
Et mundum non despicit  
Par est furibundo.
35. Exsulat jam caritas  
Nec familiaritas  
Parvis est ad magnos;  
Magni parvos cruciant,  
Ut eos deglutiant  
Sicut lupi agnos.
36. Jam vix ulli homini  
Inest timor Domini,  
Pudet dici sanctum;  
Omnes sunt nummicolae,  
Pauci sunt deicolae  
Nisi voce tantum.
37. Fidei sinceritas  
Et verborum veritas  
Mundum reliquerunt,  
Simulata gratia  
Fallax et fallacia  
Locum intraverunt.
38. Haec revolve tacita,  
Virgo Deo placita,  
Et mandatis Dei  
Totam te subjicias,  
Saeculum despicias,  
Esto memor mei.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883 saec. 14/15.

### 232. De octo principalibus vitiis.

- Gastrimargia est primum  
principale vitium,  
Quodque corpori si satum  
haeserit intrinsecus,  
Plura prodeunt nefanda  
de ramorum fructibus.
- Nostris placuit vocare  
hanc ventris ingluviem  
Commessiones fluxas  
atque detestabiles,  
Quae cum fuerint in nobis  
excitant libidines.
- Fornicatio de gula  
et de ventris crapula  
Propagata mala, blanda,  
impudens, turpissima,  
Membra nostra, nae, quod absit,  
meretricis faciat.
- Radix omnium malorum  
exstat philargyria,  
Amor est pecuniarum,  
quae est avaritia,  
Salvatorem ipsa nostrum  
vendidit cupiditas.
- Irae vitium tollendum,  
quod est menti noxium,  
Sol justitiae per iram  
quia si occiditur,  
Hosti nostro ad nos datur  
facilis introitus.
- Cui fuerit innixus  
spiritus tristitiae,  
Obscureta mente passim  
per incursum varios,  
Corde caeco sic discurret  
velut sensu ebrius.

- |   |  |
|---|--|
| <p>7. Sicut enim vestimentum<br/>tinea demolitur,<br/>Et a vermibus conrosum<br/>saepe lignum teritur,<br/>Sicque morsibus vastata<br/>tristis mens perimitur.</p> <p>8. De injuriis illatis<br/>deque lucro perditio<br/>Aequo animo estote,<br/>quia pius Dominus,<br/>Poenitentium salus ipse<br/>et redemptor omnium.</p> <p>9. De acidia procedit<br/>mentis instabilitas,<br/>Otiositatis telo<br/>sauciatur anima,<br/>Cordis taedio et somno<br/>semper manet anxia.</p> <p>10. Cenodoxiae vitemus<br/>letale contagium,<br/>Si quid boni operamur,<br/>ut a Deo praemium<br/>Mereamur et fruamur<br/>bonis in perpetuum.</p> | <p>11. Ista quoque Ezechiam<br/>post tanta praeconia<br/>Regem adit, superavit,<br/>fregit vana gloria,<br/>Quemque hostis non prostravit,<br/>superavit vanitas.</p> <p>12. De superbia contemptus,<br/>murmur et invidia,<br/>Haereses, contentiones,<br/>inobedientia,<br/>Oriuntur mala cuncta<br/>paene cum jactantia.</p> <p>13. In occulto mens elata<br/>prius cum tumuerit,<br/>Velut vipera, maternis<br/>disruptis lateribus,<br/>De barathro sui cordis<br/>verba spargit vocibus.</p> <p>14. Maxime humanum genus<br/>per mentis superbiam<br/>Hosti subditur antiquo<br/>et carnis luxuriam,<br/>Cujus nos de fauce trahat<br/>infinita pietas.</p> <p>15. Quisquis istis vacuatus<br/>fuerit a vitiis,<br/>Mansionem Deo parat<br/>in suis praecordiis,<br/>Regnaturus in aeternum<br/>cum electis angelis.</p> |
|---|--|

Cod. Casinens. CCXXX saec. 10/11. — „Rhythmus cujusdam Scholastici de octo principalibus vitiis secundum ordinem quem posuit Cassianus.“ — 5, 4 quem si occiditur. — 8, 4 quae pius.

### 233. De regula s. Benedicti.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. De Sion exivit lex<br/>atque de Casino,<br/>Utrobique data est<br/>numine divino,<br/>Prima in volumine<br/>sculptur petriano,<br/>Alterna in codice<br/>pingitur ovino.</p> | <p>2. Prima corda denotat<br/>dura Judaeorum,<br/>Sequens signat simplices<br/>mentes monachorum,<br/>Quae depastae jugiter<br/>legem praeceptorum,<br/>Fructibus exuberant<br/>operum bonorum.</p> |
|--|---|

- |  |  |
|--|--|
| <p>3. Mons Casinus et Sina<br/>sunt aequipollentes,<br/>Proportionaliter<br/>sibi respondentes,<br/>Leges inde prodeunt<br/>mala prohibentes,<br/>Varia stipendia<br/>meritis reddentes.</p> <p>4. Dat Sina decalogum,<br/>regulam Casinus,<br/>Non est mons a gratia<br/>iste peregrinus,<br/>Caret omni carie<br/>coelo mons vicinus,<br/>Mons Casinus gloriae,<br/>mons est et divinus.</p> <p>5. Sina in Arabia,<br/>ubi jejunavit<br/>Moyses decalogum<br/>atque impetravit,<br/>Verus sol in faciem<br/>ejus radiavit,<br/>Et mox ejus species<br/>ut sol rutilavit.</p> | <p>6. In Casino legifer<br/>alter habitavit,<br/>Mirum abstinentiae<br/>fama quem notavit,<br/>Cujus res a nomine<br/>nunquam obliquavit,<br/>Benedictum patria<br/>lingua nominavit.</p> <p>7. Moysi tunc similis<br/>fuit in splendore,<br/>Regem regum omnium<br/>videns in decore,<br/>Hoc emenso stadio<br/>simul et labore<br/>Cum solutis gaudia<br/>sumpsit pro dolore.</p> <p>8. Mons Casinus jubilet<br/>tanto sub patrono,<br/>Duodeno meruit<br/>qui sedere throno,<br/>Cujus diadematis<br/>rutilat in cono<br/>Lapis praestantissimus<br/>nullo carens bono.</p> |
|--|--|

9. Legem Sina edidit  
Israelitarum,  
De Casino prodiit  
lex coenobitarum,  
Ad perfectum neminem  
prima duxit quarum,  
Aurea posterior  
regna dat earum.

Cod. Casinen. 295 (448) saec. 10. add. saec. 12/13. — 3, 6 coelo fehlt.

### 234. Oratio Poenitentis.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Deus magnus et immensus,<br/>Quem nullius capit sensus,<br/>Deus iudex aequitatis<br/>Cum unguento pietatis,</p> <p>5. Verbum cujus fuit oris:<br/>Nolo mortem peccatoris,<br/>Sed ut ante convertatur,<br/>Quam in culpa pereatur;<br/>Ad te, pie consolator,</p> <p>10. Clamo reus et peccator,</p> | <p>Ut avertas iram tuam<br/>Ne tam cito culpas luam,<br/>Sed cum dignus sim puniri,<br/>A te possim exaudiri,</p> <p>15. Et me diu infirmantem,<br/>Aquae motum exspectantem,<br/>Provolutum in piscina<br/>Tua cures medicina,<br/>Et ut sequens te pastorem</p> <p>20. Nec revertens ad errorem,</p> |
|---|--|



- Mundi luxu derelicto  
Mundus fiam a delicto.  
Ego enim tam immensis  
Inquinatus sum offensis,  
25. Tot commisi pravitates  
Carnis sequens voluptates,  
Quod de prece praesumendo  
Te fortasse nunc offendo.  
Ad quem ergo recurremus,  
30. Si offensum te habemus?  
Sed tu, pater, tu memento,  
Quales sumus ex figmento.  
Hanc secundum qualitatem  
Tuam confer pietatem,
35. Quae multiplices meorum  
Tergat sordes delictorum.  
Audi, precor, precem meam,  
Qui salvasti Chananeam;  
Sauciatum redde sanum,  
40. Qui salvasti publicanum;  
Qui Mariae pepercisti,  
Peccatori parcas isti;  
Qui latroni jam fideli  
Promisisti regna caeli,  
45. Regna mihi dones illa,  
Ubi cuncta sunt tranquilla,  
Ut post istam fugitivam  
In aeterna vita vivam.

Cod. Londinen. Reg. 2 A IX saec. <sup>13/14</sup>. A. — Cod. Lambacen. 452. saec. 15. B. — Cod. Lambacen. 463. saec. 15. C. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636 saec. 15. D. — 2. Et quem nullus capit D. — 12. poenas luam D. — 13. Et cum dignus B. — 14. possum B. — 16. motus D. — 18. mundes medicina B, mundet D. — 20. Non revertar B; Ne revertar D. — 21 sq. fehlen B; statt dessen:

Tot commisi pravitates  
Carnis sequens voluptates.

23. Ego quidem B; Esto quidem D. — 25 sq. fehlen hier B. — 27. Ut de B. — 29. Ad quem semper D. — 29 und 30 umgestellt B. — 30. Sed offensum B. — 31 mi pater B; nunc memento D. — 32. simus B. — 33. Sed secundum tuam qualitatem B. — 34. Confer mihi pietatem B. — 35. Quo D; Qua meas multiplices BC. — 36. Vitiorum tergas sordes BC. — 37. Audi Christe B. — 38. sanasti B. — 40. sanasti D. — 42. Parcas obsecro et mihi B. — 43. tam fideli BD. — 45. confer illa. — 47. Et post istam D.

### 235. De Morte.

1. Cum sim modo moriturus,  
Mihi, Christe, ne sis durus  
Mortis in articulo,  
Me conturbat timor mortis,  
Nam ignoro, quam sit fortis  
Et plenus periculo.
2. Hic exstinctum corpus jacet,  
Decor perit, lingua tacet,  
Caro datur vermibus;  
Vermes nostri sunt haeredes,  
Scorpiones et serpentes  
Nos corrodunt dentibus.
3. Hinc ignotam regionem  
Vadit homo post laborem  
Praesentis miseriae;  
Adest daemon attractator,  
Adest ille seminator  
Totius malitiae.
4. Jacet homo in sepulchro  
Et nil habet jam de pulchro,  
Privatus honoribus,  
Putret caro, patent ossa,  
Cuncta videns in hac fossa  
Repleta foetoribus.
5. Foetor ipse, qui exhalat,  
Quis sim ego, nunc declarat  
Patenti iudicio,  
Visus tuus, qui me videt,  
Nisi fallor, multum timet,  
Nares claudit padio.
6. Mea tibi sepultura  
Semper adsit pro scriptura  
Et clausura lapidis,  
Si, quod dico, bene penses,  
Nulli dies, nulli menses  
Erunt sine lacrimis.

7. In sepulchro sum inclusus,  
 Vita mea tamquam fumus  
 Transiit velociter;  
 Quis sum ego, et tu eris,  
 Scito, quia morieris,  
 Forsitan atrociter.
8. Ubi pater, ubi mater,  
 Ubi soror, ubi frater,  
 Ubi sunt confilii,  
 Dum obissem, doluerunt,  
 Ad sepulchrum me duxerunt  
 Voce quondam flebili.
9. Ploraverunt, redierunt,  
 Ibi me dereliquerunt  
 Certe multum viliter;  
 Esca vermibus sum effectus,  
 Cibus eis et electus,  
 O quam rodunt dulciter.
10. Multi dolent gavisuri  
 Nummos meos divisuri  
 Et domos atque praedia;  
 Nihil curant de me ipso,  
 Quando laute stant in disco  
 Committunt euseniam.
11. Si affinis sum ipsius,  
 Parum dolet, dum totius  
 Partem solus accipit,  
 Et si nunc sum praebendatus,  
 Multis quidem ero gratus,  
 Quando me mors arripit.
12. Statim currunt ad praebendam  
 Quasi semper possidendam,  
 Non pensant pericula,  
 Clericalem formam sumunt,  
 Vitam malam semper ducunt  
 In Petri navicula.
13. Paupertatem detestantur,  
 Dignitates amplexantur  
 Et honoris gloriam,  
 Aurum quaerunt et argentum,  
 Nullum curant detrimentum  
 Propter horum copiam.
14. Post hoc autem moriuntur,  
 Ad ignotos devolvuntur,  
 Cuncta quae possederant;  
 Maledicunt eis inulti,  
 Horum bonis errant multi  
 Et mendicos fecerant.
15. Tamquam nihil sunt projecti,  
 In sepulchro stant abjecti  
 Neci dati acriter;  
 Fluunt crines, cutis scatet,  
 Frons marcescit, visus latet,  
 Dentem cadunt pariter.
16. Intestina computrescunt,  
 Ibi vermes requiescunt  
 Corrodentes omnia;  
 Ubi honor hujus mundi,  
 Ubi opes, ubi fundi,  
 Ubi mundi gloria?
17. Transierunt velut umbra,  
 Adhuc restat mors secunda  
 Resurgente corpore;  
 Ibi cuncta patent cunctis,  
 Dum resurgit omnis cutis  
 Ad mercedem propere,
18. Coeli regnum acceptura,  
 Vel inferni claustra dura  
 Attestante Domino:  
 Veni turba beatorum,  
 Regnum accipe coelorum  
 Absque ullo termino.
19. Sed damnatis dicit: ite,  
 Maledicti, nunc abite  
 Ad inferni barathrum;  
 Prima vox quam laeta erit,  
 Sed secunda dure ferit,  
 Dum mittit in tartara,
20. Primam vocem nos audire  
 Christus donet, ne in fine  
 Damnemur cum impiis,  
 Sed in coelis collocemur  
 Angelisque sociemur  
 In aeternis gaudiis.

## Inhalts-Übersicht.

	Seite		Seite
Ad beatæ trinitatis . . . . .	27	Ave Dympna virgo . . . . .	208
Adsis huic speculo . . . . .	76	Ave flos virginittatis . . . . .	133
Adspice mortalis . . . . .	45	Ave fons clementiæ . . . . .	134
Adspice nos mitis . . . . .	142	Ave gemma monachorum . . . . .	210
Ad supernæ gremium . . . . .	136	Ave Jesu cruciate . . . . .	24
Ad te Deus clamo reus . . . . .	218	Ave Jesu dulcissime . . . . .	33
Ad te Domine levavi . . . . .	250	Ave Jesu nobis natus . . . . .	44
Ad te matrem reclinamur . . . . .	128	Ave Jesu qui de Deo . . . . .	25
Ad vos coelestes spiritus . . . . .	171	Ave Jesu splendor patris . . . . .	26
Agnæ ave gloriosa . . . . .	181	Ave lumen gratiæ . . . . .	135
Agneta virgo nobilis . . . . .	180	Ave Maria virgo pia . . . . .	109
Alme martyr o Achatî . . . . .	179	Ave maris stella . . . . .	114
Alme Petre haerens petrae . . . . .	175	Ave martyr ejus nomen . . . . .	224
Almi Benedicti vita . . . . .	192	Ave miles nobilis . . . . .	219
Alte cantando porrige . . . . .	262	Ave mitis Sunamitis . . . . .	144
Amor sponte cor afficit . . . . .	253	Ave mundi spes Maria . . . . .	150
Angele qui mihi reo . . . . .	182	Ave nate Dei vivi . . . . .	36
Angelici spiritus . . . . .	172	Ave nate Dei vivi . . . . .	45
Angolorum dominum . . . . .	133	Ave nostra spes in vita . . . . .	113
Animales Saraçeni . . . . .	252	Ave numen verum lumen . . . . .	170
Ante crucem virgo stabat . . . . .	76	Ave o eximia . . . . .	214
Arca deitatis . . . . .	107	Ave pater et domine . . . . .	233
Ave arca deitatis . . . . .	129	Ave pater et patrone . . . . .	191
Ave arca deitatis . . . . .	130	Ave pater et patrone . . . . .	193
Ave Barbara praeclara . . . . .	188	Ave pulchra Christi sponsa . . . . .	179
Ave caro Christi . . . . .	54	Ave Quiritum gloria . . . . .	205
Ave caro juncta verbo . . . . .	56	Ave radix sancta Jesse . . . . .	185
Ave Christi mater digna . . . . .	139	Ave regis angelorum . . . . .	29
Ave civis aulae Dei . . . . .	181	Ave rosa vernans flore . . . . .	108
Ave coeleste lilium . . . . .	115	Ave sacer Christi sanguis . . . . .	55
Ave coeli redimita . . . . .	221	Ave sacrum vitae flumen . . . . .	109
Ave corpus incarnatum . . . . .	56	Ave sancta caro Christi . . . . .	54
Ave ejus ventris fructus . . . . .	153	Ave sancta Dei genitrix . . . . .	63
Ave custos mihi datus . . . . .	184	Ave sancta Dorothea . . . . .	201
Ave Dei o gratia . . . . .	211	Ave sanguis Jesu Christi . . . . .	57
Ave de qua nascitur . . . . .	101	Ave summa trinitas . . . . .	165
Ave dulcis custos meus . . . . .	183	Ave vena veniæ . . . . .	61
Ave dulcis Katharina . . . . .	215	Ave venerabilis . . . . .	139
Ave dulcis o Martine . . . . .	223	Ave vera orbis hera . . . . .	75
Ave dulcissima . . . . .	127	Ave verbum ens in principio . . . . .	125

	Seite		Seite
Ave virgo Dei mater . . . . .	140	Flos virginum mors criminum . . . . .	64
Ave virgo Dei templum . . . . .	141	Fructificans mira . . . . .	48
Ave virgo Deo grata . . . . .	199	Gastrimargia est primum . . . . .	266
Ave virgo fons salutis . . . . .	142	Gaude candens lilium . . . . .	87
Ave virgo gloriosa . . . . .	196	Gaude cella prolis diae . . . . .	144
Ave virgo gloriosa . . . . .	226	Gaude Christus cum levavit . . . . .	87
Ave virgo Margareta . . . . .	219	Gaude cujus uberibus . . . . .	102
Ave virgo Margareta . . . . .	220	Gaude dum circumciditur . . . . .	102
Ave virgo Maria . . . . .	145	Gaude felici gaudio . . . . .	103
Ave virgo speciosa . . . . .	215	Gaude felix Aldegundis . . . . .	181
Ave virgo Ursula . . . . .	234	Gaude felix et beata . . . . .	104
Ave viva caro Christi . . . . .	54	Gaude Johannes Baptista . . . . .	211
Benedicta hostia . . . . .	53	Gaude Joseph fili David . . . . .	213
Benedicte legifer . . . . .	190	Gaude Joseph fili David . . . . .	214
Benedictus Christus Deus . . . . .	38	Gaude mater prae ceteris . . . . .	102
Bernharde pater inclite . . . . .	195	Gaude mater semper gaude . . . . .	99
Bonae lucis fulgor . . . . .	229	Gaude o Matthia gaude . . . . .	224
Chorus novae Hierusalem . . . . .	52	Gaude per quam angelorum . . . . .	99
Christiane vir fidelis . . . . .	226	Gaude quae vides filium . . . . .	103
Christiani nominis . . . . .	258	Gaude quam sanctus spiritus . . . . .	104
Christi mater generosa . . . . .	132	Gaude spes salutis meae . . . . .	223
Christi sanguis ave . . . . .	58	Gaude virgo de gaudio . . . . .	98
Christus vincit Christus surgit . . . . .	50	Gaude virgo Dei mater . . . . .	98
Clemens pater verbi sator . . . . .	132	Gaude virgo gratiosa . . . . .	93
Confessor alme Domini . . . . .	209	Gaude virgo mater Christi . . . . .	95
Contemplator trinitatis . . . . .	212	Gaude virgo mater Christi . . . . .	96
Crux mihi sit risus . . . . .	47	Gaude virgo mater Christi . . . . .	97
Culter virga cum flagello . . . . .	47	Gaude virgo stella maris . . . . .	144
Cum sim modo moriturus . . . . .	269	Gaudia bis dena . . . . .	96
Cum velarent montes aquae . . . . .	152	Genitorem filio . . . . .	58
Dei sponsa inclita . . . . .	200	Gloriosa mater Dei . . . . .	131
De Sion exivit lex . . . . .	267	Grande signum coelum pandit . . . . .	85
Deus magnus et immensus . . . . .	268	Gubernantis superna . . . . .	89
Deus pater piissime . . . . .	12	Hedwigis praeclarissima . . . . .	207
Deus pater qui creasti . . . . .	167	Heu quam vana vanitas . . . . .	263
Dispensator scripturarum . . . . .	208	Hic caput inclina . . . . .	53
Divinitatis hortus . . . . .	152	Hic sursum pedibus . . . . .	178
Domine fac labia . . . . .	147	Jesu Christe summe Deus . . . . .	17
Dones agni portionem . . . . .	49	Jesu salutis hostia . . . . .	40
Dulcis ave Dorothea . . . . .	200	In hoc festo martyr . . . . .	204
Dum in nocte video . . . . .	259	Istam dicas humili . . . . .	161
Egredia Erentrudis . . . . .	203	Katharina regia . . . . .	216
Egredie martyr Domini . . . . .	197	Lingua rudis hebes ingenio . . . . .	238
Eja virgo gloriosa . . . . .	78	Lustrans orbem sol . . . . .	94
En Christe genu flectimus . . . . .	55	Lux orientalis . . . . .	151
Esse quod est ex se . . . . .	11	Magnus et insignis . . . . .	219
Excitare o cor meum . . . . .	189	Margareta nobilis . . . . .	222
Felix Anna Deo cara . . . . .	186	Mater Christi noli flere . . . . .	103
Fideles huc attendite . . . . .	206	Mater sancta Dei . . . . .	124
Filiae Sion cernite . . . . .	103	Matrem Christi salutemus . . . . .	105
Flos in flore exoritur . . . . .	101	Militantis ecclesiae . . . . .	90

	Seite		Seite
<b>Mira loquor sed digna</b> . . . . .	239	<b>Quot volucrum pennae</b> . . . . .	123
<b>Multis a confratribus</b> . . . . .	18	<b>Redemptor noster Domine</b> . . . . .	170
<b>O angele dulcissime</b> . . . . .	135	<b>Regina coeli laetare</b> . . . . .	115
<b>O angele sanctissime</b> . . . . .	135	<b>Regina coeli laetare</b> . . . . .	128
<b>O beata gaude infantia</b> . . . . .	23	<b>Rex cunctorum saeculorum</b> . . . . .	239
<b>O cunctis excelsior</b> . . . . .	138	<b>Rex de coelo respice</b> . . . . .	247
<b>O dulcis virgo Maria</b> . . . . .	80	<b>Rex Henricus sis amicus</b> . . . . .	208
<b>O Geralde gaude plaude</b> . . . . .	206	<b>Rex salvator saeculorum</b> . . . . .	24
<b>O Maria piissima</b> . . . . .	140	<b>Rubus in te concrematur</b> . . . . .	152
<b>O medici languentium</b> . . . . .	199	<b>Sacer ordo Benedicti</b> . . . . .	257
<b>O meritum passionis</b> . . . . .	56	<b>Salve abba monachorum</b> . . . . .	192
<b>O Messia de Maria</b> . . . . .	26	<b>Salve Bernharde praeclare</b> . . . . .	196
<b>O mi custos o mi heros</b> . . . . .	241	<b>Salve candens flos doctorum</b> . . . . .	196
<b>O nobile collegium</b> . . . . .	233	<b>Salve corpus dominicum</b> . . . . .	57
<b>O panis vivifice</b> . . . . .	51	<b>Salve crux sancta</b> . . . . .	47
<b>O Petre beatissime</b> . . . . .	174	<b>Salve dux jejunii</b> . . . . .	35
<b>O piissima peccatrix</b> . . . . .	222	<b>Salve felix Margareta</b> . . . . .	221
<b>O polorum dominatrix</b> . . . . .	137	<b>Salve festa dies</b> . . . . .	22
<b>O praeclara mater matris</b> . . . . .	186	<b>Salve Jesu rex gloriae</b> . . . . .	57
<b>O sanguis Christi</b> . . . . .	57	<b>Salve Jesu salus mea</b> . . . . .	37
<b>O sepulchrum Jesu Christi</b> . . . . .	48	<b>Salve martyr gloriose</b> . . . . .	205
<b>Pacem prolis tu tutor</b> . . . . .	184	<b>Salve mater salvatoris</b> . . . . .	68
<b>Parabolam vitae</b> . . . . .	248	<b>Salve miles triumphalis</b> . . . . .	225
<b>Petre princeps fidei</b> . . . . .	177	<b>Salve mundi spes praeclara</b> . . . . .	46
<b>Plaude potentissima</b> . . . . .	93	<b>Salve pastor gregis Christi</b> . . . . .	228
<b>Plaude prudentissima</b> . . . . .	91	<b>Salve sancta famula</b> . . . . .	232
<b>Quod res enumerat</b> . . . . .	35	<b>Salve sancte mi Kudberte</b> . . . . .	230
<b>Quot coelum stellae</b> . . . . .	123	<b>Summe pater sancte Deus</b> . . . . .	159
<b>Quot sunt horae et quot morae</b> . . . . .	124	<b>Tua virgo nativitas</b> . . . . .	100



Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.









B. U.  
5253  
A5

Jan 12  
76-5-66

Mar 89


Handwritten initials and scribbles

R. 89

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES  
59 QUEEN'S PARK CRESCENT  
TORONTO - 5, CANADA

1 0 7 9 5 .





GretagMachbeth™ ColorChecker Color Rendition Chart

